AUGUSTI WILHELMI ZUMPTII

COMMENTATIONUM EPIGRAPHICARUM

AD

ANTIQUITATES ROMANAS PERTINENTIUM

VOLUMEN.

BEROLINI

IN FERD. DUEMMLERI LIBRARIA.

1850.

AUGUSTO BOECKHIO

VIRO ERUDITISSIMO ANTIQUITATISQUE OMNIS ELEGANTISSIMO IUDICI

HUNC LIBRUM DEDICAT

AUCTOR.

A. W. Zumptius lecturis s. p.

En vobis, viri eruditi, commeatationum epigraphicarum volumen studiis nostris elaboratarum: quae antequam iudiciis vestris committantur, non modo deprecanda est iniquitas invitandaqoe benevolentia, quo fere in argumento prooemia versari solent, verum etiam ut universum hoc scribendi genas, quod a consuetudiao paululum recedere intelligimus, commendetur, pauca de coasilio nostro et quaestionum, quas proponimus, ratione sunt praemittenda. Cum enim sic fieri soleat, ut, quo quisque maxime ia argumento versetur, eo delectetar maxime, si novi quid afferatur, id aegre atque invitus admittat, si scriberem de iis rebas, quarum ardent cummaxime studia, tacitus haec legere cupientium multitudini permitterem. Nunc omais nostra disputatio et in rebus aut nunquam satis tractatis aut ex longo tempore neglectis continebitur et eo quasi fuadamento nitetur, quod etsi olim a sammis philologis laudabili cura exploratum est atque etiam nostra aetate exterorum populorum magna ingenia alait, in Germania tamen vix unus aut alter, qui ea qua par est doctrina persequeretur, extitit.

Atque ut hinc, unde commentationes nostrae nomen habent, ordiamur, epigraphices Latinae duplex omoino est ratio, primum ut ipsae per se spectentur inscriptiones, ut ex lapidibus, quantum fieri potest, emendentur, ut ingens earum multitudo recte digeratur, denique ut usui virorum doctorum tantos optimae scientiao fons, qui nimis diu latuit, aperiatur, deinde ut ex iis quid de rebus Romanorum pablicis privatisque, quid de lingua Latina

disci possit, exponatur. Ex his etsi illud, quod critica fere, quae dicitur, arte continetur, debet quodammodo antecedere, hoc, quod ad antiquitatis Romanae scientiam pertinet, consequi, natura tamen permixta est utraque ratio nec quae vi sua ac mente recte seiunguntur, re ipsa aut studiis possunt separari. Quis enim inscriptiones Latinas aut commode digerat aut vere emendet aut in ipsis etiam lapidibus quid sit recte legat, nisi idem, magna antiquitatis peritia praeditus, quid dicatur et curet et intelligat? Quis rursus inscriptionibus Latinis ad antiquitatem illustrandam uti possit, nisi et veras a falsis discernat, et errores eorum, qui descripserunt, evitet, et magnam titulorum copiam contuendo obscuritatem vel inopiam auctorum vincat? Quare cum nuper mihi honestissimum hoc munus mandatum esset, ut quicquid in libris inveniretur inscriptionum Latinarum, colligerem, secundum fidem auctorum, qui tradiderunt, examinarem, in corpus denique quoddam redigerem, quia hanc per se mancam esse rationem alteriusque subsidio egere intelligebam, faciendum esse statui, ut delatam provinciam dum diligenter tueor, alteram hanc antiquitatis ex inscriptionibus illustrandae rationem ne negligerem. Accedit externa illa quidem, sed magna tamen haec causa, quod, si illud unum persequare, ingenti manuum atque oculorum opera, quae adhibenda est, fatigatur quasi animus, qui nisi per remissionem quandam ipsa optimae antiquitatis cognitione alatur, quia obtundatur ac deteratur, minus etiam ad illud, quod proprie propositum est, aptus fiat. Quamquam ex hac inscriptionum Latinarum condicione nascitur ea difficultas, quod ex iis quae de antiquitatibus collegeris non plenissima sint omnia neque id argumentum, de quo agatur, absolvant. Cum enim, ut nunc est, omnia inscriptionum Latinarum monumenta nemo complecti neque iis, quibus utatur, adeo emendatis uti possit, ut nullus error supersit fit necessario, ut, quae disputaris, quamvis sint vera ac bona, relinquant tamen nonnihil, quod aut addendum aut mutandum esse videatur. Quam difficultatem si tantam esse viderem, ut ea proficiendi ac veri inveniendi facultas tolleretur, desisterem hercule ab instituto meo nec tantis scopulis ingenium impingendum esse putarem. Verum est ea partim eiusmodi, quae ipsa inscriptionum natura tollatur, partim ita cum universis litteris nostris communis, ut ea qui terreatur, nihil omnino audere possit. Non omnes eiusdem argumenti inscriptiones possunt aut cognosci aut conferri. Fateor. Sed quid interest? Veluti cum de natura ac potestate quinquennalium agitur, dummodo praecipua quaedam monumenta comprehendas, quid refert, utrum centum an centum et decem quinquennalium exempla afferas? Civitates, in quibus reperiatur is magistratus, nisi omnes inscriptiones complectare, non possis tu quidem omnes nominare, sed ipsam quinquennalitatem intelligere

possis non minus. Similisque omnium eorum argumentorum, quae paulo latius pateant, est ratio, quae, si certa aliqua exemplorum copia teneatur, satis recte tractentur. Quo in genere saepe peccare solent homines alioquin non mali, qui cum laudabili sane studio in novis monumentis inveniendis contineantur, quicquid novi nacti sunt, exultantes tamquam praeclarum nescio quid effecerint praedicant et facile efferuntur. Talia nec spernenda omnino nec nimis magni facienda; regit enim haec recta interpretatio, quae cum pro ingenii humani infirmitate manca sit atque imperfecta, adiuvatur illa quidem magnopere monumentorum multitudine, sed plus certe per se ipsa valet, quam cum ingenti multitudine coaiuncta imperitia. Quod cum in reliquis litterarum nostrarum partibus valeat, tum in his inscriptionibus. Quare aut sequendum omnino illud quorundam philosophorum ἐπέχειν, ut nihil pro certo ponas, nihil pro vero, vix quicquam veri esse simile fateare, quo sane dicendi genere nunc multos vehementer delectari video, aut audendum aliquid vel cum offensionis periculo. Nimirum in hac communi litterarum nostrarum condicione ipsam earum aeternitatem positam esse video, in quibus si uni alicui liceret unum aliquod argumentum ita exequi, ut nihil relinqueret aliis, vererer hercule, ne perirent, nunc cum imbecillitate necessario perpetuitatem coniunctam esse intelligo.

Quapropter cum et rei ipsius et nostra ratio ad hoc antiquitatis ex inscriptionibus Latinis illustrandae studium adhortaretur et eadem ratio eligendorum argumentorum consilium regeret, pridem scripsimus de Laurentibus Lavinatibus et de Augustalibus et Seviris Augustalibus, neque poenitet eorum, quae scripsimus, in quae cum alii prudenter ac modeste, quidam cum singulari arrogantia impetum ita fecerit, ut pleraque omnia quae exponenda suscepissemus recte esse intellecta concederet, parum nos fatemur ab utrisque esse victos viderique ad illustrandos duos insignes antiquitatis Romanae locos, quorum cognoscendorum nisi per inscriptiones nulla via est, aliquantum contulisse. Ac cum similia aliquot argumenta explicanda nobis proposuerimus, tum proxime ea, quae hoc libro continentur, quae etsi cuipiam diversa videantur, communi tamen nec obscuro vinculo coniunguntur. Versantur enim in re municipali veterum Romanorum, quem locum cum appareat et per se esse maximum et ad universae reipublicae naturam pertinere magnopere, pauci tamen omnino fuerunt, qui diligentiore cura persequerentur. Nec dubium est, quin plurimum momenti, addo etiam splendor omnis situs sit in magnis illis reipublicae honoribus ac magistratibus, quorum certatim a viris doctis illustratur ratio, sed ipsa imperii vis idque quod potentiam Romanorum effecerit, in hac, quae hoc loco tractabitur, parte invenitur.

Nec tamen querimur haec non esse antea tractata, quorum cum parva et obscura apud scriptores supersint vestigia, quamdiu inscriptiones Latinae iacuerunt, non excitatam esse quaestionem vix dolere debebimus.

Ac prima quidem et nascendi tempore et amplitudine et gravitate ex quattuor his, quas exhibemus, commentationibus sunt ea, quae de *coloniis Romanorum militaribus* scripsimus. Coepta ea a nobis anno 1840, cum quasi speciminis loco commentationem edidimus de coloniis C. Iulii Caesaris, quam in hunc librum suo loco inseruimus, sed mutatam prorsus ac modo amplificatam modo coartatam. Usi enim sumus in ea nostro iure, ut, quicquid non amplius placeret, demeremus, si quid novum repertum esset, adderemus, denique universam ad colorem reliquae disputationis exigeremus. Neque eas mutationes non annotare religioni nobis duximus. Quid enim attinet deteriora vel ita conservari, ut corrigantur? Sed de omnibus his dubitavi diutissime, utrum edi satius esset quae scripsissem, an premi interim, dum nova fortasse offerrentur nonnullaque, quae nunc obscura et incerta esse intelligerem, illustrarentur. Incredibilis enim est in magna harum coloniarum parte difficultas, quam externa specie et subita quadam opinione censeri nolim. Nam multa sunt, quae semel atque obiter intuenti certa esse videantur aliterque fortasse constituenda atque a nobis constituta sunt, quae si totum rei decursum examines auctorumque non de una aliqua re, sed de omnibus auctoritatem, incertam saepe nec constantem, expendas, magnam rursus dubitationem afferant. Imprimis autem Italicarum coloniarum ratio est difficillima, non modo ut decernatur, quae fuerint aut quo quaeque tempore deducta, verum etiam quando quaeque amplificata, quando adiuta, quo colonorum genere frequentata: tanta fuit in oppidis Italicis incolarum mutatio, ut vix ullum ita, uti ab initio institutum erat, constitisse existimem, tanta varietas, tanta ex necessitate profecta etiam libido. Quas res cum prope ignoraremus, nisi inter gromaticos veteres extarent duo coloniarum libri, qui Frontini nomine ornari solent, nescio quo pacto accidit, ut ipsi hi libri, quibus et non uti nefas esse censeas et uti vix tutum esse intelligas, magnam quandam exhibeant molestiam. Quisquis enim eos scripsit, homo fuit universae coloniarum rationis, utpote suo tempore abolitae, imperitus idemque ab litteris omnibus alienior, quem cum legas, tamquam rusticum audire videare de summo imperio et de republica disputantem. Multa alia, quibus necessario laborandum fuit in his coloniis, queri statueram. Sed vicit nunc pudorem publica utilitas. Sic enim intelligebam, si premerem mea, posse a me alia mutari, alia emendari, alia augeri, sed latere interim omnia: sin prodire iuberem, non minus me ipsum in eodem argumento esse elabo-

raturum, accedere autem aliorum multorum studia, quae nisi vel excitarentur vel hoc tamquam fundamento aliquo inniterentur, nulla fore videbam. Nam etsi quaedam nec ea parva in his existimamus rectius a nobis esse explicata quam fuerunt antea, longissime tamen ab ea absumus arrogantia, ut omnia prorsus constituta esse opinemur. In iis coloniis, quae a libero populo Romano deductae sunt, quarum et numerus longe minor et ratio simplicior et auctores plures certioresque, cum post tot doctissimorum virorum labores multa relicta esse videamus, in hoc tanto, tam multiplici, tam obscuro argumento quantum superesse putabimus?

Successit tempore, quae ordine prima est commentatio, qua *fastorum Campanorum fragmentum* restituimus atque explicavimus. Haec tria habet proposita, primum ut ipsa illa inscriptio nobilissima, cuius paucae extant similes Latinae, ex turpissima confusione recte digeratur, deinde ut consulum et magistratuum per tristissima imperii Romani tempora series ac ratio illustretur, denique ut locus rei municipalis de praefectis explicetur. Triplex igitur est disputatio, quarum primam, nisi novum praesidium criticum nacti essemus, inire non potueramus, alteram, quae adhuc fere in Transalpinorum hominum possessione fuit, temptavimus, ne nos in eo genere silere videremur, tertiam ad supplendum quasi totius libri consilium suscepimus. Nam ea, quae altero loco exhibetur, commentatio *de quinquennalibus* in media re municipali Romanorum versatur. Neque enim de eo modo est magistratu, a quo nomen habet, sed reliquorum etiam rationem ita persequitur, ut de censu municipali dum disputatur, quo quisque loco, qua dignitate fuerit, exponatur. In qua videmur et veteres quosdam errores minuisse et nonnulla, quae ad Romanorum magistratuum vim ac rationem intelligendam pertineant, attulisse. Quartam denique *de quattuorviris municipalibus* quaestionem, quae in una, sed nec parva nec iniucunda re consistit neque ultra progreditur quam nomen ipsum significat, fateor mihi magis videri inchoatam quam absolutam. Adeo, cum unum illud, quod ageremus, videremur effecisse, multa tamen supererant, quae vel aliis vel nobis ipsis relinqueremus. Verum ne haec quidem, qualiacunque sunt, virorum doctorum contentionibus permittere noluimus.

Haec de consilio nostro et de commentationibus ipsis dicenda erant. Adiicere placuerat quaedam de universa nostra quaerendi ratione, quam nonnullis non placuisse non miramur. Nimirum sua cuique placent. Sed praestat haec aliorum iudiciis relinquere quam in nostra oratione ponere. Neque si hoc loco defenderimus, efficiemus, ut illis, quibus displicuerunt, magis videantur esse probabilia, neque si iis obtemperare voluerimus, nostra depo-

nere aut poterimus aut debebimus. Cupimus etiam desinere, eosque, quorum interest, ad disputationes, quas proponimus, dimittere, quae si cui minus ipsae probabuntur, at in eo argumento versantur, quod cognitu sit dignissimum. Neque enim nascentis aut crescentis imperii Romani res persequimur, sed adulti totumque terrarum orbem, quatenus humanitati pervius erat, iustitia ac legibus moderantis, in quo quicquid fortasse laetae ingenii ubertatis desideretur, id virili quadam prudentia abunde expletur.

Scripsimus Berolini a. d. IV. Id. Mai 1850.

Fastorum municipalium Campanorum

fragmentum

restitutum et explicatum.

In bibliotheca regia Berolinensi inter libros pretiosissimos asservari notum est Stephani Vinandi Pighii codicem manuscriptum, qui merito pro eximio studiorum epigraphicorum praesidio celebrari solet. Is codex duabus partibus constat, quarum prior habet primum in schedis ad iustam libri rationem demensis elegantissime descriptas multas imprimis urbis Romae inscriptiones, deinde in chartis subitaneis ac temere inter reliquas interiectis et Pighii, ut videtur, et aliorum virorum doctorum manu vel de lapidibus ipsis expressos vel ex codicibus ineditis excerptos titulos. Ex quibus maxime insignia esse apparet, si qua sunt de lapidibus ipsis facta ἀπόγραφα, etiam si quibus eos, qui inscriptiones ediderunt, usos esse sciamus. Altera autem codicis Pighiani pars imagines vasorum et aedificiorum et aliarum antiquae artis reliquiarum accurate et pulchre admodum factas continet [1]. Quae tot monumenta ad rem epigraphicam pertinentia cum Pighium, virum Romanae antiquitatis peritissimum, in Italia collegisse percrebruisset, Ianus Gruterus in condendo inscriptionum veterum corpore ut omnia et edita et inedita colligebat, ita his quoque copiis potiri studuit, quas sero nactus non pauca nova in exitu operis sui inter addenda exhibuit, quae excerpere ipse non potuerat, ea Graevius in editione altera suo quid-

1) Titulus codicis Pighiani hic est: Reliquiae ἐπιγραφικῶν καὶ σκιαγραφιῶν Romanarum, quas aliquando collegit Romae et alibi in Italia Stephanus Vinandus Pighius Campensis, institutor tunc principis Caroli Friderici, ducis Cliviae Iuliae Montium, comitis Marchiae et Ravenspurgi, domini Ravensteini, Guilelmi ducis F., postea scholaster Sanctensis Ecclesiae, in hoc volumen compactae adeoque ab interitu vindicatae per Hermannum Ewiesium Vesaliensem anno 1648. Habet omnino paginas numero 370, ex quibus plus quam dimidia pars, i. e. paginae 205 inscriptionibus refertae sunt. Separatim autem in alteram partem inserta sunt fastorum Capitolinorum, quae quidem Pighii tempore inventa essent, ἀπόγραφα, eleganter et accurate facta. Graecae inscriptiones pro multitudine Latinarum insunt paucissimae.

que loco adiecit. Quamquam fallantur, qui ideo novam codicis huius Pighiani, de quo dicimus, collationem vel nihil vel non plus utilitatis habere existiment, quam si quis, ut simili exemplo utar, antiqui scriptoris codicem manuscriptum a viro aliquo docto antea collatum denuo conferat. Quam utilitatem etsi maximam nonnunquam esse ex ipsa hac quam deinceps instituemus disputatione apparebit, multae tamen etiam in hoc codice sunt inscriptiones, quibus Gruterus careat, non paucae, quas nec Gruterus nec Muratorius neo qui reliquas inscriptionum Latinarum collectiones instituerunt, habere videantur.

Quae cum ita sint, ut nuper in nobilissimum rei municipalis Romanae monumentum incidi, in quo et nomen Pighianum citari viderem et multa vitia inesse appareret, imprimis codicem illum consulendum esse putavi, ex quo totam inscriptionem, quae disiecta adhuc et miro confusa fuit, certa ratione constitui et emendari posse intellexi. Dico autem de fragmento illo fastorum coloniae Campanae, quod cum ab iis, qui de consulibus annorum 34 usque ad 28 a. Chr. dicunt, laudari soleat, tum, ubi de ratione magistratuum municipalium quaeritur, pro praecipuo disputationis fundamento habetur. Historia eius inscriptionis haec est. Primus eam edidit Petrus Apianus in Inscriptionibus sacrosanctae vetustatis (Ingolstadii 1534) p. 315 [1]. Eius exemplum mendosissimum est, sed ideo magni faciendum, quod qui descripsit nihil de suo ingenio vel mutavit vel emendavit, sed quicquid sibi invenire videbatur, cum fide expressit. Ex Apiano, ut ipse ait, sumpsit Martinus Smetius in Inscriptionibus antiquis (Lugd. Batav. 1588) fol. 163, qui in iis quos ipse examinarat lapidibus diligentissimus auctor in hoc monumento ab aliis accepto cum aliquid sibi licere arbitraretur, pauca mutavit. Deinde Stephanus Pighius in Annal. Tom. III. p. 494 ann. 714 ab urb., quia quantum ex hoc praestantissimo fragmento de consulum serie disci posset, perspiciebat, retulit ex codice Cardinalis Marcelli Cervini, quam Romae vidisset. Qui quoniam hoc, quod de universa republica disputantibus maximum videbatur, praestiterat, ut et consulum series recte procederet nec obiter inspicienti vulnus offerretur, eam laudem tulit, ut optime exhibere existimaretur. Quamquam sprevit eius vel recensionem vel editionem Gruterus, suspicatus, opinor, de licentia quam sibi sumpsisset; nam in corpore inscriptionum p. 299 [2] Smetii et Apiani exempla iuxta posuit, Pighii lectionibus, quae visae essent maxime memorabiles, in marginem coniectis. Quare cum tantum antiquitatis monumentum confusum circumferretur, Ant. Franc. Gorius inter Io. Ba-

1) Vel potius Bartholomaeus Amantius. Immeritam enim laudem tulit Apianus, ex cuius nomine prima illa inscriptionum collectio appellari solet, quippe qui collectum et digestum ab Amantio librum typis tantum excripserit.

2) Apud eundem p. 1087,2 particula huius inscriptionis, consules primi anni continens, vs. 3—6, invenitur, ab Erizzo „ex antiquissimo marmore“ petita.

ptistae Donii Inscriptiones antiquas p. 158 denuo sibi exhibendum esse putavit ex fratris Iucundi Veronensis exemplo manuscripto, quod apud Ant. Fr. equitem Marmium Florentinum invenerat, priorum editorum lectionibus neglectis; eiusque exemplum repetit Seb. Donatus in Veterum inscriptionum thesauro p. 155, suppleturus quasi Muratorii operam, qui exemplum in schedis Farnesianis antiquioribus repertum sex variantibus lectionibus fratris Iucundi in margine notatis ediderat in Novo thesauro p. 294. Post eum nemo aut lapidem ipsum vidit, quam cum plurimis aliis rei epigraphicae monumentis perisse probabile est, aut novum exemplum ab idoneo auctore profectum protulit. Quare maxime nunc, ut supra dictum est, Pighiana editio laudari solet, quippe quae sola consulum Romanorum magistratibus municipalibus praemissorum seriem recte exprimat. Itaque eam et F. A. Avellinus in Opusculis Tom. II p. 257, cum rationem magistratuum Pompeianae coloniae illustraturus esset, prae ceteris repetendam esse duxit et Orellius in Amplissima inscriptionum collectione Tom. I p. 107 omnium optimam esse statuit.

At in ipso hoc Pighiano exemplo etsi consules Romani recte procedunt, municipales tamen IIviros, aediles, quaestores male esse confusos et facile intelligitur et ipse, qui reliqua laudat, confitetur Avellinus, in temporum spatiis, quae magistratuum nominibus praemittuntur, non pauca corrigens. Quare quae dudum mihi suspicio suborta erat, ne, quod illi accurate ex lapide petitum esse existimarent, Pighii potius ingenio tribuendum esset, ea, ubi in codice Berolinensi, de quo supra dictum est, fol. 204 titulum ipsius, ut videtur, Pighii manu scriptum repperi, prorsus confirmata est. Etenim et exemplum hoc, quod iam vere Pighianum appellari debebit, ita ab Apiani, ab Farnesiano, ab eo, quod Iucundi schedae exhibent, exemplo dissentit, ut necessario alii auctori tribuendum esse videatur, nec eum Pighii hoc Berolinense exemplum consulum seriem pervertat, illud fastorum recte exhibeat, hoc statui potest, virum doctissimum hoc usurum fuisse in schedis suis, si liceret uti illo, nec denique, si in fastis conscribendis duo haberet eiusdem tituli ἀπόγραφα, id sibi non commemorandum esse putasset. At in illius aetatis viro docto, quae veritatem magis ingenio quam certa ratione critica sequeretur, quam est probabile, quae aperte mendosa viderentur, tacite esse emendata [1])!

[1]) Ut autem prorsus mihi persuaderetur, quod in fastis Pighianis invenitur exemplum, id de hoc codice Berolinensi esse factum, hoc accessit. Superscribitur enim huic: *S t libro*, quod idem significare apparet ac quod in eodem codice eadem pagina aliis inscriptionibus praemittitur *Card. S t libro*, vel quod p. 4 et p. 158 in simili causa est *Card. S. t. membr.* Iam nescio equidem quis Cardinalis dicatur, sed hoc video dici et Cardinalem et eius aliquam membranam, ut paululum admodum supersit ad omnem dubitationem eximendam. Quae si hac ratione non prorsus tolletur, id tamen certum erit, annalium Pighianorum exemplum male correctum, non cum fide ex lapide descriptum esse. Primum enim quaedam aperta sunt menda, ut illud quod est: *hoc anno quaestores creati*, quod ad annum

Itaque iam omissis annalibus Pighianis, in quibus ingenii non fidei Pighianae documentum extare censemus, reliqua fiunt quattuor ἀπόγραφα, Apiani, Farnesianum, quod Muratorius, fratris Iucundi, quod Donius, Pighianum, quod codex Pighii Berolinensis habet. Ex quibus quoniam tria edita usui virorum doctorum patent, Pighianum tamquam fundamentum disputationis nostrae hic subiicere placuit. Est igitur hoc:

TABELLA. FACTA. 'A. BELLO MARSICO

P. PETINIVS	P. PVBLILIVS AED
L. SAMPSONIVS	L. SCRIBONIVS
K. IVL.	PAVL. AEMILIVS
K. NOVEM	C. MEMMIVS
	M. HERENNIVS

BELLVM. ILLVRICVM

EX. K. IVL. AD. KAL. IVL

Q. LARCIVS	C. RVMEIVS IIVIR
M. METILIVS	L. ANNAEVS AED
C. ANNIVS	SEX. VETTIVS AED

EX. S. IVL. AD K. IVL

L. SCVTARIVS	M. CALPVRNIVS. Q.
IMP. CAESAR. III.	M. VALERIVS
K. MAI	T. TITVS
S. OCT.	CN. POMPEIVS

BELLVM ACTI.

EX. KAL. FEBR. AD K. IVL.

SEX. TITIVS	L. GEMINIVS IIVIR

HOC ANNO QVAESTORES CREATI

EX K. IVL. AD K. IVL.

C. SVLPICIVS	C. SALVIVS SVBVLCVS. Q.
IMP. CAESAR II.	L. VOLCAVIVS
K. IANVAR	P. AVTRONIVS
K. MAI	L. FLAVIVS
	C. PONTEIVS

34 pertinere docebitur, ad ann. 31 refertur, ut magistratus ann. 31 ita ordinantur, ut manifestum spatium relinquatur, quo nulli prorsus magistratus nominentur. Deinde fraudis etiam haec indicia teneo, et quod vs. 54, ubi omnia exempla habent *IIvir Q*, quia hoc minus intelligebat, delevit *Q.*, arbitratus opinor ex vs. 33 nomini Livii male adhaesisse quaestoris notam, et quod vs 45 et 46, quia M. Valerium Messalam in municipiis magistratus gerere non potuisse putabat, Valerios prorsus omisit, Messalae autem cognomen consuli ann. 31 addidit. Iam si constat emendasse Pighium, non alio exemplo usum esse nisi eo quod in codice eius manuscripto legitur, inde manifestum est, quod titulus ille inscriptioni praemissus *tabella facta a bello Marsico* in nullo alio reperitur.

K. IVL	M. ACILIVS
K. SEPTEMBR.	L. VINVCIVF
K. OCT	L. LARONIVS
EX S. IVL. AD K. IVL	
C. AEMILIVS	Q. PONTIENVS IIVIR
C. VALERIVS	C. TVRPILIVS AED
L. LIVIVS LIGVS	L. CORNELIVS Q
C. DOMITIVS	C. SOSIVS.
K. IVL.	L. CORNELIVS
K. NOV	M. VALERIVS
EX. K. IVL. AD. K. SEPT. PRAEFECTI	
T. LICINIVS	L. CORNELIVS
EX. S. SEPT. AD K. FEBR.	
C. PLOTIVS	C. ANNAEVS IIVIR
EX K. IVL. AD S. FEBR.	
P. SEXTIVS	Q. LVCCIVS AED
EX K. IVL. AD K. IAN	
L. SCVTARIVS	T. SEPVNIVS IIVIR
T. ANTONIVS	M. VALERIVS MESS AED
L. ANNIVS	C. VALERIVS Q.
IMP. CAESAR IIII.	M. LICINIVS
S. IVL.	C. ANTISTIVS
BELLVM	ALEXANDREAE
EID. SEPT	M. TVLLIVS
K. NOV.	L. SAENIVS
EX K. IAN. AD. K. IAN.	
L. CORNELIVS	Q. VETTIVS. IIVIR
C. CASSIVS	C. GEMINIVS NIGER. Q.
IMP. CAESAR. V.	SEX. APPVLEIVS
L. OPPIVS	L. LIVIVS. IIVIR. Q.
M. NARIVS	C. MESTRIVS. AED.
Q. PLESTINVS	SEX. FADIVS. Q.
IMP. CAESAR. VI.	M. AGRIPPA. II.
IDEM CENSORIA POTEST. LVSTRVM FECIT	
EX. K. IAN. AD. K. IVL.	
L. GAVIVS	C. GEMINIVS NIGER IIVIR
Q. CETRONIVS	C. CLODIVS AED

Reliqua autem exempla ab Pighiano hoc discedunt sic:

Vs. 1 omittunt omnia, nisi quod *bello Marsico* Apian. exhibet post vs. 9. Iuc. mutilum ab initio titulum esse significat. Vs. 2 Iuc. *Pecinius*, Apianus nomina aedilium non uno versu

iuxta, sed duobus divisa collocat. Vs. 3 Apian. *L. Sempro.* Vs. 4 Apian. *P. Aemilius.* Vs. 5 Apian. Iuc. Farn. *K. Novem.* ita collocant, ut vs. 6 sit atque ad M. Herennium modo pertineat. Vs. 7 Apian. *bellum Ilyliric.* Vs. 8 Apian. Iuc. Farn. *ad K. Iul.* Vs. 9 Apian. *Laertius* et *Cumeius.* Vs. 10 Apian. omittit pro vs. 19 inducens, eiusque loco habet *bello Marsico.* Iuc. *M. Memmius.* Vs. 11 Farnes. omittit, post vs. 19 collocans. Vs. 13 Iuc. *Scrutarius;* Apian. *Calphurnius,* Farn. *Calventius.* Vs. 14 Apian. *Im. Caesar;* Farnes. vs. 14 — 22 post vs. 46 coniicit. Vs. 15 Farnes. *Mais*, deinde *L. Titius*, Iuc. *T. Titius*, Apian. *M. Titus.* Vs. 16 Apian. cum antecedente coniungit exhibetque *C. N.* pro *Cn.* Vs. 17 omittit Apian. Vs. 18 Apian. Iuc. Farn. *K. Febr.* Vs. 19. Apian. pro hoc versu habet vs. 10, hunc versum collocans post vs. 41. Farnes. post hunc versum habet vs. 11. Vs. 20 Apian. *Questores.* Vs. 22 Iuc. *G. Sulpicius*, Apian. nomina quaestorum in duos versus dividit. Vs. 23—40 Farnes. collocat post vs. 13. Vs. 24 Apian. *K. Ian. P. Antonius.* V. 27 Apian. sic: *K. Iul. M. Atilius C. Fonteius*, omisso vs. 26. Iuc. *M'. Acilius.* Vs. 28 Apian. *K. Sep. L. Vinitius*, Farnes. *M. Vinucius.* Vs. 29 Farn. *Octob.;* Apian. *L. Laenonius.* Vs. 31 Apian. *Emilius;* Iuc. *C. Pontienus*, Farn. *Q. Pontianus.* Vs. 32 omittit Farn. Vs. 34 Apian. *G. N. Domitius. C. Sossius;* Farn. *Cn. Domitius.* Vs. 36 Apian. *N. Valerius.* Vs. 37 Apian. *K. Sep.*, Iuc. *Kal. Sept.* Vs. 39 Apian. *K. Iul.* pro *K. Sept.;* Iuc. hunc et insequentem versum prorsus omittit. Vs. 40 Apian. *C. Annaen*, Farnes. *C. Aimaeus.* Vs. 41 Apian. *Feb.* Vs. 42 Iuc. *Q. Lucceius.* Farnes. *C. Lucceius.* Apian. huic versui praemittit vs. 19, deinde habet *P. Sextilius*, altero nomine omisso. Vs. 44 Apian. *Sepimius.* Vs. 45 Apian. *M. Valerius Q.* ad insequentem versum aberrans. Vs. 46 Farn. *M. Valerius*, Apian. prorsus omittit confundens cum priore versu. Vs. 48 Farnes. *Kal. Iul.* Vs. 49 Apian. *Alexandriae*, ac dubium an sic etiam in Pighiano sit. Vs. 55 Apian. *Appulleius.* Vs. 57 Apian. *Neruis* et *Mestruis.* Vs. 58 Farn. *C. Plestinus;* Apian. *Sex Fabius.* Vs. 59 Apian. *N. Agrippa.* Vs. 60 Apian. totum omittit, Iuc. *Fecer.* Vs. 61 Farn. *K. Iun.* pro *Iul.* Vs. 62 Apian. *L. Genius*, tum *C. Geminius Nig.* omisso *II vir*, Iuc. Farn. *Nig. II vir.* Vs. 63 Iuc. Farn. *Centronius.*

Iam ex his lectionis varietatibus quattuor illa quae dixi exempla aestimantes intelligemus, Apiani exemplum, ut supra dictum est, ab homine et inscriptionum et antiquitatis prorsus imperito factum esse, sed qui tamen quicquid sibi invenire videretur, cum fide expresserit, quod genus exemplorum saepe solet esse utilissimum. Siquidem menda tam fere aperta sunt, ut vulnera pateant, quae sine fraudis metu, si litterarum similitudinem sequare, corrigi liceat. At fallacia ea, quae homo, antiquitatis peritus, sed fide carens, descripserit, ex quo genere est Farnesianum exemplum, quod Muratorius expressit, in quo dum series consulum recte constituitur, magistratus municipales prorsus confunduntur, quae magna significatio, etiam consules illos de coniectura esse constitutos. Eodemque pertinerent annales Pighiani, si iis ullam in hac

re fidem haberi liceret. Denique ex medio quodem genere eoque, quod plerumque in re epigraphica invenias, ut fidei aliquid sed non satis adhibitum sit, reliqua duo sunt ἀπόγραφα, fratris Iucundi et quod a Cardinale Marcello Cervino acceptum Pigbii codex exhibet, quod nos, ut breves simus, Pighianum appellabimus. Illud autem maxime observatione dignum, quod ex his quattuor auctoribus nemo visam a se esse ait ipsam tabulam, neque omnino ulla marmoris fit mentio nisi in fragmento illo Gruteriano, quod ab Erizzo petitum esse diximus.

Equidem tantam nobilissimae inscriptionis confusionem cum considerarem, quam ipsa consulum Romanorum commemoratione existimarem prohiberi debuisse, existere eam non potuisse intelligebam, si in marmore una et perpetua serie fasti consulum ac magistratuum municipalium continerentur. Nam quis quamvis negligens ita non unum aut alterum versum omittere (nam hoc quidem in longiore titulo oculis aberrantibus facile accidit), sed saepius complures versus, vel singulos vel binos vel ternos vel etiam plures, in alienum locum inserere potuit? Quare hos fastos in marmore per plures quasi ordines scriptos fuisse statuo ad eundem fere modum, quo fastorum Casinatium fragmentum, quod apud Fabrett. p. 485 est, per duos ordines distributum esse invenimus. Ii ordines, quia et litterae non eadem in omnibus versibus erant magnitudine et modo maius modo minus spatium inter singulos versus relinquebatur [1]), versibus impares erant, unde fiebat, ut, qui describerent, ab uno ordine ad alium aberrantes nec quae cohaererent, servarent et aliena inter se miscerent, eoque magis, quod veteres homines epigraphici, quid diceretur spectantes, initia et exitus versuum parum curare solebant. Quae cum ita sint, nulla alia ratione ad veram inscriptionis seriem pervenire poterimus, nisi ordines illos, per quos titulus descriptus erat, invenerimus, in quibus detegendis ab iis, quae in omnibus exemplis cohaerentia exhibentur, proficiscendum erit.

Iam igitur, si ab titulo quasi totius inscriptionis discedimus, de quo postea dicendum erit, in omnibus exemplis eodem ordine leguntur versus 2 usque ad 9, qui aediles anni 35 a. Chr., deinde consules anni 34, tum eiusdem anni IIviros municipales continent; insequens versus 10, cum apud Apianum post vs. 18, itemque vs. 11, qui in exemplo Farnesiano post vs. 19 collocatur, interim relinquendi sunt. Qui tum sunt versus 12 et 13, apud omnes coniuncti servantur, eodemque loco ponuntur. Post consules anni 31 et quod est *ex Kal. Febr. ad Kal. Iul.*, i. e. versus 14—18, apud omnes eadem ratione inter se coniuncti, sed in sche-

---

1) Hoc cum in multis similibus monumentis observatur, tum in hoc ipso significatur apud Apianum, qui et saepius maiora spatia inter versus relinquit et temporum, quibus quisque magistratus inierit, notationes bellorumque commemorationes maioribus litteris exprimenda curavit. Sed etiam Pighianum exemplum versus 1 et 7 tamquam grandioribus litteris scriptos refert, similiterque exhibet Donius ex fratris Iucundi schedis, ut unus Muratorius omnes versus eisdem litteris scribat.

dis Farnesianis cum suo loco collocentur, Iuc., Apian., Pigh. dum tertium consulatum Caesaris alteri praemittunt, aperte tempora confundunt. Tum vs. 19, qui Sex. Titium C. Geminium II viros habet, apud Apianum post vs. 41 collocatur, itemque versus 20—22, qui de quaestoribus primum creatis sunt, in schedis Farnesianis post vs. 46. Tum qui sunt de consulibus et magistratibus municipalibus anni 33 a. Chr. versus 23—33, etsi non apud omnes eodem loco ponuntur, inter se tamen apud omnes cohaerent aequaliter; anni 32 consules et praefecti a Kal. Iul. ad Kal. Sept., i. e. versus 34—38, item in omnibus exemplis pariter cohaerentes exhibentur, at qui insequuntur quattuer versus, varie et inter se et cum aliis miscentur. Quae reliqua sunt, habent illa quidem versu 53 vulnus, quod infra significabitur, sed recte tamen et eodem in omnibus exemplis ordine inveniuntur.

Ita cum ipsa membra inscriptionis malo disiecta repererimus, faciendum erit, ut ea apte componamus, qua in re consulum Romanorum nomina, quorum anni noti sunt, nos et adiuvabunt et ab omni errore prohibebunt. Primum igitur observo, in iis versibus, qui quasi vagi sunt, bis commemorari quaestores, vs. 12 et 13 L. Scutarium M. Calpurnium, et vs. 20—22 C. Sulpicium C. Salvium Bubulcum, utrosque a Kal. Iul. ad Kal. Iul. Iam quaestores noti sunt anni 33 (vs. 33) L. Livius Ligus L. Cornelius, noti item anni 31 (vs. 46) L. Annius C. Valerius; nam utroque loco omnia in omnibus exemplis pariter connexa exhibentur; reliqui igitur cum sint anni 34 et 32, quo referri debeant, in altero pari, C. Sulpicio C. Salvio Bubulco, apponitur, illo anno quaestores creatos esse, quo infra demonstrabimus significari, illo anno omnino primum creari coeptos esse, ut iam dubium esse nequeat, quin hoc par ad ann. 34, alterum L. Scutarii M. Calpurnii ad ann. 32 pertineat. Ipso autem hoc anno 32 noti iam sunt praefecti pro IIviris a Kal. Iul. ad Kal. Sept., noti quaestores a Kal. Iul. ad Kal. Iul., quos quidem quaestores recte prorsus ii insequentis anni excipiunt, qui vs. 46 nominantur. Desunt igitur, cum ex vs. 18, qui in omnibus apographis cum consulibus anni 31 coniungitur, intelligamus vel IIviros vel praefectos eorum loco et aediles anno 32 factos esse ad Kal. Febr. insequentis anni, IIviri a Kal. Sept. ad Kal. Febr., aediles a Kal. Iul. ad Kal. Febr., quorum commemoratio invenietur in versibus 39—44, qui in Pighiano et Farnesiano exemple recte servantur, apud Fr. Iucundum duobus versibus prorsus omissis, apud Apianum varie errore turbantur. Ita fit, ut expleto anno 32, desiderentur anno 34 aediles, anno 31 IIviri et aediles. Iam IIviri in promptu sunt vs. 19 Sex. Titius L. Geminius, in aedilibus, qui vs. 10 et 11 referuntur, dubitatio quaedam oriri poterit; sed nos ex satis idonea causa, quam statim explicabimus, vs. 11, L. Annium Sex. Vettium ad ann. 34, vs. 10, M. Metilium L. Annaeum ad ann. 31 referemus.

Nimirum quoniam iam series totius inscriptionis, quam esse prorsus opertet, ita explicata est, ut nihil dubii superesse possit, relinquitur, ut ordines, per quos titulus scriptus erat, inveniantur, qui inter se confusi describentes deceperint, ut diversa miscerent. Quod igitur

est in Pighiano exemplo, praemissum toti titulo: ***Tabella facta a bello Marsico***, id in Iucundi et Farnesiano exemplo abest, fortasse quia temporis iniuria detriverat, in solo Apiani exemplo vetustissimo superest ***bello Marsico***, sed post vs. 9 (tabulae emendatae et recte digestae, his enim numeris inde ab hoc loco utemur), ut ea quae sunt vs. 7 et 39, non pro titulo totius inscriptionis collocatum. Ibi eum ferri prorsus nequeat, error ille iudicandus, qui quomodo acciderit, explicare nequeas, nisi inde a vs. 11 novum ordinem, sive si minus Latine dici placet, columnam coeptam esse statuas. Huic ordini quod superscriptum erat ***bello Marsico***, Pighii auctor peritior ad totum titulum pertinere intellexit, Apiani imperitior in mediam inscriptionem inseruit. Porro quarti ordinis initium vs. 34, exitum vs. 42 fuisse statue. Sic multa explicantur, primum, quomodo in exemplis Pighii, Iucundi, Farnesiano vs. 42 adiunctus sit versui 9; nam ille cum paululum infra proximum antecedentem extaret, trium illorum exemplorum auctores ad primum ordinem pertinere censebant. Solus Apianus suo loco servans aliter tamen peccat; siquidem vs. 41 in tertium ordinem post vs. 32 iniecit. Deinde omnis illa consulum Romanorum confusio ita videtur accidisse, ut post vs. 10 ad versum 34 aberraretur, quia, opinor, vs. 10 paululum ex reliquo ordine excederet. Alterius et tertii ordinis confinia difficilius est reperire, sed esse tamen statuo in vs. 23, quem in Farnesiano exemplo desiderari videam. Denique quintum ordinem vs. 53 exire inde intelligo, quod post eum lacuna statuenda, quae nisi aut in exitu, aut, quod propter ordinem primum item a principio mutilum malo, ab initio ordinis esset, in omnibus pariter exemplis praeteriri non potuit.

Sic igitur haec quam subiecimus, totius inscriptionis forma nascitur, in qua si cui nostra ordinum divisio minus probabilis videatur, non defendimus pertinaciter. Nimirum ad augendam atque adiuvandam confusionem etiam hoc videtur accessisse, quod fractum esset marmor; particulam certe inscriptionis tamquam peculiarem titulum ex Erizzi libro apud Gruterum exhiberi vidimus. Unum autem fateor me mea in ratione ipsum mirari esse solitum, quomodo accidisset, ut tres homines (tot enim in consulum serie digerenda peccant), etiamsi facile esset ordines confundere, eadem tamen ratione confunderent. Etenim Apiani et fratris Iucundi et Pighii exempla ita inter se discrepant, ut ab uno quasi αὐτογράφῳ hominis, qui ipsum marmor viderit, repeti prorsus nequeant. Quare cum plures utique descripserint, error necesse est exierit ab eo, qui lapidem invenit, qui dum restituere vult, disiecta membra male coagmentarit. Multaque similia animo cogitabam, quae persequi non opus est. Nam utut de origine erroris iudicabitur, et erratum esse constat et totam tituli perpetuitatem, quam descripsimus, tuto praestari posse existimamus.

[TABELLA FACTA]

P. PETINIVS P. PVBLILIVS AED
L. SEMPRONIVS L. SCRIBONIVS
K. IVL. PAVL. AEMILIVS
C. MEMMIVS
K. NOVEM. M. HERENNIVS

BELLVM ILLVRICVM

EX. K. IVL. AD. K. IVL.
Q. LARCIVS C. RVBEIVS IIVIR

A' BELLO MARSICO

C. ANNIVS SEX. VETTIVS. AED
HOC ANNO QVAESTORES CREATI
EX. K. IVL. AD. K. IVL.
C. SVLPICIVS C. SALVIVS SVBVLCVS. Q.
IMP. CAESAR II L. VOLCATIVS
K. IANVAR. L. AVTRONIVS
K. MAI. L. FLAVIVS
C. FONTEIVS
K. IVL. M'. ACILIVS
K. SEPTEMBR. L. VINICIVS
K. OCT. L. LARONIVS
EX. K. IVL. AD. K. IVL.
C. AEMILIVS Q. PONTIENVS IIVIR
C. VALERIVS C. TVRPILIVS AED

L. LIVIVS. LIGVS L. CORNELIVS Q
CN. DOMITIVS C. SOSIVS
K. IVL. L. CORNELIVS
K. NOV. N. VALERIVS
EX. K. IVL. AD. KAL. SEPT. PRAEFECTI
T. LICINIVS L. CORNELIVS
EX. K. SEPT. AD. KAL. FEBR.
C. PLOTIVS C. ANNAEVS IIVIR
EX. K. IVL. AD. KAL. FEBR.
P. SEXTIVS Q. LVCCEIVS AED

EX. K. IVL. AD. K. IVL.
L. SCVTARIVS M. CALPVRNIVS Q
IMP. CAESAR. III M. VALERIVS
K. MAI. M. TITIVS
K. OCT. CN. POMPEIVS

BELLVM. ACTI

EX. K. FEBR. AD. K. IVL.
SEX. TITIVS L. GEMINIVS IIVIR
T. METILIVS L. ANNAEVS AED

EX K. IVL. AD K. IAN.
L. SCVTARIVS T. SEPVNIVS IIVIR
T. ANTONIVS M. VALERIVS. MESS. AED
L. ANNIVS C. VALERIVS Q.
IMP. CAESAR IIII. M. LICINIVS
K. IVL. C. ANTISTIVS
BELLVM. ALEXANDREAE
EID. SEPT. M. TVLLIVS
K. NOV. L. SAENIVS
EX. K. IAN. AD. K. IAN.
L. CORNELIVS Q. VETTIVS IIVIR

. . . .
C CASSIVS C. GEMINIVS. NIGER Q.
IMP. CAESAR. V. SEX. APPVLEIVS
. . . .
. . . .
L. OPPIVS L. LIVIVS IIVIR Q
M. NAEIVS C. MESTRIVS AED
Q. PLESTINIVS SEX. FADIVS Q.
IMP. CAESAR VI M. AGRIPPA II
IDEM. CENSORIA. POTESTATE. LVSTRVM. FECER.
EX. K. IAN. AD. K. IVL.
L. GAVIVS C. GEMINIVS NIG. IIVIR
Q. CETRONIVS C. CLODIVS AED
. . . .

Iam antequam ad explicationem monumenti nobilissimi aggrediamur, dicendum erit de loco, ubi inventum esse videatur. De qua re nuper modo ab Avellino Cl. V. eo, qui supra citatus est, loco dubitatio mota est. Nam cum Apianus locum nullum indicet, titulo, quem ad magistratus Romanos pertinere existimaret, inter inscriptiones urbis Romae relato, Pighius et in exemplo manuscripto et in annalibus extare ait *Capuae in castro apud ducem Calabriae*, unde communis omnium fuit opinio, monumentum ad celeberrimam coloniam Campanam esse referendum. Verum quia schedae Farnesianae apud Muratorium habent: *apud ducem Calabriae in castro Capuano*, Avellinus dubitare coepit, an castrum Capuanum intelligendum esset alterutrum ex duobus castris, quae Ferdinandus I, Arragoniae rex idemque Calabriae dux, prope Neapolim habuit, ex quibus alterum extra portam Capuanam eius civitatis erat. Sic quoniam incerta fiat civitas, cuius illi fasti fuerint, quod Gavii et Fadii inter magistratus municipales commemorentur, viro doctissimo suspicio orta est, ut ad Paestanam coloniam referret, in qua illas gentes floruisse constaret. Equidem cum intelligam, quomodo, si Capuae esset lapis, in schedis Farnesianis dici potuerit extare in castro Capuano, non intelligam, quomodo eundem, si prope Neapolim esset, Capuam referre potuerit Pighius, parum certo hoc quidem documento Avellini suspicionem niti iudico. Neque gentis unius aut alterius, quae Paesti floruerit, commemoratio tantum valere debebit, ut ideo totum titulum ad eam civitatem referamus. Quoties enim factum esse scimus, ut iidem homines in pluribus, praesertim vicinis, civitatibus honores gererent? At maxima veteris opinionis documenta cum ex aliis, tum ex iis quae vs. 20 sunt, colliguntur, de quibus infra disputabimus.

Quid autem statuamus de titulo, qui toti monumento praemittitur a Pighio, *tabella facta a bello Marsico?* Neque enim credere possum Avellino eiusmodi quicquam in tabula fuisse neganti aseriptaque omnia ab aliquo, quid sequeretur, indicaturo. Nam quis, quaeso, vel paululum antiquitatis peritus, si haec legeret, de bello Marsico cogitaret, quod nullum prorsus illo tempore gestum esse constat? Quis ipse tale quid inveniret? Quamquam in ipsis illis quaedam minus Latina esse non dissimulo. Nam nec Latine illa potest appellari *tabella*, quae *tabula* certe debebat vel similiter, nec recte dicitur tabella facta esse a bello Marsico, cum non tempus, per quod inscripta sint nomina, significetur, sed qui inde a bello Marsico fuerunt municipales magistratus, referri videantur. Quare illud quod est de tabella facta, de suo apposuit aliquis, ut, quae vero invenerat, expleret aliquamque sententiam efficeret. Reliqua autem *a bello Marsico* ita in marmore fuisse iudico. Primum A praepositio accentu imposito notatur apud Pighium (cf. Iahn. Spec. epigraph. p. 116), neque eum de suo ingenio quisquam invenisset. Deinde illud quod est *bello Marsico*, Apianus in mediam inscriptionem post vs. 9 insertum habet, quo loco cum nulla belli Marsici significatio ferri queat, propterea quod neque ullum per ea tempora in Marsis bellum gestum est et, si esset gestum, eius memoria

inter magistratuum municipalium nomina poni non debebat, statuendum est fuisse pro inscriptione totius tituli. Nam Apiani auctor per totum exemplum non eum se ostendit hominem, qui ullius scientiae ostentator fuisse aut quicquam de suo adiecisse videatur, ut non debeat totum pro commento haberi. Qui autem Pighiani exempli auctor erat, cum ea quae vere supererant, iusta sententia carere intelligeret, facile induci poterat, ut, quia hos fastos in tabella marmorea scriptos esse videbat, suo Marte *tabella facta* adderet. Quod ita accidisse etsi mihi prorsus persuasi, ipse tamen, quae temporis iniuria perierunt, explere non audeo. Illud unum commemoro, cum principium sexti ordinis mutilum esse infra demonstraturi simus, videri non initium modo, verum etiam exitum tituli interisse.

Quid autem? Si fasti hi sunt coloniae Campanae, id quod secundum ipsam auctorum, qui tradiderunt, fidem statuendum esse docuimus, quomodo ulli potuerunt inde a bello Marsico Capuae esse fasti, cum ne magistratus quidem ulli erant? Etenim notum est, antequam ea colonia a Caesare deducta est, nullos fuisse Capuae magistratus, nullum senatum, nullum consilium commune, nulla denique reipublicae insignia (Cic. in Rull. I, 6, 18 sqq.). Nec sane praefecti Roma missi, qui per agrum Campanum iuri dicundo praeerant, videntur in fastis publicis enumerati esse, propterea quod non a populo Campano electi, sed iure imperii impositi pro iustis magistratibus haberi non poterent. Sed tamen in ipsa belli Marsici commemoratione, inde a quo fasti hi dicuntur esse confecti, haud dubiam equidem deprehendo significationem, quare ad Campanam coloniam pertinere eos censeam. Si temere quis putet ab bello Marsico inceptos esse fastos, non habeo amplius quod dicam; nam temeritatis nulla potest reddi ratio. Sin certa quaedam eius rei fuit causa, eam hanc fuisse necesse est, quod civitas, cuius hi sunt fasti, per ipsum illud tempus aut condita sit, aut eam reipublicae mutationem subierit, quae novae quasi aerae instituendae rationem praeberet. Iam bellum Marsicum quaeque subsecutae sunt leges de civitate sociis danda, magnam multis civitatibus iuris mutationem attulerunt, sed si magnae Graeciae urbes foederatas excipies, non magnam ipsius reipublicae. Etenim cum civium colonias veteres nihil motas esse constet, Latinae coloniae ac civitates quaeque per eam regionem, ad quam referri hos fastos necesse est, sociorum fuerant oppida, quos antiquitus habuerant magistratus, eosdem fere servarunt. At Capuae urbis condicio temporibus belli Marsici magnopere mutata est. Testis est Cicero in Rull. II, 33 et 34, qui adolescente se narrat M. quendam Brutum de colonia Capuam deducenda tulisse; esse deinde deductam coloniam creatosque IIviros sive praetores (sic enim nominatos esse scribit) L. Considium et Sex. Saltium. Nec vero constitisse coloniam, sed et ipsam sublatam et omnes, qui aliquam illius deductionis partem attigissent vel honores in nova colonia cepissent, acerbissimas poenas pertulisse. Hoc quia illis temporibus nisi publica aliqua calamitate accidere non potuit, colligitur, coloniam a Marianis institutam, a Sulla disiectam

esse [1]). Nec vero vacuus relictus est ager, quem Mariani colonis occuparent; nam Plin. nat. hist. XIV, 8, 62 testatur ab L. Sulle ibi coloniam constitutam, sic dicens: ***Falernus ager a ponte Campano laeva petentibus Urbanam coloniam Sullanam, nuper Capuae attributam, incipit.*** Quaeritur, quid ***nuper*** dicat Plinius. Potest aut Neronis tempora dicere, a quo Capuam constat veteranis additis esse firmatam aut, quod magis equidem credo, imperatoris Augusti, qui cum coloniam e patre deductam denuo constitueret, etiam Sullanam veterem coloniam, exiguam, ut opinor, et parum frequentem addiderit. Intelligitur igitur, inde a bello Marsico Capuae vel in agro Campano, qualis Augusti vel Neronis temporibus fuit, nunquam defuisse magistratus municipales, quorum nomina in tabulis publice inscribi attineret. Quamquam apparet quantopere dolendum sit, quod haec, quae si superessent magnam hominum doctorum de colonia Campana dissensionem levare poterant, in nobilissimo monumento perierunt, ex quo quod haec pauca ad nos pervenerunt, in magna quadam felicitatis parte ponendum esse arbitror.

Sequitur, ut de tempore dicamus, quo fasti hi confecti esse videantur. Qua in re molestum sane est, quod nec marmor ipsum superest, ex quo intelligi possit, cuius formae sint litterae, utrum eiusdem omnes aetatis, an aliae alius, unde iudicare possemus, utrum eodem toti fasti tempore scripti essent, an alia alia pars, nec qui olim marmor descripserunt, quod nonnunquam facere solent, quicquam de litterarum forma tradiderunt. Hoc unum tamquam certum ponere poterimus, tabulam non ante Imperatoris Augusti aetatem scribi coeptam; nam praepositioni A, quae in titulo totius inscriptionis invenitur, accentus imponitur, id quod liberae reipublicae aetate rarissimo vel nunquam factum esse docuerunt Marin. Act. fratr. Arv. p. 710 et Borgh. Diurn. Arcad. 1822, 3 p. 54. Etsi hoc quidam parum per se probabile erat, per diuturna illa bella civilia, quae Augusti imperium antecesserunt, cum aliae curae animos hominum occuparent, tantum diligentiae esse adhibitum, ut iusti fasti conscriberentur. At postquam Augustus et universam rempublicam et Campanam coloniam denuo constituit, veri est sane simile studuisse homines etiam antiquitatis memoriam conservare. Ac mansit hoc studium diu, siquidem Casinatis coloniae festorum fragmentum invenitur apud Fabrett. p. 485, 159, quod in Vespasiani tempora incidit, ut hi Campanae coloniae fasti per longum fortasse temporis spatium producti fuerint.

Iam reliquam nostram disputationem ita dividemus, ut primum de rebus ad universam rempublicam Romanam pertinentibus, quae in hoc marmore commemorantur, dicamus, deinde

1) Ad ipsum illum M. Brutum, coloniae auctorem, refero, quod Cic p. Quict. 20, 65 aun. 83 a. Chr. M. quendam Brutum tribunum plebis fuisse ait. Idem quam tristi fato perierit, narrant Liv. epit. libr. 89 et Appian. bell. civ. I, 95.

de rebus municipalibus coloniae Campanae. In illa autem parte imprimis de consulatibus disputandum erit, quorum adeo explicata est memoria, ut eam ob rem merito non parvam haec tabula apud viros doctos laudem invenerit. Ac eum septem omnino annorum, qui sunt inde ab ann. 720 ab urb. (34 a. Chr.) usque ad ann. 726 ab urb. (28 a. Chr.), consulatus in hoc fragmento commemorentur, quattuor primi ex iis ideo notabiles sunt, quod iam ann. 39 in pace cum Sex. Pompeio facienda ab Antonio, Octaviano, ipsoque Pompeio destinati sunt. Qua de re ita narrat Appian. bell. civ. V, 73: Ἀπέφηναν δὲ τῆς ἐπιούσης ὑπάτους ἐς τετραετὲς, Ἀντώνιον καὶ Λίβωνα πρώτους, ἀντικαθιστάντος ὁμοίως Ἀντωνίου ὃν ἂν βούλοιτο· ἐπὶ δ'ἐκείνοις Καίσαρά τε καὶ Πομπήιον, εἶτα Ἀηνόβαρβον καὶ Σόσσιον, εἶτ' αὖθις Ἀντώνιόν τε καὶ Καίσαρα, τρίτον δὴ τότε μέλλοντας ὑπατεύσειν. A quo discedens Dio Cass XLVIII, 35 antequam de pace cum Sex. Pompeio ad Misenum facta narrat, sic ait: ἀφ' οὗπερ καὶ ἀρχὰς ἄλλας τε ἐπὶ πλείω ἔτη καὶ τὴν τῶν ὑπάτων ἐς ὀκτὼ ὅλα προκατεστήσαντο, τοὺς μὲν ἀμειβόμενοι τῶν συναραμένων σφίσι, τοὺς δὲ ὑπαγόμενοι [1]). Haec cum inter se pugnare videantur, omnis ratio magistratuum, quae inde ab anno 43, quo Antonii, Octaviani, Lepidi triumviratus institutus est, usque ad pugnam Actiacam fuerit, explicanda est, et quidem eo magis, quod quae eadem de re docte sane ac subtiliter disputavit Bartolomaeus Borghesius, summus apud Italos rerum antiquarum iudex, in Observationum numismaticarum dec. XVI obs. V. (in Diurn. Arcad. 1828, 4 p. 196 sqq.), non omnia probari posse existimamus: cui tanto viro qui aliqua in re adversari velit, eum et uti oportet rationibus multis ac magnis et explicare eas ad fidem hominibus faciendam. Nimirum ille testimonia secutus et nummorum nonnullorum et fastorum Capitolinorum alterum triumviratus ab Antonio, Octaviano, Lepido gesti quinquennium coeptum esse statuit a. d. V. Kal. Dec. ann. 716 ab urb. (38 a. Chr.): quod si accipietur, tempus illius quinquennii pridie Kal. Ian. ann. 32 a. Chr. exierit ipsoque hoc anno 32 nec Antonius nec Octavianus (nam Lepidus ann. 36 omni potestate spoliatus ad privatam conditionem redierat) ullam legitimam potestatem habuerit. Etenim hoc constat non ultra decem annos IIIviratum reipublicae constituendae esse extractum, quod de re Sueton. in Aug. c. 37 clare prorsus et ita ut dubitatio nulla relinquatur, dicit. Iam quia Caesarem anno 32, cum tantum M. Antonii bellum impenderet, nulla putabit legitima potestate fuisse ornatum? Nam de nullo alio, qui tum ei delatus sit, magistratu traditur. Nec quod Eckhel. Doctr. Num. Vol. VI p. 78 existimat, probari potest, qui Caesarem ait, quoad Antonius vixit, potestate IIIvirali usum esse, nescio quo auctore. Certe enim Tac. Annal. I, 2, leviter Octaviani res gestas perstringens: *Postquam Bruto et Cassio caesis nulla iam publica arma*

---

1) Itemque Dio Cass. L, 10, de cos. ann. 31. a. Chr. dicens ait: ἦσαν μὲν ὕπατοι ἐς τὸ ἐχόμενον ἔτος ὅ τε Καῖσαρ καὶ ὁ Ἀντώνιος προαποδεδειγμένοι τότε ὅτε ἐς τὰ ὀκτὼ ἔτη τὰς ἀρχὰς ἐξάπαξ προκατεστήσαντο cet.

Pompeius apud Siciliam oppressus exutoque Lepido, interfecto Antonio ne Iulianis quidem partibus nisi Caesar dux reliquus, posito triumviri nomine consulem se ferens cet., non ita intelligendus est, quasi IIIviratum ab Caesare demum interfecto Antonio depositum esse tradiderit, quod qui crederet, non per decem annos, ut Suetonius ait, sed per plus quam duodecim eum illvirum fuisse statueret. Antonium quidem videmus etiam ann. 31 a Chr. in nummis appellari IIIvirum reipublicae constituendae (Eckhei. i. i. p. 48), sed nimirum quia sibi ipse eam potestatem iniussu populi prorogarat, siquidem eodem anno etiam consulatum tertium, olim sibi destinatum sed deinde lege ademptum, vere gessit in nummisque suis ostendit. At Caesar, qui adeo legum populique observans videri vellet, ut, postquam Lepidum de IIIviratu deiecit, ipse retenta potestate nunquam IIIviri nomen usurparet, nec gerere potuit potestatem, quam non rite accepisset, et ann. 32 gerere debuit. Quae cum ita sint, relinquitur difficultas de altero illviratus quinquennio sane non parva, quam componi ad ipsam hanc, de qua disputatio nostra suscepta est, inscriptionem pertinet.

Ac de primo quidem IIIviratus quinquennio prorsus constat. De eo enim Dio Cass. XLVI, 55 in foedere Mutinensi exponende sic tradit: Κοινῇ μὲν τοὺς τρεῖς πρός τε διοίκησιν καὶ πρὸς κατάστασιν τῶν πραγμάτων, ἐπιμελητάς τέ τινας καὶ διορθωτάς, καὶ τοῦτο οὐκ ἐς ἀεὶ δῆθεν, ἀλλ' ἐς ἔτη πέντε, αἱρεθῆναι· ὥστε καὶ τὰ ἄλλα πάντα, κἂν μηδὲν ὑπὲρ αὐτῶν μήτε τῷ δήμῳ μήτε τῇ βουλῇ κοινώσωσι, διοικεῖν καὶ τὰς ἀρχὰς τάς τε ἄλλας τιμάς, οἷς ἂν ἐθελήσωσι, διδόναι, ac longe accuratius Appianus bell. civ. IV, 2 καινὴν δὲ ἀρχὴν ἐς διόρθωσιν τῶν ἐμφυλίων νομοθετηθῆναι Λεπίδῳ τε καὶ Ἀντωνίῳ καὶ Καίσαρι, ἣν ἐπὶ πενταετὲς αὐτοὺς ἄρχειν, ἴσον ἰσχύουσαν ὑπάτοις· τοὺς δὲ ἀποφῆναι μὲν αὐτίκα τῆς πόλεως ἄρχοντας ἐς τὰ ἐτήσια ἐπὶ τὴν πενταετίαν cet. Cf. Dion. XLVII, 2 et App. IV, 7. Atque tempus huius quinquennii finitum esse constat ex lapide Colotiano ex a. d. v. Kal. Dec. ann. 43 usque ad prid. Kal. ian. ann. 37, in quo animadvertimus tempus hoc, etsi triginta quinque diebus quinque annos excedebat, ab omnibus tamen scriptoribus appellari quinquennium. Neque dubium esse debet, quin quinquennium, in quod magistratus soliti reipublicae tunc designati sunt, eorundem annorum usque ad annum 37 intelligendum sit. Itaque, ut ann. 43 exeunte designati erant, inierunt anno 42 L. Munatius Plancus M. Aemilius Lepidus II, ann. 41 L. Antonius Pietas P. Servilius Vatia Isauricus II, reliquorum trium annorum consules procedere prohibebat bellum Perusinum, quo Octaviani et Antonii amicitia turbata est. Quamquam ann. 40 qui fuerunt consules Cn. Domitius Calvinus ii C. Asinius Pollio, ex vetere pacto videntur facti esse; nam Asinius quidem partium Antonianarum erat et a Caesare Italia pulsus est (Appian. bell. civ. V, 50 et 64), ut ab hoc constitutus esse videri nequeat. Praeterea restituta amicitia Cn. Domitio et C. Asinio abdicare coactis suffecti sunt L. Cornelius Balbus et P. Canidius Crassus, illo Caesaris intimus amicus, hic Antonii insignis adiutor. Perusinum igitur bellum turbaverat, quae antea ann. 43 de consulatibus constituta erant, quia eo nonnul-

lorum amicorum mala fides apparuarat, ut Caesar Q. Salvidienum Rufum, quem consulatui illorum annorum destinarat, interfecit (Dio XLVIII, 33; App. bell. civ. V, 66; Suet. Aug. 66). Quare iam necesse erat, a IIIviris cum pace foedere Brundisino restituta ipso anni 39 principio in urbem redissent, denno consulatus ordinari, ac Dio quidem eo, quem supra diximus, loco octo tum annorum consules designatos esse scribit. Sed cur tamen in octo maxime annos consules designare statuerunt? Sic existimo. Duo tum prope integri anni de priore IIIviratus quinquennio, quod usque ad prid. Kal. Ian. ann. 37 pertinebat, supereraot. Iam si IIIviros simul de altero quinquennio inde a Kal. Ian. ann. 37 usque ad pridie Kal. Ian. ann. 32 sibi prorogando cogitasse statuas (nec probabile est eos, cum amicis et necessariis summos honores darent, suae potestatis esse oblitos), efficiuntur septem anni: quare si octavi, qui sequebatur, anni consules item designabant vel (sic enim credo) hunc sibi ipsis consulatum reservabant, futurum erat, ut non modo, quam diu potestatem IIIviralem retenturi erant, rempublicam in potestate sua tenerent, sed etiam securo potestate abire possent; nam consulari potestate exacta ipsum consulatum accipiebant eodemque modo postea IIIviros potestatem suam abdicaturos egisse videbimus. Hac igitur tunc ratione IIIviri ducebantur nec dubium esse debet, quin octo annorum, qui inde ab anno 38 usque ad ann. 30 pertinebant, consules designarint populique deinde suffragiis confirmandos curaverint. Etsi enim legitime prorsus agebant IIIviri, si non sibi modo ipsis potestatem prorogarent, verum etiam aliis inconsulto populo honores deferrent (nam hoc iis ius, cum constituerentur, lege delatum esse narrat Dio Cass. XLVI, 55), honestior tamen erat species, si populum non negligerent. Utrum sibi quoque suam tunc potestatem lege prorogarint nec ne non discerno, sed magis tamen voluisse quam fecisse credo; nam App. bell. civ. V, 95 et Illyr. c. 27, quos locos infra citabimus, antequam potestatem sibi vere prorogarent, prius IIIviratus quinquennium axisse aperte testatur itemque Dio XLVIII, 54. In illis autem, qui tunc octo annorum consules designati sunt, fuit M. Agrippa, Octaviani amicus, qui honorem iniit Kal. Ian. ann. 37. Quare ad hoc quod proximo pacem Brundisinam insecutum est tempus refereodos esse statuo nummos aureos M. Agrippae, qui nummi Borghesio occasionem totius suae disputationis dederunt. In eorum parte aversa inscribitur M. AGRIPPA. COS. DESIG., in adversa est caput iuvenilo lauro ornatum astroque fronti superposito cum hac inscriptione IMP. DIVI. IVLI. F. ITER. IIIVIR. R. P. C., de quibus nummis iam antea Borghesius dixerat in disputatione de gente Arria p. 78, cum contra reliquorum numismaticorum sententiam illud caput non Octaviani, sed dictatoris Caesaris esse iudicavit. Quod ipsum cum minus recte iudicatum esse ex iis, quae deinde exponentur, eluceat, hoc loco summi viri de ipsa inscriptione nummorum sententiam persequamur, quam parum veram esse intelligimus. Etenim cum partis adversae inscriptionem interpretetur do Caesare Octaviano IIIviro reipublicae constituendae iterum, in maximas angustias delabitur. Nam cum M.

Agrippam iniisse consulatum constet Kal. Ian. ann. 37, priorem autem triumviralem Caesaris potestatem pertinere usque ad Kal. ian. eiusdem anni ex tabnls Colotiana certum sit, nodus inexplicabilis oritur, quem satis violenter Borghesius diremit. Cum enim alterum IIIviratus quinquennium coeptum esse statuit a. d. V. Kal. Dec. anni 38, ut intra hunc diem et Kal. Ian. insequentis anni illos nummos collocet [1]), non solum eum scriptorum, qui a nobis citabuntur, satis testata auctoritate pugnat, verum etiam novo prorsus et inaudito more apud Romanos factum esse statuit, ut qui honore nondum exacto novum honorem aliquem adeptus esset, necdum adisset, eum ex novo potius quam ex vetere honore appellatum esse existimet. Quasi vero unquam fiat, nt Octavianus, qui multo ante cos. III designatus est, in secundo consulatu appelletur consul tertium vel imperator aliquis tribuniciam potestatem non eius, quo maxime scribit anni, sed insequentis sibi addat, quod qui fieri unquam potuisse putabit, omnem omnino temporis notationam tollat. At enim hoc Borghesius cum insolitum fuisse libertatis tempore concedat, hac Augusti aetate nonnunquam accidisse dictatoris Caesaris exemplo demonstrare studet, qui quia anno 46 a. Chr. dictator primum in decem annos, deinde in perpetuum dictus sit, eodem anno dictator III et IV appelletur in fastis Capitolinis. Quod quidem exemplum longe ab re alienum. Nam Caesar antequam dictaturam perpetuam iniit, decennali sese abdicavit, ut non intra prioris honoris spatium alterius nomen male usurparit, sed vere ac rite duos diversos eodem anno honores gesserit. Nimirum omnis hic summi viri error ex mala interpretatione nummorum illorum aureorum ortus est. Quos qui ita explicat, nt de altero III viratu dici putet, Latinitatem violat. Quis enim unquam dixit, nt simile exemplum afferam, *iterum consulem*, nisi ubi alterum consulatum vel primo vel tertio vel alii opponeret? Id quod in nummi inscriptione statui nequit. Sollemne igitur est dicere *consulem iterum*. Cum autem honoris nomen duabus quasi quibusdam partibus constat, quarum posterior vel dativum gerundii vel genitivum substantivi vel adiectivum continere solet, iterati honoris nota vel toti honoris titulo postponitur vel in medium inseritur; quare duplici modo dicitur, aut *II vir II iuri dicundo* aut *II vir iuri dicundo II*, aut *quaestor II pecuniae publicae* aut *quaestor pecuniae publicae II*, aut *II vir II quinquennalis* aut *II vir qq. II*. Haec constans ac perpetua atque in ipsa natura rei sita consuetudo est et nummorum et inscriptionum. Oportebat igitur esse aut *IIIvir iterum rei publicae constituendae*, ut in nummis est apud Eckhel. Doctr. Numm. VI p. 75, aut *IIIvir rei publicae constituendae II*, ut in fastis scribi infra videbimus. Verum etiamsi alterutro modo in his, de quibus dicimus, nummis scriptum esset,

---

1) Eademque est in sententia Celest. Cavedonius in libro Italice scripto: Dichiarazione degli antichi marmi Modenesi (Modena 1828) p. 44, ubi de eiusdem generis nummis aureis prope Mutinam inventis disputat.

magnam tamen Borghesio dubitationem afferre debebat ipsum Octaviani nomen IMP. DIVI. IVLI. F. Nam esse oportebat IMP. CAESAR. DIVI. IVLI. F. Nimirum hoc ut intelligatur, paulo altius repetendum est de origine totius imperatorii nominis, quo ii, qui inde ab dictatore Caesare reipublicae Romanae praefuerunt, usi sunt. Nam dictatori Caesari anno 46 inter multos et ingentes honores hoc tributum est, ut Imperator appellaretur, non ea ratione, qua veteribus temporibus qui suis auspiciis exercitui praeerant victoriamque reportarant dicebantur, sed nova prorsus adiectumque, ut filii eius posterique eodem nomine uterentur. Multa de hac potestate imperatorii tituli exponit Dio Cass. XLIII, 44. Ut olim qui aliqua re excelluerant, ex ea cognomen sumere solebant, quod ad posteros propagabatur, unde Pompeii Magni, Scipiones Africani dicebantur, ita tunc dictatori propter eximiam eius imperatoriam artem praenomen *Imperator* datum; nam vere sic praenomen vocat Sueton. Caes. 76 et Claud. 12. Quare cum anno 44 Octavianus adoptionem suam lege confirmandam curasset, rite praenomine et nomine appellabatur *Imperator Caesar* idque adeo ei placuit, ut continuo ita se nominari iuberet. Latius enim patet, quod Eckhel. in Doctr. Numm. VI p. 83 observat, qui eum in nummis eum Imp. Caesarem vocari videret, inde ab anno 39 usque ad ann. 36, dubitabat, an ita ex honore patri tributo appellaretur. Nam publice non multo post mortem patris sic esse appellatum docet tabula Colotiana, in qua eum inter consules suffectos anni 44 vocetur *C. Iulius Caesar*, dein IIIviri ita recensentur:

M. AEMILIVS. M. ANTONIVS. IMP. CAESAR. IIIVIR. R. P. C.

Quo loco imperatorium titulum cave ad victoriam bello Mutinensi reportatam referas. Nam si Octavianus eo titulo ornabatur ab eo, qui marmor illud scripsit, item ornari par erat M. Antonium, qui eundem titulum meruerat extremo anno 44 (App. bell. civ. III, 23; Cic. Phil. XIII, 10; Borgh. Diurn. Arcad. 1825, 1 p. 68), atque inverso potius ordine propter eam victoriam in nummis dicitur CAESAR. IMP. apud Eckhel. D. N. VI p. 73. Itemque eadem ratione Imp. Caesar appellatur in fastis Capitolinis, cum alterum IIIviratus quinquennium notatur, quod lapidis fragmentum infra afferetur [1]), item semper in hoc, de quo quaestio nostra instituta est, fragmento Campano, item denique in fastis triumphalibus: IMP. CAESAR. DIVI. F. C. F. III. VIR. R. P. C. OV. QVOD. PACEM. CVM. M. ANTONIO. FECIT. In nummis autem, si vere usque ad. ann. 39 abstinuit hoc praenomine, ideo abstinuit, quia patris interfectores nondum ultus erat, eadem ratione ductus, qua barbam promissam per hoc tempus in nummis significari voluit. In iisdemque si etiam post ann. 36 abstinuit, civilis animi ostendendi causa, quoniam cum M. Antonio

---

1) Ac ne quis putet utrumque marmor non eodem tempore, quo quisque honorem accepit, scriptum esse, cogitet in utroque M. Antonii IIIviri nomen erasum esse. Cf. Borghes. Nova fragmenta fastorum consularium Capitolin. p. 5.

contentio coeperat, omisit, dum ei denno, quia uti eo desierat, a senatu eodem quo antea patri iure delatum est ann. 29 (Dio LII, 41), ex quo inde tempore perpetuo nomini praemittere solebat. Quamquam sic honorem sibi tributum temperavit, ut filios suos eo, quamdiu vixit, publice uti prohiberet. Potuit recte uti Tiberius, sed quamvis denuo decernente senatu recusavit (Suet. Tib. 26) nec unquam ita appellatur. Nec magis appellati sunt Caligula, Claudius, Nero, qui Caesaris nomine contenti imperatorium praenomen ei, qui primus imperium stabiliverat, relinquere solebant. At Galba, Otho, Vitellius uti rursus coeperunt, magisque etiam Flaviae gentis principes, qui ut posteros se esse Augusti testarentur, semper suis nominibus Imperatorem Caesarem praemittebant.

Sed ne longius evagetur disputatio, redeo ad Augustum. Qui eum appellaretur tunc *Imperator Caesar*, quomodo dicendus erat, si honos tituli imperatorii parti significandus esset? Molestum sane erat diei *Imp. Caesarem Imperatorem.* Itaque dicebatur aut *Caesar Imp.* sive *C. Caesar Imp.* (Eckhel. l. l. p. 73, p. 80, p. 82) eaque sola ratio relinquebatur, cum primum eum honorem bello Mutinensi meruisset, aut, cum repetitus titulus significandus erat, IMP. CAESAR. II. et III et deinceps. Docet hoc aperte fragmentum fastorum triumphalium, quod ipse Borghesius affert, ubi sic scriptum est:

IMP. CAESAR. DIVI. F. C. F. II. III. VIR. R. P. C. II. A. DCCXVII
OVANS. EX. SICILIA IDIBVS. NOVEMBR.

Nam qua alia ratione nota illa II, quae triumviratus significationi praemissa est, explicetur, mehercule non invenio. Haec si ad hos, de quibus dicimus, nummos adhibebuntur, omnis tolletur difficultas; etenim eorum inscriptio non iam ad alterum IIIviratus quinquennium, sed ad imperatorium titulum iterum ab Caesare sumptum pertinebit. Unum illud notabile supererit, quod nomen Caesaris omissum est, Octavianusque appellatur modo *Divi filius*; sed item fit in aliis compluribus nummis. Neque iam illi nummi aurei, id quod Borghesio placuit, ad extremum annum 38 a. Chr. referendi erunt, sed ad extremum annum 40. Nam non multo post foedus Brundisinum M. Antonius et Imp. Caesar ovantes ob victoriam Philippensem urbem intrarunt amboque imperatores iterum appellati sunt, qua de re cf. Borghesium doctissime disputantem in Diurn. Arcad. 1825, 1 p. 71. Atque eodem anno Octavianus M. Agrippae bellum in Sex. Pompeium gerendum mandarat (Dio XLVIII, 20), in quo apparando dum in urbe versatur, hos nummos videtur faciendos curasse, ut etiam hoc conveniat, quod Borghesius eos Romanae fabricae esse videri indicat.

Verumtamen, ut ab hac satis longa digressione ad propositum nostrum revertamur, ea, quae ex foedere Brundisino constituta erant, mutari oportebat, postquam populo Romano efflagitante pax eum Sex. Pompeio inita est, quae ipso anno 39 ad promontorium Misenum convenit. Eius condiciones, quod ad honores et imperia trium principum amicorumque attinet,

hae fuerunt. App. bell. civ. V, 72, cum primum Caesar, Antonius, Pompeius congressi essent, Pompeio decretum esse ait ἄρχειν Σαρδοῦς καὶ Σικελίας καὶ Κύρνου καὶ ὅσων ἄλλων εἶχεν ἐς τότε νήσων, ἐς ὅσον ἄρχοιεν τῶν ἑτέρων Ἀντώνιός τε καὶ Καῖσαρ. Postquam haec universe de pace facienda perscripta Romamque Vestalibus asservanda missa sunt, paucis diebus post (App. l. l. V, 73) iam accuratius constitutum, quod Dio XLVIII, 36 narrat (τὸν Σέξτον) Σικελίας καὶ Σαρδοῦς τῆς τε Ἀχαΐας ἐπὶ πέντε ἔτη ἄρξαι — τὸν δὲ χρόνον αὐτῷ τοῦτον προσέγραψαν ὅτι καὶ αὐτοὶ πρὸς καιρὸν δή τινα τὴν ἐξουσίαν, ἀλλ' οὐκ ἀΐδιον ἔχειν δοκεῖν ἤθελον. Simul, ut Appianus loco, quem supra citavi, bell. civ. V, 73 narrat, consules in quattuor annos, qui futuri essent inde ab ann. 34 usque ad ann. 31, dosignarunt. Primum quaeritur quinquennale Sex. Pompeii imperium quatenus partinero voluerint. Consulem quidem cum designatum essa video in annum 33, quare non dubito, quin praefectus maris et orae maritimae dosignatus sit ex eo die, quo pax illa convenit, ann. 39 ad pridie Kal. Ian. sextas i. e. ann. 33, ita ut exacto praefecturae tempore consulari imperio tutus ac potens esset. Similiterque supra prius IIIviratus quinquennium videmus proprie plus quam quinque annos complexum esse. Deinde hoc obtinuit Pompeius, ut et ipse et amici eius consulatibus ornarentur. Qua in re haec orta est difficultas, quod iam designati erant in octo annos consulos. Ideo hoc novum tunc inventum, ut non annui fierent consulatus, sed semestres, id quod nunquam antea ita constitutum erat, ut statim ea condicione consules inirent, ut post sex menses alii succederent. Nam anno 43, si discedas ab consulatu Caesaris et Q. Pedii, qui et expressus est invito senatui et propter mortem consulum necessarius erat, C. Carrinas factus est, quia Caesar IIIviralem potestatem acceperat, P. Ventidius, quia Q. Pedius decesserat, et anno 40 Cn. Domitius et C. Asinius coacti sunt abdicare, quia Caesar et Antonius certos amicos in summo magistratu habere volebant, ille L. Balbum, hic P. Canidium: reliqui annui fuerant consulatus. At anno 39 exeunte constat suffectos esse L. Cocceium P. Alfenum, ann. 38 P. Cornelium Scipionem L. Marcium Philippum, ann. 37 unus certe notus est T. Statilius Taurus, alter ignotus (nam neminem annuum factum esse ait Dio XLVIII, 35), ann. 36 uterque L. Munatius Plancus II P. Sulpicius Quirinus, ann. 35 multiplici et doctissima coniectura efficit Borghes. in Annal. Inst. archaeolog. 1840 p. 237 unum Cn. Nerium. Sic igitur IIIvirorum amicis postquam satis honoris datum, deinceps Pompeii ratio habita est, ut in ann. 34 socer eius L. Scribonius Libo cum M. Antonio, in ann. 33 ipse cum Caesare designaretur, nec Cn. Domitius Ahenobarbus, qui ann. 32 cum C. Sosio futurus erat, etiamsi tum Antonio legatus erat, ab eius causa abesse putabatur. Qui autem in ann. 31 designabantur Caesar III et Antonius III consules, ii rempublicam sperabantur populo Romano esse reddituri (App. l. l. V, 73). Quamquam ne hi quidem quattuor annorum consules annui fuerunt, sed per varia annorum spatia magistratum gesserunt; nec tamen affirmare audeo, utrum ita hoc tum constitutum an postea victo Sex. Pompeio mutatum sit. Denique quid de IIIvirali potestate convenerit, quaeritur; neque enim

cum Pompeio consuluissent, sibi ipsis non parem potestatem comparare potuerunt IIIviri. Appianus l. l. hanc condicionem pacis fuisse ait, ut quamdiu IIIviri imperium haberent, tamdiu haberet Sex. Pompeius. Quare cum prius quinquennium ipsis Kal. ann. 37 exiret, si potestatem sibi usque ad Kal. sextas Ian. ann. 32 prorogarent, futurum erat, ut eodem tempore et Sex. Pompeii consulatus et IIIvirorum potestas exiret. Haec igitur tunc pacta esse censeo sancitaque deinde Romae a populo Romano; nam quae ad Pompeium quidem attinebant, IIIviri postea lege ademisse dicuntur (Dio XLVIII, 54).

Sed ne haec quidem Misenensis pax servata est. Intercessit bellum Sex. Pompeii, coeptum ineunte ann. 38, tum Caesaris cum ipso Antonio discordia, quia is contra Sex. Pompeium auxilium ferre nollet: Antoniusque postquam Brundisium evocatus ab illo propere in Asiam rediit, ineunte demum vere ann. 37 (App. l. l. V. 93) revertit et per Octaviam se reconciliari passus est. Interim per has IIIvirorum discordias prius IIIviratus quinquennium exiit, sed coepit alterum ex pace Misenensi, quod usque ad Kal. Ian. ann. 32 futurum erat. Tum ann. 37 foedus Tarentinum factum, quo maxima pars eorum, quae ad Misenum acta erant, sublata est. Nam Sex. Pompeio auguratus et consulatus ademptus (Dio XLVIII, 54), item praefecti potestas, simulque, quia simul ante decretum esset, alterum IIIviratus quinquennium tunc coniicio esse mutatum. Hoc quod de mutato altero quinquennio dico, silent quidem scriptores, illud modo narrantes prius quinquennium exisse. Sed quis credat, Octavianum et Antonium quamvis inter se dissentirent, non in hac tamen re consensisse, ut speciem aliquam legis ad potentiam conservandam quaererent? Ac supplent hoc scriptorum silentium fasti Capitolini, in quorum fragmento haec supersunt:

M. AIMILIVS. M. F. C . . . . .
M. ANTONIVS. M. F . . . . . .
IMP. CAESAR. DIV . . . . .
M. AGRIPPA. L. F . . . . . .
L . . . . L. F. L. N . . . .
. . . . O. IN . . . . .

In hoc fragmento etsi dignitatis nomina desunt, duae tamen res certae sunt, primum, M. Aemilium M. Antonium Imp. Caesarem dici IIIviros reipublicae constituendae, deinde M. Agrippam dici consulem; iniit autem consulatum Kal. Ian. ann. 37. Hinc Borghesius colligit necesse esse, IIIviri alterum potestatis suae quinquennium ante Kal. Ian. ann. 37 inierint. Falli enim ait veteres, qui de fastis scripserunt, viros doctos, imprimis Sigonium et Panvinium, qui cum hoc loco significationem IIIviratus prorogati invenire sibi viderentur, idque medio anno 37 factum esse ex scriptoribus didicissent, IIIvirorum nomina dignitatis maioris causa consulibus praeposita esse existimarint ad id exemplum, quo postea imperatorum tribunicia potestas con-

sulum nominibus praemitti consueverit. Eam imperatoriae aetatis consuetudinem huic tempori, quo Augusti dominatio nondum convaluerit, convenire negat. Ac recte negat, cum hoc vult, si medio anno IIIviri iterum inissent, non potuisse eorum nomina consulibus qui Kal. Ian. inissent anteponi; siquidem etiam imperatorum non ea praemittitur tribunicia potestas, quam intra anni spatium repeterent, sed quam ipso eius initio gererent. Eundem igitur morem fasti Capitolini servant in imperatoribus, quem habent in dictatore Caesare, cuius primam dictaturam consulibus anni 46 non anteponunt, sed postponunt, itemque in tabula Colotiana prius IIIviratus quinquennium non in principio anni notatur, sed post consules C. Carrinatem et Q. Ventidium, quia Caesar, antequam IIIviratum iniit, consulatu se abdicavit. Ut igitur Borghesius recte negat hoc statui posse, ita non credo necesse esse IIIviri ante Kal. Ian. ann. 37 alterum quinquennium inierint. Quid enim? Si ipsis Kal. Ian. inierunt? Nonne tum maiorem potestatem priore loco poni oportebat? Sic enim prorsus iudico, servari omnino temporis ordinem in fastis Capitolinis; quodsi qui eodem tempore ineant magistratus, praecedere maiorem. Ita fit in Caesaris dictatoris honoribus notandis, quorum ordo etsi adeo non constat, ut, qui de iis pronuntiare velit, peculiarem quaestionem suscipere debeat, tamen, utut digeretur, dictaturam aliquando consulatui praemissam esse ostendet; item in imperatoribus. Quare et potest hoc propter fastos Capitolinos statui, ut IIIviros alterum potestatis suae quinquennium Kal. Ian. anni 37 inisse censeamus, et debet statui propter eas quae supra expositae sunt causas. Errasse igitur iudicamus Sigonium et Panvinium, qui in fastis Capitolinis id IIIviratus quinquennium notatum sibi viderentur invenire, quod anno 36 et sequentibus vere gestum est, sed significari illud, quod ex pace Misenensi, quam populus confirmarat, repetebatur.

Verum foedere Tarentino, quod anno fere medio 37 iunctum esse constat, mutata sunt, ut diximus, prius pacta, novumque IIIviratus spatium definitum, unde accidit scriptoribus, ut, dum eam potestatis repetitionem, quae per breve tempus valuit, omittunt, cum publica fastorum memoria dissentire viderentur. Sic enim scribunt de illo foedere Tarentino Dio Cass. XLVIII, 54: ἑαυτοῖς τὴν ἡγεμονίαν ἐς ἄλλα ἔτη πέντε, ἐπειδὴ τὰ πρότερα ἐξεληλύθει, ἐπέτρεψαν (IIIviri); App. bell. civ. V, 95 Ἐπεὶ δὲ ὁ χρόνος αὐτῆς ἔληγε τῆς ἀρχῆς, ἣ τοῖς τρίσιν ἐψήφιστο ἀνδράσιν, ἑτέραν ἑαυτοῖς ὥριζον πενταετίαν οὐδὲν ἔτι τοῦ δήμου δεηθέντες. Novum igitur tunc IIIviratus quinquennium constitutum est spreto illo, quod biennio ante pace Misenensi sibi definiverant. Quod quoniam usque ad Kal. Ian. ann. 32 futurum erat, iam intelligebant non sine periculo fieri posse, ut ann. 32 a. Chr., quo Cn. Domitius et C. Sosius consules designati erant, sine aliqua sua potestate legitima praetermitteretur; nam tertium sibi IIIviratum prorogare eos non cogitasse iudico. Annum autem 32 comprehensum esse altero, quod in foedere Tarentino statuerunt, quinquennio aperte docet App. Illyr. c. 28, quae ann. 33 gesta sunt, exponens: Νουμηνίᾳ δ' ἔτους ἀρξάμενος ὑπάτων (ὁ Καῖσαρ) καὶ τὴν ἀρχὴν αὐτῆς τῆς ἡμέρας παραδοὺς Αὐτρωνίῳ Παίτῳ,

εὐθὺς ἐξώρμησεν ἐπὶ τοὺς Δελμάτας, ἄρχων ἔτι τὴν τῶν τριῶν ἀρχήν· δύο γὰρ ἔλειπεν ἔτη τῇ δευτέρᾳ πενταετίᾳ τῆσδε τῆς ἀρχῆς, ἣν ἐπὶ τῇ προτέρᾳ σφίσιν αὐτοῖς ἐψηφίσαντο καὶ ὁ δῆμος ἐπεκεκυρώκει, in quibus animadvorto atiam illud, quod de confirmatione populi legitur, ut post foedus Tarentinum quae composita erant et de consulatu Pompeio adimendo et do sua potestato prorogsnds Caesarem appareat populi suffragiis sanxisse. Quinquennium igitur hoc alterum IIIviratus, quod vere valuit, pertinebat inde ab eo die, quo foedus Tarentinum iunctum est, usque ad Kal. Ian. sextas i. e. ann. 31 ac rursus quinquennium appellabatur, quod paucis mensibus quinque annos excedebat. Qusre si integri nobis suporessent fasti Capitolini, quin in iis tertium IIIviros notatos inventuri simus et quidem post M. Agrippam et L. Caninium consules non dubito. Nam non Caesarem modo, id quod supra demonstratum est, verum etiam M. Antonium anno 32 potestatem aliquam legibus confirmatam, et populi suffragiis, non ipsius modo arbitrio arrogatam, habuisse docet Dio L, 40, qui testamento M. Antonii Romae recitato tantam ait omnium indignationem concitatam esse, ut senatus ei et consulatum, cui designarat, demeret καὶ τὴν ἄλλην ἐξουσίαν πᾶσαν. Cf. Plut. Ant. c. 60. Unum est quod huic nostrae rationi obiici possit, nimirum hoc quod in nummis ann. 31 M. Antonius appellatur IIIvir reipublicae constituendae. Sed leve hoc; nam illo anno Antonius et a collega et a populo Romano desertus prorsus a legibus abierat, ipsumque consulatum tertium, quem Romae ab eo abrogatum esse diximus, in iisdem nummis ostendit, ut suo sibi ipso arbitrio etiam IIIviralem potestatem prorogasse videatur.

Sic postquam de universa consulatuum, qui in his fastis commemorantur, ratione disputavimus, deinceps de ipsis consulatibus dicendum est, ac primum quidem do Caesaris Augusti consulatibus, ex quibus quinque recensentur. Do omnibus omnino Caesaris consulatibus Suetonius, auctor et diligentissimus et fide utique dignissimus, in vita Aug. c. 26 sic tradit: *Quinque medios consulatus a sexto ad undecimum annuos gessit: ceteros aut novem aut sex aut quattuor aut tribus mensibus, secundum vero paucissimis horis. Nam die Kalendarum Ianuarii cum mane pro aede Capitolini Iovis paululum curuli sella praesedisset, honore abiit, suffecto alio in locum suum.* Contra hanc tantam auctoritatem videntur pugnare quae Dio Cass. LI, 21 habet, do rebus anno 29 gestis dicens: Τοῦ δὲ δὴ θέρους ἔς τε τὴν Ἑλλάδα καὶ ἐς τὴν Ἰταλίαν ὁ Καῖσαρ ἐπεραιώθη· καὶ αὐτοῦ ἐς τὴν πόλιν ἐσελθόντος οἵ τε ἄλλοι ἔθυσαν, ὥσπερ εἴρηται, καὶ ὁ ὕπατος Οὐαλέριος Πότιτος· ἐκεῖνος μὲν γὰρ καὶ τοῦτο πᾶν τὸ ἔτος ὥσπερ καὶ τὰ δύο τὰ πρότερα ὑπάτευσε, τὸν δὲ δὴ Σέξτον ὁ Πότιτος διεδέξατο. In his, quae satis accurate scripta esse intelligo, tria animadverto, primum quod ann. 29 suffectum esse unum consulem dicit, deinde quod Caesarem per totum annum consulatui praefuisse, denique quod idem accidisse ait duobus qui antecesserunt annis. Ex quibus quod tertio loco posui, falsum esse apparet; nam ann. 30 et 31 quin non annuum, sed per nonnullos modo menses Caesar consulatum gesserit, non est dubium. Quare etsi minus accurate video Dionem dixisse, haud scio tamen

an hoc modo voluorit, Caesarem anno quidem 29 toto fuisse consulem, sed nequaquam item totis annis 30 ot 31, quorum per partem modo aliquam consulatum gesserit. Hoc si excusandi Dionis causa statuatur, unum relinquitur, in quo Dioni cum Suetonio conveniat, quod uterque hoc anno 29 suffectos consules fuisse ait, alterum, in quo dissentiant; nam Suetonius Caesarem negat per totum illum annum fuisse consulem, Dio ait. Verum utrumque oppugnare videtur hoc Campanorum fastorum fragmentum, in quo cum reliquis annis accurate omnes consules suffecti notentur, annis 29 et 28 ii, qui Kal. Ian. inierunt, soli recensentur, unde, cum anno 28 ex ipso Suetonio constet nullos fuisse consules suffectos, facile oriri debuit ea opinio, ut ne 29 quidem ulli fuisse putarentur. Eaque opinio tantum valuit, ut Borghesius in Observat. numismaticis dec. VIII obs. X (Diurn. Arcad. 1822, 4 p. 247) contempto Dione, quem falli existimat, utrumque anni 29 consulatum annuum fuisse statueret. In quo (pace tanti viri dixerim) minus mihi videtur consulto iudicasse. Etenim cum omnino admodum difficile sit factu, ut errorem veteri scriptori obiicias, quod qui non ita faciunt, ut et certissimis ipsi documentis nitantur et erroris causam aliquam probabilem afferant, fere cupidius iudicasse reperiuntur, tum hoc loco ut Suetonii, accuratissimi vitae Augusti enarratoris, in re minime illo quidem tempore obscura Dionisque simul suffectum consulem adeo nominantis auctoritas reiiciatur, vix concedi poterit. Qui qua in re consentiunt, quod ann. 29 consules suffectos esse dicunt, in ea videtur fieri posse, ut ab hoc de quo dicimus lapide non dissentiant. Quid enim? Etiamsi iis qui antecedunt annis consules suffecti nominantur, quis necesse fuisse putet, ut etiam hoc anno 29 nominarentur? Neque enim in his fastis municipalibus hoc agebatur, ut consules Romani recenserentur, sed ut magistratuum municipalium disponendorum causa singuli anni suis quisque consulibus insignirentur. Neque eadem est ratio eorum monumentorum, in quibus unius anni significandi causa consules praescribuntur, cum usque ad aetatem M. Aurelii suffectos semper, non ordinarios modo, qui postea appellari solebant, consules nominari multis locis docuit Borghesius, eadem horum fastorum municipalium, in quibus cum deinceps anni recenseantur, id consulum par, quod anni initio inierat, appellari sufficiebat. Nam acta municipalia ipsa constat fere IIvirum vel IIIIvirum nominibus praescriptis notari. Accedit, quod hoc anno 29 nec bellum ullum, ut annis prioribus, commemorandum erat, et magistratus municipales annui fuerant, unde minus etiam, qui in consulatu suffecti essent, afferri oportebat. Atque in fragmento fastorum Casinatium, quod supra citavimus, etsi per annos 68—75 plurimi suffecti fuerunt, item ordinarios modo consules commemorari video. Verum etiamsi concedi oporteret, ut, qui fuerunt suffecti illo anno 29, ii commemorari debuerint in his fastis, quis praestare potest non fuisse in lapide iniuriaque temporis periisse, lacunam autem aut non animadversam ab iis qui marmor descripserunt aut non notatam? Nam in municipalibus certe anni 30 magistratibus aedilium nomina certum est excidisse nec lacunam animadversam, qua de re infra plura di-

centur, neque in medio lapide lacunam extitisse mirabimur, si, id quod supra dictum est, tabulam per plures partes fractam fuisse cogitabimus. Ac si vera est ea fastorum dispositio, quam supra coniectura effecimus, si qui erant post vs. 57 notati consules suffecti, facile eorum, qui descripserunt, oculos fallere potuerunt; nam aedilis municipalis vs. 45 et consulis anno 30 suffecti eadem sunt nomina. Quare, sive nominatos fuisse statuemus consules suffectos sive non nominatos existimabimus, hoc certo efficitur, ut hic lapis non debeat tantum valere, ut propter eum duorum fide dignissimorum scriptorum expressa testimonia contemnantur.

Verum, si non amplius pugnant cum his fastis Camponis Dio et Suetonius, quo pacto ipsi inter se conciliandi sunt, cum alter Caesaris consulatum quintum annuum fuisse ait, alter negat? Qui si auctoritate inter se contendant, non dubium est, quin Suetonius superare debeat; sin quaeratur in hac ipsa consulatus definitione uter maiorem fidem mereat, si pari digni sint in ceteris rebus, rursus praeferendus Suetonius, qui hoc loco id ipsum agat, ut Caesaris consulatus exponat, cum Dio aliud agens commemoret. Qui si inveniebat Caesarem mense Iulio ann. 29 fuisse consulem, quoniam postea Augusto imperante plerosque consulatus semestres fuisse norat, facile induci poterat, ut per totum annum fuisse arbitraretur. Quare hac equidem sum in sententia, ut deceptum esse putem Dionem, qui πᾶν τὸ ἔτος Caesari tribuat, ac saepe parum aberat quin ipsa illa verba librariorum potius quam Dionis errori tribuendum esse censerem, facileque paterer, si quis illud quod est πᾶν probabili coniectura mutaret.

Iam si Caesarem constat quintum consulatum non gessisse annuum, quamdiu gessit? Nam contemnenda certe veterum fastographorum opinio, quae valuit usque ad Almeloveenium, orta quidem a Panvinio, qui cum apud Dionem LII, 42 anno 29 legeret Cluvium quendam et C. Furnium, qui etsi designati fuerant consules, inire cum magistratum propter candidatorum multitudinem non potuerant, in senatus lectione inter consulares viros relatos esse, hoc ita intellexit, ut consulatum iis vero delatum eosque Kal. Nov. huius anni suffectos esse iudicaret [1]). Ut igitur quamdiu Caesar quintum consul fuerit reperiamus, rursus a Suetonii loco, quem supra citavimus, proficiscamur, qui quinque Caesaris medios consulatus a sexto ad undecimum annuos fuisse ait, ceteros aut novem aut sex aut quattuor aut trium mensium, secundum vero paucissimarum horarum. Ex quo quintum consulatum novem mensium fuisse intellego. Etenim cum Dio narret Caesarem, dum quintum consulatum gerit, urbem intrasse, id quod mense Sextili accidit (nam a. d. VIII Id. Sext. per triduum triumphos egit), quoniam plus quam sex menses consulatu comprehendisse constat, necesse est comprehenderit novem menses. Verum

1) Nam qui referebantur inter consulares, insignia ac dignitatem consularium etsi consules non fuerant accipiebant. Cf. quae ea de re diximus in disputatione epigraphica de honorum gradibus, in Mus. Rhenan. ann. 1842 p. 267 sqq.

ex eodem Suetonio etiam ceteri Caesaris consulatus definiri possunt. Nam primum consulatum Caesar XIV Kal. Sept. iniit (Macrob. Sat. I, 12; Suet. Oct. c. 100) gessitque ad a. d. V Kal. Dec., quo die triumviratum suscepit, ut paulo plus quam tres menses expleverit eoque trimestris, qui apud Suetonium est, consulatus pertineat. Quartum autem consulatum, cum in hoc lapide Campano Kal. Iul., Idib. Sept., Kal. Nov. consules suffecti esse narrentur, ostendemus infra videri fuisse semestrem. Tum tertius decimus vix dubium est quin novem mensium fuerit. Nam cum Kal. Ian. inierint Caesar Augustus et M. Plautius Silvanus, Vellei. II, 100 commemorat Augustum et Gallum Caninium cos., ipse Augustus in monum. Ancyr. tab. III vs. 30 L. Caninium et Q. Fabricium cos., unde iam Noris. ad Cenot. Pisana II, 8 collegit, M. Plautio Kal. Iul. suffectum esse L. Caninium, Augusto ipsi Q. Fabricium, et quidem Kal. Oct., ut ex hoc Suetonii loco intelligimus, ex quo si plus quam sex menses fuit, oportet fuerit novem. De undecimo consulatu non difficile est indicare. Nam cum Augustus tribuniciam potestatem perpetuam a. d. V Kal. Iul. eius anni acceperit, et Dio LIII, 32 narrat delatam eam Augusto, postquam consulatu se abdicavit, et fasti Capitolini, quamvis hoc loco mutili sint, tamen primum consulem suffectum ann. 23, tum tribuniciam potestatem acceptam commemorant [1]. Pauci igitur dies ad sex menses desunt, quos Suetonius brevitatis causa tamquam expletos ponit. Tum tertius consulatus secundum hanc tabulam Campanam aut quattuor aut novem mensium fuit; sed cum plus quam quattuor mensium fuisse infra certissimo testimonio demonstraturi simus, necesse est fuerit mensium novem. Relinquitur Augusti consulatus duodecimus et is, quem Suetonius quattuor mensium fuisse ait, quare cum Augustum ann. 5 a. Chr. ex Plin. nat. hist. VII, 13 constet fuisse consulem plus quam tres menses, necessario faciendum, ut per quattuor tunc menses fuisse statuamus.

Verumtamen, si anno 29 qui Kal. Ian. inierunt consules, non annuum tenuerunt magistratum Sextoque Appuleio Kal. Iuliis suffectus est M. Valerius, tres iam haec tabula Campana habet consules M. Valerios, quorum eum, qui iniit Kal. Ian. ann. 31, omnes consentiunt esse M. Valerium Messallam Corvinum, nobilem oratorem. De cuius vita nihil attinet hoc loco dicere, quippe de qua cum alii tum recentissime Borghesius disputarit diligentissime in Observat. numism. dec. VIII obs. 9 (Diurn. Arcad. 1822, 4 p. 231). Nec eos. anni 29, quem Dio Potitum cognominatum esse ait, longam quaestionem requirit; nam nihil de eo notum est, nisi quis Borghesio credet, qui propterea quod item antiquum gentis Valeriae cognomen gerat,

1) Parum vel nihil colligi potest ex memorabili illo fragmento, quod Grut. p. 234,1, Donius p. 157, 2 ex schedis autographis Petri Victorii habent. Ex quo nihil equidem conficio nisi verum esse quod Dio tradit, Augustum, cum in montem Albanum abisset, consulatu se abdicasse. Cf. tamen Noris. de Cenotaph. Pis. diss. II c. 15.

fratrem Corvini esse suspicatur. Quis autem tertius ille est M. Valerius, Kal. Nov. ann. 32 suffectus? Certi equidem nihil intelligo posse afferri, sed hoc tamen probabiliter coniici, fuisse filium M. Valerii Messallae cos. ann. 53, qui, ut Valer. Max. V, 9 §. 2 ait, Hortensii oratoris sororis filius, cum praetor fuisset ann. 62 (Cic. p. Sull. c. 14), postquam diu imprimis cum Cn. Pompeio contendit, septimo demum mense cum Cn. Domitio Calvino consul factus est. Idem postea damnatus de ambitu (Cic. Epist. III, 2 et 4) dictatoris Caesaris beneficio rediit, quem cum in bellis strenue adiuvisset (Cic. ad Att. IX, 22; Caes. de bell. Afric. c. 28 et 86), et ipse vixit diutissime (nam quinquaginta et quinque annos augur fuisse narratur a Gell. XIII c. 14 et 16) et filium Octaviano ad consulatum commendavit. Ipse autem hic filius unaque pater eius significantur in denario rarissimo (apud Eckhel. Doctr. numm. V p. 333), in quo haec est inscriptio MESSAL. F. et in aversa parte PATRE. COS. S. C, quam inscriptionem ad nullum alium Valerium Messallam nisi ad consulem ann. 53 referri posse Borghesius l. l. demonstrat. Ex quo nummo cum intelligamus hunc filium ann. 53 vel quaestorem fuisse vel IIIvirum monetalem, item, ut pater, circa quinquagesimum aetatis annum consulatum videtur accepisse. Huius autem rursus, qui anno 32 consul fuit, filius adoptione, id quod nomen docet, erit is, qui cos. fuit ann. 12 a. Chr., M. Valerius M. f. Messalla Barbatus, qui in fastis Capitolinis *Appianus* cognominatur (sic enim, non *Aemilianus* in iis legi testatur Borghes. l. l. p. 251), defunctus initio magistratus, de cuius et stirpe et cum imperatoria demo cognatione multa exposuit Borghesius.

Sequitur, ut de reliquis dicam consulibus, quorum in hac tabula Campana mentio fit. Eorum primi sunt L. Sempronius Atratinus et L. Scribonius Libo, in quibus servata sunt, quae olim in pace Misenensi constituta erant. Nam tune. Appian. l. l. ait in annum 34 a Chr. (720 ab urb.) designatos esse M. Antonium et L. Scribonium, Antonius autem loco suo L. Sempronium substituit, qui ipsis Kal. Ian. iniret, qua de re sic narrat Dio Cass. XLIX, 39: Ἀντώνιος δὲ ἐν τούτῳ (i. e. ann. 34) τῆς μὲν ἀρχῆς αὐθημερὸν ἐξέστη Λούκιον Σεμπρώνιον Ἀτρατῖνον ἀντικαταστήσας ὅθεν εἰσὶν οἳ τοῦτον, ἀλλ' οὐκ ἐκεῖνον ἐν τῇ τῶν ὑπάτων ἀπαριθμήσει ὀνομάζουσι. Hoc ipsum in his fastis Campanis factum esse videmns, ut praetermisso M. Antenii nomine solus L. Sempronius positus sit. At anno 33, cum Octavianns item Kal. Ian. abdicato honore P. Antronium Paetum sibi suffecit, Octavianus tamen consul II notatur. Cuius rei causa est, non quod maior Octaviano honor habitus sit nec quod M. Antonii, qui postea hostis iudicatus est, nomen scribi non placuerit, sed haec, quod Octavianus, ut Sueton. l. s. l. refert, Kal. Ian. vere auspicatus magistratum in Capitolio paucas horas cum insignibus consularibus praesedit, Antonius Alexandriae consulatum cum ipse fortasse auspicaretur, Romae suo loco L. Sempronium auspicari iussit. Ac dudum L. Sempronius consul designatus erat, in ipsa, ut videtur, pace Misenensi; nam in nummis apud Eckhel. Doctr. numm. VI p. 56 ipse consul designatus, Antonius imperator III

appellatur. Est autem L. Semprouius, L. f. L. nopos, illo, qui a Clodia perductus anno 56 a. Chr. M. Clodium Rufum do vi accusavit, pro quo Cicero orationem quae extat habuit, quo tempore oum aeptendecim anuos natum fuisso Eusebius in Chronico narrat. Quem houorum cursum deinde babuerit, ignotum est; sed augurotum anno 40 a. Chr. accepisso colligitur ex nummis apud Eckhel. D. N. VI p. 56 et fragmento inscriptionis apud Feam Fragmentis fastor. p. XXXII. Cf. Clementem Cardinalium in Memor. Romanis Antiquitat. et pulchr. art. Vol. II p. 94. Sequebatur autem M. Antonium; nam eius classis praefectus appellatur in nummo apud Eckhel. l. l. Nequo vero apud eum perstitit, a quo eum oum aliis viris nobilibus ante ipsum discrimen Actiacum defecisso oxistimo; certum est cum Caesare eum in gratiam redisse. Etenim annu 22, ut videtur, Africae procousulatum sortitus a. d. IV Id. Oct. anni 21 ex ea provincia triumphasse narratur et in fastis Capitoliuis et in elio fragmeuto apud Marin. Act. fratr. Arval. p. 607. Nec multo post, ut videtur, Atratinus taodio morborum voluntaria morte extiuctus heredem reliquit Augustum (Euseb. in Chronic.), ut ultimus familiao suao fuisse videatur.

Collega autem L. Semprouii L. Scribonius Libo affinitate Augusti obtinuit, quod alitor everso Sex. Pompeio, quamvis in paco Misenensi designatus esset, obtinero non potuisset. Etenim notum ost anno 40 a. Chr. Caesarem eum timeret, ne Sex. Pompeius cum M. Antonio coniunctus in se invadoret, Mecenatis opera sororem Scribonii Libonis, qui dudum Sex. Pompeii socer erat, in motrimonium poposcisse (App. bell. civ. V, 53), quem uxorem deindo ouno 38 eo ipso dio, quo Iuliam pepererat, ut Liviam Drusillom duceret, dimisit. Affinis igitur L. Scribonius erat Caesori. Eidemquo coniunctus erat Poullus Aemilius, qui Liboni Kal. Iuliis in consulatu successit. Etenim Scribonia antequom o Caesare ducta ost, nupta fuerat duobus viris consularibus, quorum ex altero etiam mater erat, ut Sueton. Aug. c. 62 ait, nec nominans consulares illos, nec quot liberos peperisset, referens, sed addens de consularibus, opinor, ut Scriboniam paulo maiorem natu quam Caesarem, qui tunc circa annum aetatis vigesimum tertium erat, fuisso significaret. Iam alterum ex his maritis, quos Scribonia ante Augustum habuit, Casaubonus ad Sueton. l. l. dicit esse Cornelium Scipionem, cuius ex Scribonia filiam Corneliam mortuam lugeat Propertius lib. V extr. sequiturque eius sontentiam Eckhel. Doctr. uumm. V p. 128. Ac sano matrona illa, quam Propertius apud inferos canentem inducit, Corneliam se appellari ait (V, 11, 13 od. Lachm. et 43) et matrem esse Scriboniam (vs. 55), Caesaris autem filiam suam sororem (vs. 59), et coniugem Paullum Lepidum (vs. 1 et 11 ot 35), qui censuram gesserit (vs. 67); tum fratrem, qui aedilis et praetor fuerit, qui quo temporo consul factus sit, eo ipsa decesserit (vs. 65), tum tres liberos, duos filios, Lepidum et Paullum, unam filiam, denique materno genere so descendere a Libonibus (vs. 31), paterno ab iis, qui Africam domuerint Perseumque Macedonum regem superarint (vs. 37). Hinc prorsus certum est, hanc Corneliam Propertianam esse filiam Scriboniae, quae anno 40 Caesari nupsit ex eoque Iuliam

genuit. Sed quis pater Corneliee, coniux Scriboniae, antequam Caesari nupsit, alter ex illis consularibus, quos Suetonius commemorat? Facilo erat suspicari de Cornelio Scipione, cui Eckhel. etiam P. praenomen addit. Verumtamen, si inde ab ann. 40 ascendas, ante ann. 111, quo P. Cornelius Scipio Nasica consul fuit, nullum Scipionem in consulum serie invenies. Itaqua aut Suetonius erravit do consulari marito tradens, id quod cui placeat? aut Casaubonus. Nimirum sunt otiam alil Cornelii veterum illorum posteri. Ac subvenit inscientiae nostrao inscriptionis fides, quae est apud Fabrett. p. 43 n. 239, ex schedis Barberinis:

LIBERTORVM· ET
FAMILIAE
SCRIBONIAE· CAESAR
ET. CORNELI· MARCELL
F[IL.] EIVS
IN AGR.] P. XXXII
IN. F]R. P. XX

Quam inscriptionem eum propter schedas Barborinas, in quibus multa Ligoriana commenta esse constat, diu dubitarim an ficta esset, nunc intelligo prorsus veram esse habendam. Nam quae una alie Scriboniae inscriptio extat, oa, quao a Gir. Amatio in Diurn. Arcad. 1822, 1 p. 383 affertur, item nominat Scriboniam Caesaris, so filium etiam ox prioro marito genuisse docet Propertius, ut, si quis eam ementitus esset, is tanta fuisset doctrina, quantem falsarii non solent habere. Hic igitur Scriboniao filins, Cornoliee frater, appellabatur Cornelius Marcellinus; nam Cornelios Marcellos nullis ea eotatc honoribus celebrari videmus. Eum ex iis, quao attulimus, oportet consulem fuisso post annum 22 a. Chr., quo Paullus Lepidus, Corneliae maritus, consuram gessit, patrem autem oius ante ann. 40, quo Scribonia Caesari nupsit. Iam unus modo ea aetate est Cornelius Marcellinus, qui huc pertinere possit (nam Cn. Cornelium Lentulum cos. ann. 14 ox mon. Ancyr. tab. III, 23 scimus *Augurem* esse appellatum) cos. ann. 18 a. Chr., qui apud Dionem in indico consulum libr. LIV eppellatur P. Cornelius P. f. Lentulus Marcellinus, in tabula Colotiana P. Cornelius P. f. Cognomen Marcellini, siquidem nec ox Marcellorum eliqua familie adoptatus fuit nec mater ex tali aliqua fuit, necesse est e patre acceperit, quem patrem oportet consulem fuisse ante ann. 40 a. Chr. At unus modo eius nominis consul fuit ann. 56 Cn. Cornelius, P. f., Lentulus Marcellinus. Quao eum inter se non consentiant, error aliquis intercedere debet, qui non potorit reperiri nisi in indico consulum apud Dionem. Etenim cum anno 18 consules essent P. Cornelius Lentulus et Cn. Cornelius Lentulus iteque sine cognominibus appellentur ab ipso Dione LIV, 12 et apud Cassiodorum, facillime sane fieri potuit, ut cognomen Marcellini elii ac debebat homini adhaereret. Tum, si simul apud Dionem scripseris Γν. Κορνήλιος Γν. υἱ. pro eo quod nunc legitur Γν. Κορνήλιος Λ. υἱ.

(nec quicquam praeter hunc epitomatoris locum obstat, siquidem in tabula Colotiana alterius consulis nomen cum patris significatione periit), omnia rectissime procedent ac quamquam invitus vel ad incertam hanc epitomatoris auctoritatem emendandam accedo, non dubito tamen, quin ita fieri debeat. Quare hunc Cn. Cornelium Lentulum Marcellinum cos. ann. 18 fratrem Corneliae Propertianae, filium Scriboniae, illum autem cos. ann. 56 coniugem Scriboniae, antequam ea Caesari nupsit, consularium, quos Suetonius commemorat, alterum esse censeo, ipsamque elegiam vel ipso anno 18, quo Marcellinus honorem iniit, vel ann. 17, quo ad eum designatus est, scriptam esse. Quamquam video haec a me contra sententiam virorum doctorum statui, ex quibus etiam qui nuperrime diligenter de hac familia scripsit, W. Drumannus in historia Romana Vol. II p. 405, cos. ann. 18 nepotem esse putat eius, qui consulatum anno 56 gessit, pro filio inserens Lentulum Marcellinum, quem Caes. bell. civ. III, 62 in proelio Dyrrhachino sibi narrat quaestorem fuisse, nulla alia, ut intelligo, ratione motus, quam quod cos. ann. 18 fuisse P. filium credebat indici Dionis ideoque quaestorem illum P. praenomen habuisse coniiciebat. Verum Caesarianus ille Lentulus Marcellinus, aliequin prorsus ignotus, aeque pro fratre ac pro filio consulis anni 56 haberi poterit. Atque illud etiam convenit, quod Propertius narrat de maioribus Corneliae, inter quos fuisse ait Scipiones illos, qui Africam vicerunt, et Aemilium Paullum, qui Persum domuit. Quae quidem res dupliciter vera est, nam et omnia quae ad gentem Corneliam pertinent, item pertinent ad Cornelios Lentulos et matrem eius Marcellini, qui cos. ann. 56 fuit, novimus fuisse Corneliam, filiam P. Scipionis Nasicae, consulis ann. 111. Vide W. Drumannum, cuius librum supra citavi, l. l. p. 405.

Verumtamen haec, quae de Corneliae filio et patre diximus, cum proprie extra propositum nostrum sint, ad Paullum Aemilium revertamur, eius coniugem. De quo quae nota sunt, apte exposuit Eckhel. Doctr. Numm. V p. 127. Hoc solum commemoro, videri consulem factum esse in locum L. Scribonii Libonis et gessisse honorem per totos reliquos menses sex; certe ab eo consule dedicatam esse basilicam Aemiliam, quam pater, cos. ann. 50, inchoaverat, narrat Dio Cass. XLIX, 42 nec probabile, ei, qui tanto opere sua pecunia aedificando de patria bene meruisset, cito alium suffectum esse.

Nam qui L. Sempronio Kal. Iul. successit, L. Memmius, longe est Paullo Aemilio ignobilior, nec quicquam de eo notum est, nisi forte ad eum referri placet inscriptionem denarii, quem Eckhel. Doctr. Numm. V p. 252 affert, in quo legitur C. MEMMI. C. F. et C. MEMMIVS. IMPERATOR. Idque sane probabile. Videtur enim filius esse illius C. Memmii, qui cum praetor ann. 58 a. Chr. Caesarem impugnasset (Suet. Caes. c. 23 et 49), postea cum eo in gratiam rediit, ut ab eo anno 54 in petitione consulatus adiuvaretur, sed frustra; nam ita excidit, ut adeo ambitus condemnatus in exilium eiiceretur, ex quo revocasse eum videtur dictator Caesar. Eius frequens mentio fit apud Ciceronem; filius autem eandem et fortunam et vitae cursum

habuit ac L. Autronius Paetus, de quo paulo infra explicabitur. Nam Caesaris Octaviani amicum eum fuisse censeo. Notior M. Herennius, quem marmor hoc Kal. Nov. suffectum esse prodit et quidem, ut videtur, C. Memmio. Nam non dubium, quin ad eum pertineat inscriptio a municipibus municipii Veientis posita (apud Feam in Fragmentis fastor. p. XXXV; cf. Borghes. in Diurn. Arcad. 1827, 4 p. 87), in qua appellatur M. Herennius M. f. Picens. Reliqui nihil notum ac ne pater quidem eius inveniri potest; nam qui ann. 94 L. Philippo superato factus est consul, M. Herennius, avus fortasse huius Marci fuerit, pater non fuit. Quare hunc bellica laude meruisse iudico, ut consulatu ornaretur.

Sequitur annus 33 a. Chr., 721 ab urb., imprimis multitudine suffectorum consulum insignis, quod ideo fieri potuit, quod et Caesar, ut in bellum Illyricum proficisceretur, post paucas horas, ut supra dictum est, consulatu se abdicavit et Sex. Pompeius, qui pace Misenensi in hunc annum cum Caesare designatus erat, iam non supererat. Itaque pro Sex. Pompeio factus L. Volcatius, ut hic lapis ait, qui haberi solet recte, ut videtur, pro filio L. Volcatii Tulli, consulis ann. 66, ipse praetor ann. 46 (Cic. Epist. XIII, 14, 1). Verum quamquam et Dio XLIX, 43 et Frontin. de aquaeduct. c. 9 hunc consulatum commemorant, nihil aliud de homine notum est. Nec multo plus notum est de L. Autronio, quem Caesar sibi Kal. Ian. suffecit; hunc enim omnes fere concedunt filium fuisse P. Autronii Paeti illius, qui cum P. Cornelio Sulla cos. designatus in ann. 65, a L. Aurelio Cotta et L. Manlio Torquato ambitus damnatus est ac deinde in exilio vixit. Sed nascitur in eo singularis quaedam difficultas. Nam in fastis Capitolinis ann. 29 (725 ab urb.) notatur hic triumphus:

L. AVTRONIVS. P. F. CRASSVS. PRO. AN. DC[CXXIIII

COS. EX. AFRICA · XVII. K. SEPTEMB[R.

Respondent his, quae in alio fragmento fastorum triumphalium apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 607 sunt, quae sic supplenda:

L. AVTRONIVS. P]AETVS. EX. AFRICA. XVII. K. SEPT. TRIVMPHAVT

PALM]AM. DEDIT

Neque enim quisquam dubitabit, quin ad eandem haec rem et ad eundem hominem pertineant. At utrum hic triumphus item ad hunc, qui in huius anni cos. suffectis appellatur P. Autronius, referendus sit necne dubium fortasse videatur. Equidem, etsi Pighium dubitanter modo pronunciare, reliquos rem fere negligere intelligo, ne hoc quidem dubium esse debere statuo. Primum enim quaeritur, num, qui proconsulatum Africae gesserunt, antea consules esse debuerint. Quae res cum controversa esse non posset, si de temporibus posterioribus ageretur, ne hoc quidem civilium bellorum tempora videtur esse posse dubia. Nam T. Statilius Taurus, cuius triumphus ex Africa anno 34 in fastis Capitolinis et in fragmento Mariniano notatur, consul fuerat ann. 37; L. Sempronius, cuius triumphus anno 20 ibidem nota-

tur, consul fuerat ann. 34; de L. Cornelio Balbo, qui ann. 19 triumphavit, infra dicetur, itemque L. Cornificius, cuius triumphus Africanus incerto anno significatur in fragmento Mariniano, cos. ann. 35 fuerat. Unde recta colligimus etiam L. Autronium, qui ex Africa ann. 29 triumpharit, antea fuisse consulem. Iam consulatus usque ad ann. 29 omnes noti sunt, si discedas ab ann. 35; nec in iis ullus Autronius alius invenitur praeter hunc, de quo disputamus. Ipso autem illo anno 35, si fuit Autronius cos. suffectus, certe non praefuit pro consule Africae, quia modo L. Cornificium, qui fuit cos. eodem anno, Africae praefuisse vidimus, neque eiusdem anni consules easdem accepisse provincias statui potest. Quare cum utique is Autronius, cuius triumphus Africanus commemoratur, idem esse videatur atque is, qui consul suffectus fuit ann. 33, quale fuit eius praenomen? Nam fragmentum hoc Campanum Publium, fasti Capitolini Lucium appellant, ex quibus quin fastis maior fides habenda sit, vix potest videri dubium. Etenim et omnino ob initio diligentius scripti erant quam marmor Campanum, ac deinde a viris doctis accuratius descripti et hoc loco adiuvantur etiam alia auctoritate. Cum enim omnino Autroniorum memoria paulo sit rarior in inscriptionibus Latinis, nondum ullum inveni P. Autronium, at *L. Autronium L. l. Athopeutum* in titulo columbarii viae Praenestinae apud Mur. p. 1784, 38, et ex eodem columbario *L. Autronium Urbanum*, qui ex ipsa hac Augusti aetate videntur esse. Neque certe longe hinc abest inscriptio Ocriculana apud Grut. p. 933, 14, in qua complures L. Autronii, Luciorum liberti, commemorantur. Quos omnes si quis ad hunc anni 33 consulem eundemque Africae proconsulem referre velit, non illo quidam ullo certo argumento, at magna veri similitudine utatur. Verum, ut in praenomine fastos Capitolinos sequor, ita in cognomina quod iidem ob auctoritate marmoris Mariniani et scriptorum recedunt, magnopere conturbor. Etenim apud Marin. haud dubio cognominis *Paetus* supersunt vestigia et Appian. Illyr. c. 28 appellat Autronium Paetum consulem. Accedit, quod ex gente Autronia nemo unquam Crassus cognominatus est, at Paetus ipse huius consulis pater, de quo supra dictum est. Unde cum prorsus intelligam erratum esse in fastis Capitolinis, ambigo tamen, utri errorem tribuam, ei qui scripsit an ei qui descripsit. Huius errorem aliquem supra secundum Borghesii auctoritatem notavimus et correximus, illum decipere poterat quod proxime insequitur M. Licinii Crassi cognomen. Quae cum ita sint, consulem huius anni, qui Kal. Ian. Caesari suffectus est, appellamus *L. Autronium P. f. Paetum*. Qui cum natus esset patre, ab optimatibus damnato et expulso, etsi pater, quamvis olim Caesaris amicus (Suet. Caes. c. 9), in exilio videtur etiam post Caesaris dictaturam mansisse (Cic. ad Att. III, 2 et VII, 1), intelligitur tamen facile, quomodo, aliorum multorum exemplum secutus ad Caesaris partes se applicaverit ab eiusque filio praemia studii sui perceperit.

In duobus qui insequuntur consulibus notandis dissensio quaedam est auctorum, qui marmor Campanum nobis tradiderunt. Nam Apianus Kal. Maiis solum L. Flavium suffectum

ponit, Kal. Iul. C. Fonteium et M'. Acilium; at frater Iucundus, schedae Farnesianae, Pighius ita scribunt, ut Kal. Maias ad L. Flavium et C. Fonteium, Kal. Iulias ad unum M'. Acilium pertinere velint. Valuit apud fastographos adhuc illa sententia, vel quia Apiani exemplum per Gruteri librum propagatum pluribus innotuit vel quia, quod posteriore tempore fere fieri videbant, ut Kal. Iuliis consules sufficerentur, idem in hac consulum multitudine valere arbitrabantur, celebranturque per omnes libros Kal. Maiis suffectus L. Flavius, Kal. Iuliis C. Fonteius et M'. Acilius. Quam rem, ut quaerere coepi, quis esset hic L. Flavius, contra se habere intellexi. Etenim Dio Cass. XLIX, 44, de rebus anno 33 gestis scribens, haec habet: κἀκ τούτου ὁ μὲν Ἀντώνιος τῷ τε Πολέμωνι τὴν μικροτέραν Ἀρμενίαν, ὥσπερ εἶπον, χαρισάμενος καὶ Λούκιον Κλαυούϊον ποιήσας τε ἅμα ὕπατον καὶ παύσας (συνῆν γὰρ αὐτῷ) ἔς τε τὴν Ἰωνίαν — ὥρμησεν. Sic scribunt Fabricius et Sturzius, at dubitantes an dicatur C. Cluvius, quem ipse Dio LII, 42 ait anno 29 ab Octaviano in numerum consularium relatum esse. Quod quam falsum sit, iam supra expositum est. Nam qui refertur inter consulares, consulatum non gessit; multo autem minus eum, qui vere gessit, inter consulares referri opus est, in quibus ipso honore, ut eo decessit, esse incipit. Verum etiam ideo haec suspicio falsa, quia, si cui Antonius IIIvir consulatum ann. 33 detulit, eius nomen in hoc lapide afferri opus est, neque in eo C. Cluvius, sed L. Flavius legitur. Unde nata est vetus illa ac certa emendatio, quam primum in Onuphrii Panvinii Fastis p. 285 (ed. Venetae 1558) inveni, ut apud Dionem Λούκιον Φλαούϊον legatur. De quo si hoc tantum Dio apud auctores suos reperisset, fuisse eum consulem, non, opinor, commemorasset, quia plerosque suffectos consules omittit: nunc autem legerat, simul eum et factum et abdicatum i. e. uno die eum et inisse consulatum et deposuisse, idque sane notabile erat. Duo igitur haec de L. Flavio didicimus, primum legatum eum fuisse M. Antonii in Armenia rebusque bello gestis meruisse, ut consulatu ornaretur, deinde Kal. Maiis in unum locum consularem duos deinceps consules suffectos, quo ludibrio honoris Antonius non usus esset, si tunc iam mos ille inter consulares referendi aut consularibus insignibus ornandi, quo postea imperatores uti solebant, vel notus vel usitatus fuisset [1]). Quis autem homo ille fuerit, incertum. Hoc solum video, in nummo apud Eckhel. Doctr. Numm. V p. 243 commemorari C. Flavium Hemicillum (cf. Borghes. in Observat. numism. X, 5), legatum pro praetore M. Iunii Bruti τυραννοκτόνου, cuius frater si fuit hic L. Flavius, pro fratribus illis C. et L. Flaviis, honestis et ornatis

1) Apparet igitur falsum esse quod Muratorius putabat hunc Flavium cos. commemorari in tessera gladiatoria, quam ex Boldetto bis exhibuit p. 295, 1 et 611, 3. In qua cum consules significentur sic: L. FLAVIO FIMCATI, Cl. Card. in Memor. Romanis Antiquitat. Vol. II p. 152 dubitabat, qui cos. dicerentur, Borghes. in Diurn. Arcad. 1832, 1 p. 72 L. Flavium Fimbriam C. Atilium Barbarum, cos. suffectos paulo post 73 p. Chr., significari statuit.

equitibus Romanis haberi possint, quos Cicero commendat Epist. XIII, 31. Hoc certum origine eum fuisse ignobiliore. Si autem vera sunt, quae de L. Flavii brevi consulatu exposuimus, non modo L. Volcatium Tullum oportet fuisse ex amicis Antonii ab eoque consulatu ornatum, verum etiam C. Fonteium, qui L. Flavio successit. Atque ita est. Extat enim, apud Eckhel. Doctr. Numm. V p. 219 et VI p. 55, denarius anno 40 factus, sic inscriptus M. ANT. IMP. COS. DESIG. ITER. ET. TERT. IIIVIR. R. P. C. et in aversa parte: C. FONTEIVS. CAPITO. PRO. PR. Neque dubium esse debet, quin hic sit ipse ille, qui anno 33 consul suffectus est. Eum Antonii familiarissimum fuisse discimus ex Horat. Serm. I, 5, 32, quo illum non modo ad res gerendas, sed etiam ad alia familiaria negotia curanda usum esse ostendit Plut. Ant. 36, qui eum missum esse scribit ad Cleopatram ex Aegypto in Armeniam adducendam. Qui quo patre fuerit, incertum est; filium eius iam Panvinius l. s. l. vidit esse eum, qui consul fuit anno 12 cum Germanico Caesare et in fastis Capitolinis appellatur C. Fonteius C. f. C. N. Capito [1]).

Ex iis, quae supra exposita sunt, cum intelligatur, anni 33 a. Chr. unum locum consularem ex Caesaris, alterum ex Antonii beneficio pependisse, incertum tamen, ab utro M'. Acilius honorem acceperit. Ignotum enim est, quem patrem habuerit, ignotum, quas res gesserit, hoc tamen vix dubium, quin recte Pighius statuerit esse eundem, de quo narrent Plin. nat. hist. VII, 53 *Aviola consularis in rogo revixit et quoniam subveniri non potuerat praevalente flamma vivus crematus est*, et Valer. Max. I, 8, 12 *Aliquid admirationis civitati nostrae Acilii etiam Aviolae rogus attulit, qui et a medicis et a domesticis mortuus creditus cum aliquamdiu humi iacuisset elatus, postquam ignis corpus eius corripuit, vivere se pro-*

1) In hoc autem cos. ann. 12, huius, de quo dicimus, C. Fonteii filio, insigne deprehenditur exemplum, quo norma multis locis a Borghesio proposita (ut in Diplomate Traiani Decii p. 62 sqq.; Annal. Inst. arch. Rom. 1840 p. 235, alibi) videatur everti. Is sic statuit usque ad nonum urbis saeculum nullum extare monumentum, in quo non ii qui vere sint consules nominentur, nec ante Neronem usu venisse, ut, qui Kal. Ian. inissent, etiamsi postea abdicassent, totum annum significarent, atque etiam postea certe usque ad M. Aurelium et Commodum in publicis actis suffectos consules appellari solere. Ita cum doceat Borghesius, anno 12 p. Chr. Kal. Iuliis C. Fonteio suffectum esse C. Visellium Varronem et fasti Capitolini ostendunt et Borgh. ipse concedit in Diurn. Arcad. 1832, I p. 85. Iam excusabimus fortasse Suetonium Calig. c. 8, qui C. Caesarem narret *pridie Kal. Septembres patre suo et C. Fonteio Capitone consulibus* natum, eumque suae aetatis, non sius, cuius historiam scribebat, morem secutum esse dicemus. At quid faciamus inscriptione apud Grut. p. 521, 4, in qua ara dedicata esse narratur *prid. Kal. Decembres Germanico Caes. et Capitone cos.?* Hac autem norma eversa multas temporum significationes in re epigraphica aliter constituendas esse videmus. Neque explicabimus hoc loco, quemadmodum res se habere videatur, sed hoc faciendum esse putavimus, ut cavendum esse significaremus.

clamavit auxiliumque paedagogi sui (*nam is solus ibi remanserat*) *invocavit.* ***Sed iam flammis circumdatus fato subtrahi non potuit.*** Etenim cum Valerium Maximum imperante Tiberio scripsisse constet, falsa est sententia Lipsii ad Tacit. Annal. III, 41, qui dici putabat eum, qui ibi inveniatur, Acilium Aviolam legatum, quem Berghes. in Observat. numism. XIV, 2 (Diorn. Arcad. 1825, 4 p. 68 sqq.) docet esse eum, qui in nummis Caligulae proconsul Asiae reperiatur, fuisseque consulem suffectum circa ann. 27. Neque alius ullus Acilius Aviola, qui imperante Augusto aut Tiberio vixerit, notus est. Etsi igitur probabile, hunc Acilium cognomen habuisse Aviola, unde tamen habuerit nescimus, neque quisquam est ante eum, qui idem habuerit, tres post eum, quorum primus is, quem modo diximus, qui cos. ann. 27 p. Chr. videtur fuisse, alter cos. ann. 54, tertius cos. ann. 122, de quorum honoribus disputavit Borghes. l. l. Qui quod quattuor hos Acilios censet filios inter se et patres fuisse, non discernam hoc loco utrum verum sit necne (quamquam propter longum temporis spatium interiectum inter consulem ann. 54 at consulem ann. 122 alium potius C. Acilium Aviolam intercessisse arbitror), sed hoc intelligo, hunc ann. 31 a. Chr. consulem, si non habet Gaii praenomen, habere debere Manii. Nam consules ann. 54 et 122 appellari constat Manios, illum autem Gaii filium fuisse ex mutila inscriptione apud Don. Cl. V n. 54 (Mur. 666, 5), quam emendatiorem Borghesius l. l. exhibet, discimus. Quod nisi ita esset, incertum esse deberet, hic consul anni 31 Manius appellandus esset an Marcus, quae omnino est in hac gente de praenomine dubitatio (vide Eckhel. Doctr. Numm. V p. 119). Nam solae Iucundi schedae Manium nominant, Pighius, Apianus, schedae Farnesianae Marcum. Quamquam sicubi inter haec duo praenomina dubitatio erietur, satius erit Manium praeferre, siquidem facilius et usitatum praenomen Marci legitur et lineola, quae Manium significat, oculos fugit.

Qui Kal. Sept. suffectus est, appellatur ***L. Vinucius*** a Pighio et fratre Iucundo, in schedis Farnesianis ***M. Vinicius***, ab Apiano ***L. Vinitius***, ut par sit utrimque auctoritas, sive Vinucium sive Vinicium appellari placet. At scriptores constanter appellant ***Vinicium***: sic apud Cic. Epist. VIII, 8, 6, etsi erratum est in nomine, apparet tamen fuisse ***Vinicius***, sic Tac. Annal. VI, 15 sine varietate lectionis, sic Velleius saepe ac constanter, sic denique Dio Cassius. Itemque nummi, quos deinde citabimus, item inscriptiones omnes, cum saepe multi inveniantur Vinicii, ipse cos. ann. 30 p. Chr. M. Vinicius appellatur in fastis Nolanis et consul ann. 19 a. Chr., ut videtur, M. Vinicius P. f. apud Grut. p. 488, 6 (Reines. p. 806, 42; Mur. 1510, 10). Quare desperarem prorsus ullum posse Vinucium reperiri, nisi in tabula Colotiana consulem anni 19 a plerisque et certissimis editoribus, ut nuper a Car. Fea, viderem scribi M. Vinucium, in solius P. Victorii exemplo apud Donium p. 157 esse M. Vinicium. Quae cum ita sint, etsi varietatem parvam esse intellige atque eam, quae apud ipsos Romanos facile excusari potuerit, tamen et hunc hominem appellabo Vinicium et in tabula Colotiana dubito

an idem scribendum sit. Viniciae igitur gentis duas invenio circa tempora morientis libertatis et nascentis imperii familias fuisse, quarum una ab imperatore Tiberio eo ornata est, quod Iuliam Germanici filiam M. Vinicio cos. ann. 30 p. Chr. in matrimonium dedit, qui a Claudio ann. 45 altero consulatu elatus anno post a Messalina una cum uxore necatus est (Dio LX, 27). Quam rem Tacitus Annal. VI, 15 dum narrat, sic de tota familia refert: *Vinicio oppidanum genus: Calibus ortus patre atque avo consularibus, cetera equestri familia erat*, similiaque Velleius, qui consuli anni 30 libros suos dedicavit, scripsit, avi et patris consulatus commemorans. Nimirum pater est P. Vinicius, cos. ann. 2 p. Chr., qui idem videtur commemorari apud Suet. Aug. c. 71, avus consul ann. 19 a. Chr., clarus bello Germanico, quod quia praeclare administrarat, primus in familiam suam honores intulit [1]). Minus celebrata est altera gentis Viniciae familia, ex qua unus L. Vinicius honores adeptus est. Is anno 51 a. Chr. tribunus plebis cum C. Vibio Pansa aliisque dictatorem Caesarem in principatu consequendo adiuvit (Cic. Epist. VIII, 8, 6), idemque videtur atque hic consul ann. 33, quem honorem item fortitudine bellica accepisse iudico. Filium eius iam Eckhel. in Doctr. Numm. V p. 343 iudicat esse eum, qui in nummis Augusti ann. 26 a. Chr. appellatur L. Vinicius L. f. eundemque videri esse coniicio, qui apud Suet. Oct. 64 vocatur *clarus decorusque iuvenis*. Reliqui nihil nec de ipso nec de eius posteris traditur; nam T. Vinicius Iulianus cos. ann. 80 ab altera potius familia quam ab hac videtur descendere.

Ut autem L. Vinicius unus ex sua gente fortitudine bellica, cuius exhibendae occasiones

---

1) De hoc cos. ann. 19 a. Chr. duo sunt apud Velleium loci, corrupti librariorum negligentia. Prior est libr. II c. 96 *Subinde bellum Pannonicum, quod inchoatum ab Agrippa Marcoque Vinicio, avo tuo, Coss., magnum atroxque et perquam vicinum imminebat Italiae, per Neronem gestum est*. Sic enim editio princeps et codex Amerbachianus habent, cum editores fere *Vinicio, avo tuo, consule* exhibeant, quod falsum esse Kritz. docuit, ipse *consulari* scribens, quod non magis verum. Nam etiam M. Agrippa consularis erat, ut certe debuerit esse *consularibus*, nec refert quicquam consularem Vinicii honorem commemorari. Quare longe praefero Sauppii emendationem in Mus. Helvet. a. 1837 Vol. I, 2 p. 151, conficientis *avo tuo, viro clarissimo*. Alterum vitium a nemine animadversum non minus tamen apertum est. Acta enim anni 4 p. Chr. narrans Vellei. II, c. 104 sic habet: (Tiberium) *protinus in Germaniam misit, ubi ante triennium sub M. Vinicio, avo tuo, clarissimo viro, immensum exarserat bellum*. Quid? Ille anni 19 a. Chr. consul ann. 1 p. Chr. in Germania bellum gessit? Quem si statuas, quoniam sua sola virtute bellica, non nobilitate, consulatum adeptus est, praefuisse ei anno aetatis quinquagesimo, praeclare sane agas, ut gravis annis ann. 1 p. Chr. vix potuerit bellum tolerare. Deinde quod Velleius addit *ei cum speciosissima inscriptione operum ornamenta triumphalia decreta esse*, ostendit id bellum dici, quod Dio LIII, 26 anno 25 refert, quo bello Augustus imperator VIII appellatus est. Quid igitur faciemus illo triennio? Quod quin in *triginta annos* mutandum sit, nemini debet esse dubium.

bella civilia praebebant, ad consulatum pervenerat, item L. Laronius (nam sic, non *Laenonius*, ut est apud Apianum, quae nulla fuit apud Romanos gens, scribendum esse apparet) nec maioribus nec posteris nobilitatus unus ex suis in consulum serie exstitit. Neque enim dubium esse debet, quin sit idem, qui apud App. bell. civ. V, 112 et 115 inter duces exercitus Caesariani commemoratur, tribus legionibus praefectus. Cuius strenua opera cum Octavianus in Sex. Pompeio superando usus esset, quid mirum, si eum summo, qui tribui poterat, honore ornavit? Iam cum omnes huius anni consules complectimur, Antonianos fuisse constat tres L. Volcatium, L. Flavium, C. Fonteium, Caesarianos duos, P. Autronium et L. Laronium; incertum utrius partis fuerint, M'. Acilius et L. Vinicius. Quorum hunc etsi postea etiam sub Augusto honoratum vixisse intelleximus, ab Antonio tamen consulem constitutum esse iudico. Nam si consulum per hunc annum successiones consideres, ab Antonio annum in tres partes quaternorum mensium divisum esse invenias, quarum primam L. Volcatius, alteram L. Flavius vel C. Fonteius, tertiam L. Vinicius teneret; ab Caesare in quattuor partes ternorum mensium, quarum tertiam et quartam, ut initio statuerat, servavit, alteram, quia ipse Roma abire properabat, cum prima coniunxit.

Anno 32 a. Chr. (721 ab urb.) Kal. Ian. qui consulatum inierunt, ambo M. Antonii erant amici eiusque legati. Qui quo pacto ipso anni initio postquam honorem auspicati sunt, Caesarem in senatu accusarint, Antonium defenderint, deinde metuentes, ne vi Romae coërcerentur, clam ad Antoninm perfugerint, quoniam eae res notae sunt, non referam. Nec de vita Cn. Domitii Ahenobarbi narrabo, filii L. cos. ann. 54 a. Chr. et Porciae, Catonis sororis, qui cum damnatus inter dictatoris Caesaris percussores ad Brutum Cassiumque perfugisset, ubi ii ad Philippos perierunt, aliquamdiu mari suis auspiciis imperavit, tum venia impetrata ad Antonii partes accessit eiusque legatus fuit, dum odio Cleopatrae paucis ante discrimen Actiacum diebus ad Caesarem transfugit, intra paucos a proditione dies extinctus (Suet. Ner. 3; Dio Cass. L, 13; Plut. Ant. c. 63). Unum commemoro, recte praenomen hominis traditum esse ab Apiano et schedis Farnesianis, non recte apud Pighium et fratrem Iucundum appellari Gaium, quo praenomine neminem Ahenobarborum usum esse ait Suet. Ner. c. 1. Item satis notus collega Cn. Domitii C. Sosius. In quo primum animadverto quod nomen eius apud Apianum scribitur *Sossius*, quod nolim continuo damnari. Scribitur ille quidem Sosius et in nummis, quos infra citabimus, et in Ciceronis epistolis sine variatate lectionis, et apud Vellei. II, 85 et 86, et in certissimis inscriptionibus, ut in catalogo saliorum Palatinorum apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 166, ut in fastis triumphalibus Capitolinis aliisque plurimis titulis. At Sossium semper vocant Dio Cassius et Plutarchus, itemque inscriptiones non paucae, ut Suessana apud Grut. p. 475, 4, Veliterna apud Marin. Inscript. Alb. p. 130, item apud Grut. p. 1089, 6; p. 226, aliaeque. Denique in fragmentis fastorum triumphalium, quae Marin. Act. fratr. Arv. p. 607 edidit,

huius ipsius de quo dicimus C. Sosii triumphus sic notatur C. COSSIVS. EX. IVDAEA, ad quem locum Marinius tesseram gladiatoriam affert, in qua quod legitur SOCIOAVE, recte videtur explicare SOSIOAVE. Quid igitur statuemus? Sic, opinor, utramque S huius vocis acuto sono esse pronunciatam, itaque accidisse, ut et Graeci litteram mediam duplicarent et, qui minus elegantes essent homines Romani, aut item duplicarent aut pro ea C scriberent. Vere enim inscriptiones, in quibus Sossius legitur, inveniās aut extra urbem esse positas aut ab hominibus parum eruditis profectas, ipsumque illud fragmentum Marinianum, quod citatum est, ex compluribus scribendi vitiis intelligitur ab homine minus eleganti esse confectum. Quare etsi hoc loco numero auctorum cedentes appellabimus C. Sosium, utro tamen modo in titulo Campano scriptum fuerit, discernere non audemus. Vita autem C. Sosii satis nota est. Qui cum ignotis maioribus natus esset (nam etsi C. f. T. n. in fastis Capitolinis appellatur, nihil tamen de patre aut avo traditur), incerto anno quaestor fuit M'. Lepidi, tum ann. 49 praetor (Cic. ad Att. VIII, 6, 1), quo ipso anno etsi antea Cn. Pompeium adiuverat, in Caesaris partes transgressus in urbe perseveravit (Cic. ad Att. IX, 1, 2). Tum postquam aliquamdiu quiavit, ut Caesare interfecto dissensio inter Octavianum et Antonium orta est, ad huius partes se applicavit in iisque constantissime perseveravit usque ad earum interitum. Propterea iam ann. 40 consul ab Antonio designatus in ann. 32 (ac *consul designatus* appellatur etiam in nummis apud Eckhel. D. N. V p. 314) mox bellum ab Antonio Syriae et Ciliciae praefectus gessit felicissime in Iudaea, quod enarrat Iosephus, breviter commemorat Dio Cass. XLIX, 22, ex quo bello et imperatoriam titulum sibi paravit, qui item in nummis invenitur, et cum ad consulatum suscipiendum Romam redisset, mense Sept. ann. 34 triumphum egit, qui et in fastis Capitolinis et in fragmento Mariniano annotatur. Ipsum autem consulatum cum anno 32 suscepisset, Kal. Ian. in Caesarem invectus, ut huno Romae plus valere intellexit, ab urbe ad Antonium profugit suscepitque classis imperium. Cum qua cum ante ultimum discrimen L. Arruntium opprimere voluisset, ipse ab Agrippa victus est (Dio Cass. L, 14). Deinde fugato Antonio aliquamdiu occultatus, etsi diutissime et acerrime adversatus erat, veniam tamen ab Caesare, per Arruntium, ut videtur, exorato, impetravit (Dio Cass. LI, 2; Vellei. II, 86).

Ex iis qui suffecti sunt hoc anno, de uno M. Valerio iam supra a nobis dictum est. Superest alter L. Cornelius, qui quis homo fuerit, difficilis quaestio est; magna enim fuit gens Cornelia multaeque eius familiae. Verumtamen Scipiones hoc tempore atque omnino extremis libertatis calamitatibus iacebant, sub Augusto demum ad veterem splendorem renovandum excitati, Sullarum nemo hoc tempore praenomen Lucii habet, Cethegi dudum cum illo Catilinae socio perierant, ex Dolabellis, qui hoc quidem tempore florebant, nemo Lucius appellabatur, L. Cinna quidam praetor erat ann. 44 a. Chr., sed quia necem dictatoris Caesaris probaverat, IIIviris certe parum gratus (Drumann. hist. Rom. II p. 591). Ita ex veteribus familiis relin-

quuntur soli Lentuli, ex quibus pertinere huc fortasse possit L. ille Lentulus, qui inter amicos Antonii numeratur apud Cic. Phil. III, 10. Quem etsi veri simile est etiam post pugnam Actiacam vixisse, nulla tamen re demonstrare poterimus fuisse consulem et fuisse hoc anno. Ut igitur hunc cos. suffectum ann. 32 qui fuerit inveniamus, necesse est ad novam familiam descendamus Balborum, quae hoc ipso tempore gratia Caesarum ad maximas divitias et honores pervenerat. Atque illum quidem L. Cornelium Balbum, qui imprimis amicitia dictatoris Caesaris floruit, iam anno 44 scimus, nullis antea honoribus gestis ex privato subito consulem esse factum. At habuit is ex fratre filium L. Cornelium Balbum, qui ut a patruo discernatur, nonnunquam minor appellatur. Qui item Gadibus natus et Cn. Pompeii beneficio civitate donatus cum tamen ad dictatoris Caesaris partes se convertisset, saepe eum in bello civili opera sua adiuvit (Cic. ad Att. VIII, 9, 4 et saepius, Vellei. II c. 51); tum anno 44 et 43 quaestor fuit Asinii Pollionis pro praetore in Hispania. Postea quos honores gesserit, non traditur; sed triumphus eius sic notatur in fastis Capitolinis anno 19 a. Chr. (735 ab urb.):

L. CORNELIVS. P. F. BALBVS PROCOS	A. DCCXXXIV
EX AFRICA	VI. K. APRIL

Eundemque triumphum commemorant Solin. c. 32, Strabo lib. III, 2, 3; item Plin. nat. hist. V, 5: *Omnia armis Romanorum superata et a Cornelio Balbo triumphata, uni huic omnium externo curru et Quiritium iure donato; quippe Gadibus genito civitas Romana cum Balbo maiore patruo data est.* De eodemque Vellei. II, 51, operam in bello Pharsalico praestitam commemorans, sic habet: *Tum Balbus Cornelius excedente humanam fidem temeritate ingressus castra hostium saepiusque cum Lentulo collocutus consule, dubitante quanti se venderet, illis incrementis fecit viam, quibus non in Hispania ex cive natus, sed Hispanus, in triumphum et pontificatum assurgeret fieretque ex privato consularis.* Sic certe locus praeter illa quae sunt *in Hispania ex cive*, de quibus hoc tempore non dicemus, et in vetere codice legitur et a recentissime editore Frid. Kritzio defenditur, cum a prioribus editoribus, imprimis Ruhnkenio, emendetur *fieretque ex privato consul*, quam emendationem parum aptam esse ideo dicit Kritzius, quia non de munere suscepto, sed de mutata condicione Balbi agatur, nec ab eius iudicio in hac quidem re discedo. Sed quid dicamus, quod et ipse et ceteri editores ab Velleio dici existimant Balbum maiorem, quem ann. 40 nullis antea honoribus gestis constat consulem esse factum? Quod cum statuerent, item hoc necessario iis faciendum erat, ut bis ab Velleio erratum esse concederent; primum enim Balbum maiorem fuisse consulem, minorem triumphasse, deinde maiorem incredibili illa temeritate usum in castra Pompeii intrasse, minorem bello civili omnino non interfuisse (Cic. ad Att. IX, 6). Has duas res, in quibus errasse Velleium putant, si ita ut volunt se haberent (neque ita se habere infra exponemus), incredibilis tamen indicii temeritas erat, quod Velleium potius,

qui prope aequalis fuisset rebus a se narratis, in tam celebri homine errasse quam se ipsos quid diceret minus recte intellexisse arbitrabantur. Atque utinam vel hac temeritate, dum, quod ipsi peccant, alii imputant, tolerabilem huius loci sensum affecissent! Nunc vero hoc dicere volunt Velleium, Balbum in triumphum et pontificatum assurrexisse factumque ex privato vel consularem vel consulem. Quod cui non accidit? Nam omnes antequam honores atque consulatum adipiscuntur, privati sunt. Etenim aliud est, si dicas aliquem hoc vel illo anno vel subito vel intra certum temporis spatium, aliud si universe factum esse ex privato consulem. Quare intelligitur et perire unum illud, quo isti volebant significari maiorem Balbum Velleiumque peccasse censebant et errorem librariorum esse in vocabulo *privato*, cui idonea sententia subiecta est nulla. Ipse adeo Velleius, cum Balbum ait illis incrementis fecisse viam, quibus ad summos honores assurrexerit, haud dubie significat non subito emicuisse eum, sed paulatim ascendisse. Quae cum ita sint, placeret sane quod Heinsius coniiciebat: *ex tributario consularis* aut quod Burmannus *ex peregrino consularis*, nisi et recederent haec nimis ab iis, quae tradita sunt, et Balbum constaret antequam civis Romanus factus est, nec tributarium fuisse nec ex vulgari genere peregrinorum. Nam quicunque Ciceronis orationem pro Balbo habitam norit, idem norit Gades fuisse civitatem foederatam. Quoniam igitur Balbus genere erat foederatus, hoc loco utique scribendum esse censeo *ex foederato consularis*, quod quomodo corrumpi potuerit in *privato*, facile intelligas, imprimis cum non *foederato*, sed *federato* in veteribus libris scribi constet. Sic igitur hunc Velleii locum explico, ex quo L. Cornelium Balbum minorem (neque enim Velleius eum cum patruo confudit aut confundere potuit) discimus paulatim per solitos honorum gradus eo ascendisse, ut et pontifex et consul fieret et triumphum ageret [1]. Quamquam de consulatu L. Balbi minoris etiamsi non traderet Velleius, colligi tamen posset ex fastis triumphalibus Capitolinis, in quibus cum narretur pro consule triumphasse ann. 19 ex Africa, necesse utique est fuerit consul. Primum enim cum Balbus ann. 19 ex Africa triumpharit, Augustus iam ann. 27 a. Chr. cum provincias cum senatu partiretur, constituit, ut Africa et Asia iis modo regendae darentur, qui consules fuissent, unde quicunque his provinciis sub imperatoribus praefuerunt, eos omnes constat consulatu functos esse. Quis igitur putet aliquot annis postquam illa lex lata est, Balbum consulatu non gesto Africae praefuisse? Deinde omnes proconsulos Africae, qui in fastis Capitolinis inde a IIIviratu iuncto triumphasse narrantur, antea consules fuisse video. Cf. quae supra p. 33 de L. Autronio Paeto, cos. ann. 33, exposita sunt. Itaque sic quoque efficitur, ut Balbus consul fuerit. Ac quoniam in tabulis Capitolinis post illos, quos Africae praefuisse diximus, ann. 19 triumphus eius ponitur,

1) Hinc corrigendus etiam Drumann. in hist Rom. II p. 610, qui item Balbum hunc minorem praetorem et consulem fuisse negat.

item probabile consulem eum post illos fuisse. Iam fasti inde ab ann. 34 usque ad ann. 19 a. Chr. ita noti sunt, ut nullus omnino ne suffectus quidem consul lateat, in quorum serie cum non inveniatur ullus L. Cornelius Balbus, nôn amplius dubitandum esse intelligemus, quin hunc, qui Kal. Iul. ann. 32 suffectus est, appellemus *L. Cornelium P. f. Balbum*. Accedit hoc, quod Dio Cass. LIV, 25 Cornelium hunc Balbum narrat, postquam suo sumptu theatrum, quod Balbi appellatur, aedificavit, eum honorem accepisse, ut a Tiberio, ann. 13 a. Chr. consule, in senatu princeps omnium sententiam rogaretur. Quod quomodo fieri potuit, nisi antea consulatum gessisset et inter consulares esset, quos omnium primos sententiam dixisse constat?

Denique ex iis, quae de consulibus hoc anno suffectis exposuimus, apparet utrumque suffectum esse ab Caesare et ex eius amicis. Neque sane Antonius, quamvis cuperet, quemquam ex suis sufficere poterat; nam inde ab initio huius anni Caesar et urbem et universam Italiam in sua potestate tenebat. Quamquam Antonium, quem anno praecedenti satis liberalem in consulatibus concedendis fuisse videam, non arbitror nemini suorum consulatus honorem tribuisse, sed quibus tribuerat, ii, quoniam ne inire quidem Romae honorem poterant, nec habebantur Romae pro consulibus nec in fastis scribebantur. Nec tamen mihi contigit, ut in nummis (nam ex his praecipue huius rei notitia petenda erit) legatum Antonii invenirem, quem consulem fuisse intelligerem. Nam neque in M. Oppii Capitonis neque in L. Pinarii Scarpi nummis (Eckhel. D. N. VI p. 55 sqq.) consulatus significatio apponitur; Q. vero Pacuvii Rufi nummi (Eckhel. ibid. V p. 265) tot habent dubitationes, ut de iis certo pronuntiare non audeam. Unum quaeritur amplius, in utrius locum Caesar consules suffecerit, in Cn. Domitii an in C. Sosii. Equidem eum C. Sosium prorsus ex Antonio pependisse, Cn. Domitium, quamvis se submitteret, aliquid tamen etiam suae dignitatis conservasse videam, hunc, ut pace Misenensi constitutum erat, ad Kal. Iul. consulatum gessisse, deinde ei L. Cornelium et M. Valerium successisse iudico. Commemorantur autem consules huius anni in fragmento fastorum collegii alicuius, quod Mur. p. 295, 2 exhibet, ubi eum item sola praenomina et nomina inveniantur, nihil novi disci potest.

Anno 31 a. Chr. (723 ab urb.) qui Kal. Ian. cum Imp. Caesare III iniit M. Valerius, iam explicatum supra a nobis est fuisse Messallam Corvinum, ut relinquantur modo duo suffecti. Ex quibus qui Kal. Maiis consulatum accepit, in exemplo fratris Iucundi appellatur T. TITIVS, ab Apiano M. TITVS, in Farnesianis schedis L. TITIVS, a Pigbio denique T. TITVS, ut non nomen modo sed etiam praenomen incertum esse videamus. Quamquam nomen quidem certum est ex loco kalendarii Amiternini, quem infra afferomus. Praenomen secundum Apiani auctoritatem solet M. constitui, idque recte, ut videtur. Unus enim in rebus Antonii commemoratur Titius, praenomine Marcus, qui etiam adeo bene de Octaviano meruit, ut consulatus delati

causa facile appareat. Is, filius M. Titii et Munatiae, sororis L. Munatii Planci (nam is eius avunculus appellatur a Vellei. II, 83), cum pater proscriptus a IIIviris ad Sex. Pompeium in Siciliam profugisset, ipse in Narbonensi Gallia suo sumptu classem qua praedaretur collegerat. Qua victa captus a Mena, Sex. Pompeii duce, patris causa non veniam modo invenit, sed etiam in pace Misenensi in patriam restitutus est (Dio XLVIII, 30). Cuius tanti beneficii pessimam M. Titius gratiam retulit. Etenim primum deserto Sexto Pompeio partes secutus est M. Antonii, cuius quaestor fuit ann. 36 in bello Parthico (Plut. Ant. 42), deinde cum Sextus ex Sicilia pulsus in Asiam confugisset, exercitum contra eum duxit et multis precibus utentem, quamvis ab eo tamquam ingratus et parum illustris homo sperneretur, et cepit et occidit (App. bell. civ. V, 134 sqq; Dio Cass. XLIX, 18). Cuius impietatis adeo memor erat populus Romanus, ut in urbem reversum ex iis ludis, quos ipse praeberet, pelleret (Vellei. II, 79). Auxit hanc malam hominum de se opinionem Titius, cum anno 32 cum L. Planco ad Caesarem defecit Antoniique testamentum suae fidei commissum prodidit (Dio L, 3; Plut. Ant. c. 58), qua re imprimis facem belli Actiaci incendit. Neque in hoc ipso bello Romae quievit, sed equitatui Caesaris praefectus ante ultimum discrimen prospere cum Antonii copiis pugnavit (Dio L, 13), haud scio an tunc iam consul. Nam intelligitur ex his, quam bene de Caesare meruerit. Unum est, quod coniecturae nostrae, qua haec, quae modo exposuimus de M. Titio, ad hunc ann. 31 suffectum consulem referimus, adversetur. Nimirum Plut. Ant. c. 58 M. Titii et L. Planci fugam ad Caesarem narrans ὑπατικοὺς eos appellat. Ac Plancum quidem bis antea constat fuisse consulem; in M. Titio non video quomodo non erraverit Plutarchus. Cum enim omnes consules suffecti huius temporis praeter ann. 35 noti sint, nullus in iis invenitur M. Titius; nec anno 35 is potuit esse consul, cum antecedenti anno quaestor fuisset, necdum tantas res gesserat, quibus fasciutn honore dignus videretur. Quae igitur Plutarcho causa errandi fuit? Haec, opinor, quod et consul designatus erat Titius et pro consule. Utrumque enim discimus ex lapide Mitylenae invento apud Grut. p. 474, 8, in quo appellatur ***Pro consule praefectus classis cos. designatus.*** Quae si vera sunt (neque gravior ulla dubitatio de fide inscriptionis moveri poterit), referenda erunt ad ann. 34 vel 33. Nam cum ann. 36 quaestor fuisse videatur Titius, anno 35 vel 34 praeturam gessit, deinde provinciae alicui praefectus est. Quae fuerit ea provincia, incertum est; nam Mitylenaei, qui ei illum titulum posuerunt, liberam civitatem habebant. Classis quidem praefectum fuisse etiam Appianus l. s. c. narrat. De consulatu vero ei destinato nihil notum, sed probabile Antonium non ingratum fuisse eique per partem aliquam anni consulatum voluisse deferre, fortasse ipso illo anno, quo deinde beneficio Caesaris accepit. Cf. Noris. Cenotaph. Pis. diss. II, 16, 0. De Cn. Pompeio, qui Kal. Oct. suffectus est, nihil prorsus apud auctores aut in inscriptionibus invenitur. Sed poterit tamen recte haberi pro fratre Sex. Pompeii, cos. ann. 35, quod si verum est, Sex. filius appellandus erit.

Ratio autem universa consulatuum huius anni haec erit, ut Kal. Maiis M. Titius M. Valerio suffectus consulatum usque ad insequentem annum gesserit; nam in Kal. Amiternino a. d. IV Non. Sept. Augustus ad Actium vicisse dicitur se et Titio cos. Tum parta hac victoria inimicoque suo superato Augustus Kal. Oct. suum locum cessit Cn. Pompeio; nam ipsum hoc consulatu non annuo functum esse iam supra diximus.

Anno 30 (724 ab urb.) Caesar cum superato aemulo solus imperium teneret, consulatibus deferendis videtur inimicorum iram voluisse mitigare; omnes enim prope huius anni consules ex iis sunt, qui olim proscripti fuerant. Nam qui Kal. Ian. iniit, M. Licinius M. F. M. N. Crassus, eius qui dictatoris Caesaris socius fuerat, nepos, narratur ab Dione LI, 4 primum cum Sex. Pompeio, deinde cum M. Antonio fuisse et praetermissa proetura consulem esse factum. Quare a IIIviris videtur esse proscriptus, postea pace Misenensi restitutus, ante pugnam Actiacam ad Caesarem defecisse. Qui quidem consulatu defunctus continuo in Thraciam pro consule missus est, unde victis Getis ann. 27 triumphans in urbem rediit (Dio Cass. LI, 23 sqq.; Flor. IV, 12; Liv. epit. 134 et 135), qui triumphus notatur et in fastis Capitolinis et in fragmento apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 607. C. Antistius quis fuerit, significari arbitror a Vellei. II, 43, qui dictatorem Caesarem quaestorem (ann. 68 a. Chr.) fuisse narrat *sub Vetere Antistio, avo huius Veteris consularis atque pontificis, duorum consularium et sacerdotum patris.* Vivebat enim anno 30 p. Chr., cum Velleius libros suos scripsit, C. Antistius C. f. Vetus, cos. ann. 6 a. Chr., qui idem IIIvir monetalis ann. 15 commemoratur in nummis apud Eckhel. Doctr. Numm. V p. 137, pater C. Antistii Veteris, cos. 23 p. Chr. (Tac. Annal. IV, 1) et L. Antistii Veteris cos. ann. 28, qui commemoratur in titulo Gabino apud Ennium Quirinum Viscontium in monumentis Gabinis villae Pincianae p. 15. Illius igitur, qui ann. 6 a. Chr. consul erat, avus est ille, qui anno 68 pro praetore Hispaniam ulteriorem rexit, quo tempore C. Caesar eius quaestor fuit (Plut. Caes. 5), pater hic consul suffectus ann. 30. De eo Plut. l. l. sic ait, factum eum esse quaestorem a. C. Iulio Caesare, qui patris in se benevolentiam referre vellet, id quod aliter ac Drumann. in hist. Rom. I p. 56, sic intelligo, ut postquam Caesar dictaturam accepit, eum quaesturam Antistio Veteri detulisse putem. Idem ann. 45 in Syria cum Q. Caecilio Basso pugnavit (Dio XLVII, 27; Cic. ad Att. XIV, 9), ac cum perstitisset in Caesaris Octaviani partibus, paululo ante bellum Actiacum, Salassos superavit (App. Illyr. c. 17), tum consulatu gesto ann. 25 a. Chr. Augustum in subigendis Cantabris et Asturibus adiuvit (Dio LIII, 25; Vellei. II, 90; Flor. IV, 12, 51). Diversi ab eo aliquot eodem tempore erant Antistii, ut C. Antistius Reginus, legatus Caesaris in Gallia (Caes. bell. Gall. VI, 1; VII, 83) eiusque filius, qui videtur significari in nummis apud Eckhel. Doctr. Numm. V p. 137, ut ille Antistius Vetus, qui tribunus plebis fuit ann. 56 a. Chr. (Cic. ad Q. fratr. II, 1), ut Antistius Labeo, qui Caesarem occidit ac deinde cum M. Bruto ad Philippos cecidit (Plut. Brut.

c. 12 et 51), ut alius denique, qui cum Sex. Pompeio fuit, deinde ad M. Antonium defecit (App. V, 139) quos saepe difficile est inter se satis discernere. De M. Tullio, M. oratoris filio, non opus est multa dici. Qui cum in proscriptione, qua pater et patruus perierunt, quia cum M. Bruto erat, servatus esset, post pugnam Philippensem ad Sex. Pompeium confugit, tum pace Misenensi restitutus in vita privata vixit, dum ab Octaviano, qui iniuriam patri factam resarcire vellet, nullo, ut videtur, antea honore gesto consulatu ornatus est Idib. Sept., qua in re hoc mirabile accidit, ut ipso illo die, quo Cicero consulatum iniret, ipso referente, de honoribus M. Antonii abolendis a senatu decerneretur (Plin. nat. hist. XXII, 6; Plut. Cic. 49; Dio LI, 19; Senec. de benef. IV, 30). Post consulatum autem et pro consule provinciae Asiae praefuit, et Syriam legatus Augusti rexit, ut cum scriptores multi tum titulus ab Arpinatibus ei positus apud Orell. Collect. Inscr. n. 572 testatur, cuius tituli fidem non recte quidam accusarunt. Cf. Borghes. in Bullett. Inst. archaeolog. 1845 p. 164 [1]. Denique Kal. Nov. suffectus esse narratur L. Saenius, de quo perpauca traduntur. Primum enim ad eum referenda lex Saenia, qua Tac. Annal. XI, 25 patricios ait ab Augusto allectos esse, id quod ex Mon. Ancyr. II, 1 discimus fecisse eum in consulatu quinto i. e. ann. 29 a. Chr. Quare aptissime lex ipsa statuitur lata esse extremo anno antecedenti. Deinde ad eundem pertinet quod App. bell. civ. IV, 50 narrat, Balbinum quendam a IIIviris proscriptum cum ad Sex. Pompeium effugisset ac pace Misenensi restitutus mira felicitate paulo post ad consulatum pervenisset, memorabile in eo honore varietatis fortunae exhibuisse exemplum. Nam cum M. Lepidi, olim IIIviri, tunc privati et contempti hominis, filius consilia interficiendi Augusti inisset, ipsum quidem iuvenem a Maecenate, qui curam urbis gereret, Actium ad Caesarem missum esse, a matre autem postulatum, ut vades consuli praeberet. Quod vadimonium ubi nemo susciperet, frustra senem Lepidum saepe ad Balbinum tunc consulem adisse, donec is motus senis miseria vadimonium remitteret. Quam rem hoc anno accidisse cum Maecenatis commemoratio ostendit, tum Vellei. II, 88, qui cum Caesar ultimam bello Actiaco Alexandrinoque manum imponeret factam esse tradit. Cf. Liv. epit. libr. 133. Unde efficitur, ut Balbinus ille Appiani idem sit, qui in hoc marmore Campano appellatur L. Saenius. Pater autem huius nescio an fuerit ille senator L. Saenius, quem Sallust. Cat. c. 30 commemorat.

De ratione denique, qua hi, quos exposuimus, consules componendi sint, una modo res traditur eaque, ut videtur, parum recte. Nam Plut. Cic. 49 sic habet: ἐπεὶ μέντοι (Καῖσαρ) καταπολέμησεν Ἀντώνιον, ὑπατεύων αὐτὸς εἵλετο συνάρχοντα τοῦ Κικέρωνος τὸν υἱὸν etc. Unde si col-

1) Solebam autem in hoc mirari, cur solus ex omnibus, qui hac tabula recensentur, atque omnino extra morem solitum Idibus Septembribus consulatum inierit. An quia imitari vellet Augustus prisca tempora, quibus consules videntur Idib. Sept. iniisse? Cf. Becker. Antiq. Rom. Vol. II, 2 p. 95.

ligas, Caesarem consulatum gessisse una cum Cicerone, pugnes cum Suetonii loco, quem supra attulimus, Oct. c. 26. Quaro sic potius statuo, Caosarem sese abdicasse consulatu post sex menses Kal. Iul. suffecto in locum suum C. Antistio, tum Idib. Sept. M. Crasso successisse Ciceronem, quem dudum in alterum secum locum designasset. Utri L. Saenius suffectus sit, incertum est; sed magis censeo Ciceroni, ut tres, qui olim proscripti fuerant, unum, Caesar cum Antistio alterum locum consularem huius anni tenuerint.

Iam cum de anni 29 consulatibus supra disputatum sit, annus autem 18 nullas difficultates habeat, quo melius, quae in quaque anni parte consulum paria fuerint, intelligatur, faciendum esse putamus, ut in conspectu quasi quodam annorum 34 usque ad 28 consules addamus, suffectos iis, in quorum locum suffecti sunt, subiungentes.

a. Chr.	ab urb.		
34	720	(M. Antonius M. f. M. n. II)	L. Scribonius L. f. L. n. Libo
		Kal. Ian. L. Sempronius L. f. L. n. Atratinus	Kal. Iul. Paul. Aemilius L. f. M. n. Lepidus
		Kal. Iul. C. Memmius C. f. . . n	
		Kal. Nov. M. Herennius M. f . . n. Picens	
33	721	Imp. Caesar II	L. Volcatius L. f . . . n. Tullus
		Kal. Ian. L. Autronius P. f. L. n. Paetus	Kal. Maiis L. Flavius . . f . . n . . . . .
		Kal. Iul. M'. Acilius . . f . . . n. Aviola	C. Fonteius C. f . . n. Capito
		Kal. Oct. L. Laronius	Kal. Sept. L. Vinicius . . f . . n . . . . .
32	722	Cn. Domitius L. f. Cn. n. Ahenobarbus	C. Sosius C. f. T. n. . . . . .
		Kal. Iul. L. Cornelius P. f. Balbus	
		Kal. Nov. M. Valerius M. f. M. n. Messalla	
31	723	Imp. Caesar III	M. Valerius M. f. M. n. Messalla Corvinus
		Kal. Oct. Cn. Pompeius Sex. f. Sex. n.	Kal. Maiis M. Titius M. f . . n . . . . .
30	724	Imp. Caesar IIII	M. Licinius M. f. M. n. Crassus
		Kal. Iul. C. Antistius . . f . . . n. Vetus	Id. Sept. M. Tullius M. f. M. n. Cicero
			Kal. Nov. L. Saenius L. f . . . n. Balbinus
29	725	Imp. Caesar V	Sex Appuleius Sex. f. Sex. n. . . . .
		Kal. Oct.	Kal. Iul. M. Valerius M. f. M. n. Messalla Potitus
28	726	Imp. Caesar VI	M. Agrippa L. f. II

Superest autem de priore disputationis nostrae parte hoc, ut de rebus a Caesare gestis, quarum vs. 7 et 39 et 49 et 61 mentio fit, pauca dicamus. Nam certe illud dignum est observatione, quod M. Antonii nulla res gesta annotatur. Cur enim bellum Armeniacum ann. 34 susceptum praeteritur, ex quo Alexandreae triumphum quondam egit? Nullam equidem invenio causam, nisi quod totum titulum hunc occiso Antonio scriptum esse censeo, cum Au-

gusti modo res commemorandae esse videbantur. Et *Illyricum* quidem *bellum* suo loco positum esse video. Rediit enim Caesar ex eo, ut ex App. Illyr. c. 27 coniici debet, Caesarem ad consulatum ann. 33 ineundum redisse narrante, extremo ann. 34; itemque *bellum Alexandreae* (nam sic, non *Alexandriae*, plures h. l. auctores exhibent), quod senatus consulto apud Macrob. Saturn. I, 12 mense Sextili, Alexandrea ipsis Kal. Sext. capta (vide Kalend. Amitern. et Antiat.), confectum esse discimus, ut recte ante Ciceronis consulatum ponatur. At *bellum Acti* i. e. Actii, quod post Cn. Pompeii consulatum scribitur, mirer; est enim vere finitum pugna navali, quae a. d. IV Non. Sept. accidit. Sed nuntius fortasse classis captae et traditi etiam exercitus terrestris mense demum Octobri Romam pervenit. Relinquitur quod vs. 61 est *Idem censoria potestate lustrum fecit*, in quo memorabilis est varietas apud fratrem Iucundum, qui exhibet *fecer*. Nec dubium videtur esse posse, quin frater Iucundus verum tradiderit. Nam primum si *fecit* legatur, nescias quo referas pronomen *idem*, quoniam non unum, sed duo nomina antecedunt. Deinde etsi Augustus ipse ambigue dicit in mon. Ancyr. II, 2 *in consulatu sexto censum populi conlega M. Agrippa egi, lustrum post annum alterum et quadragensimum feci*, ut incertum sit, utrum collega M. Agrippa ad solum censum actum, an etiam ad lustrum factum pertineat, ex Dione Cass. tamen libr. LII, 42 constat iam ann. 29 Augusto et M. Agrippae lege potestatem censoriam delatam esse, qua potestate cum etiam lustri condendi ius comprehendatur, Augusti verba, quae attuli, ita interpretari male, ut collegam Agrippam ad utrumque retulerit. Ac de tertio censu Augustus l. l. vs. 8 sic habet: *Tertium consulari cum imperio lustrum conlega Tib. Caesare feci*, cum Suet. Tib. c. 21 narret legem latam, ut provincias Tiberius cum Augusto communiter administraret simulque censum ageret. Nec Tiberium tunc maiore usum esse iure censeo quam olim Agrippam.

Iam peracta priore disputationis nostrae parte, qua de iis, quae ad universam rem publicam pertinerent, agendum esse diximus, pervenimus ad alteram, quae, si omnia, quae praestantissimo hoc antiquitatis monumento continentur, persequi velis, rursus duplex erit. Nam hinc et quae ad universam rem municipalem pertineant, multa disci possunt et si magistratuum nomina ac familias persequare, de coloniae Campanae civitate plurima cognoscas. Sed cum vereamur sane, ne posterior haec ratio in longam nos disputationem deducat, quoniam artioribus finibus hunc libellum circumscribere constituimus, hanc quidem relinquere placuit, praesertim cum omnium Campanarum inscriptionum collectione, quam nondum a quoquam susceptam esse videmus, niti debeat, de illa, cum universa re municipali veterum Romanorum coniuncta, ita agamus, ut non pertractemus omnia, sed quaedam vel aliis vel nobis ipsis ad alias occasiones reservemus.

De tribus igitur maxime rebus dicendum nobis esse videmus, primum de magistratibus municipalibus ipsis, deinde de tempore, quo magistratus creati sint, denique de cursu honorum,

qui in municipiis fuisse videatur. Ac magistratus quidem nominantur quinque, IIviri, aediles, quaestores, praefecti, quinquennales. Ex quibus IIviri quod commemorantur, documento esse videatur nonnullis, coloniae, non municipii hos esse fastos, qui, etiamsi nonnunquam et in municipiis sint IIviri (Caes. de bell. civ. I, 30) et in coloniis IIIIviri, ut Aquileiae, ut Altini, ut Veronae, raro tamen hoc nec sine causa quadam fieri cum putent, in qua civitate commemorantur IIviri, eam pro colonia haberi velint. Capuae vero inde a principio fuisse IIviros constat. Etenim et per bellum Marsicum cum Mariani colonos Capuae constituerent, IIviros, qui tunc praetores appellarentur, creatos esse narrat Cic. in Rull. II, 34 et postea deducta colonia Iulia fuisse IIviros testantur cum Cic. p. Sext. 8, 19, tum inscriptiones quaedam, ut apud Grut. p. 390, 6 et 347, 3; Marin. Act. fratr. Arv. p. 390. Cf. autem de hoc loco, qui ad IIviros pertinet, quae infra peculiari commentatione explicabuntur. Aedilium nulla in coloniae Campanae inscriptionibus mentio fit, sed quin fuissent, cum in plurimis coloniis et municipiis invenirentur, dubitari non poterat. Hoc unum novi ex hac inscriptione discere poterimus, binos fuisse quotannis Capuae. Quamquam id quoque sine hoc monumento probabile erat; vulgaris est enim ille numerus et in certis modo quibusdam civitatibus IIIIviri aediles inveniuntur, ut in compluribus Italiae superioris oppidis. At quaestorum non necessarius erat magistratus, quippe sine quo cum alias civitates constitisse conici licet ex silentio monumentorum, tum Nolanam ex memorabili fragmento fastorum Nolanorum apud Grut. p. 1087, 1, et hanc, cuius hi sunt fasti, certum sit. Nam ann. 35 etsi fasti ita sunt manci, ut non modo consulum Romanorum nomina perierint, sed etiam municipalium magistratuum uni supersint aediles, quia tamen continuo post horum aedilium nomina insequentis anni memoria perscribitur, apparet nullos creatos esse coloniae quaestores. Deinde anno 34 quaestorum mentioni haec praemittuntur: *Hoc anno quaestores creati*, quae cum reliquis annis quaestores nominentur, ita apparet explicanda esse, ut illo anno primum quaestores creatos esse censeamus. Ac videor posse etiam causam indicare, cur illo primum anno amplificata coloniae Campanae respublica quaestorum novum magistratum requisiverit. Etenim anno 36 a. Chr. i. e. duodeviginti fere mensibus ante (nam a. d. III. Non. Sept. victoria Caesaris Siciliensis notatur in Kalendar. Amiternino) cum victo Sex. Pompeio magna militum seditio orta esset, Caesar suos et pecunia et agris placavit, quos cum per alias Italiae urbes tum Capuae assignavit. De qua re ita narrat Dio Cass. XLIX, 14: Καὶ τὸ μὲν ἀργύριον αὐτίκα, τὴν δὲ χώραν οὐ πολλῷ ὕστερον αὐτοῖς ἔδωκεν· ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἐξήρκεσεν ἡ ἐν τῷ δημοσίῳ τότε οὖσα, προσεπρίατο ἄλλην τε καὶ παρὰ Καμπανῶν τῶν ἐν τῇ Καπύῃ οἰκούντων συχνήν (καὶ γὰρ ἐποίκων ἡ πόλις πολλῶν ἐδεῖτο) καὶ αὐτοῖς τό τε ὕδωρ τὸ Ἰούλιον ὠνομασμένον, ὑφ' οὗ καὶ τὰ μάλιστα διὰ πάντων ἀγάλλονται, τήν τε χώραν τὴν Κνωσίαν, ἣν καὶ νῦν ἔτι καρποῦνται, ἀντέδωκε. ταῦτα μὲν οὖν ὕστερον ἐγένετο. Cum quibus consentit Vellei. II, 81 *seditio — partim severitate partim liberalitate discussa principis. Speciosumque per id tempus adiectum sup-*

plementum Campanae coloniae; (multi enim agri coloniae) eius relicti erant publici. Pro his longe uberiores reditus duodecies sestertium in Creta insula redditi et aqua promissa, quae hodieque singulare et salubritatis instrumentum et amoenitatis ornamentum est. Nam etiamsi terra Cnosia dubitari potest num statim tradita sit coloniae aquamquo Iuliam Velleius ipse ait postea esse aedificatam, prorsus tamen intelligitur, quomodo tanta coloniae amplificatio quaestorum instituendorum causa extiterit. Atque in hac ipsa re non parvum argumentum situm est, quo hos coloniae Campanae fastos esse doceamus, siquidem vix alia reperiri potest Italiae inferioris colonia, quae tantopere illo tempore aucta sit, ut propterea novi magistratus creandi necessitas existeret; nam de necessitate prorsus cogito, quia per tristissime illa bellorum civilium tempora ambitio vix ulla honorum novorum instituendorum esse poterat.

De *praefectis* vero insigne prorsus huius inscriptionis testimonium est. Intelligitur enim ex ea, anno 32 a. Chr. cum usque ad Kal. Iulias Capuae IIviri fuissent, inde a Kal. Iul. ad Kal. Septembres i. e. per duos menses fuisse praefectos nec ullos IIviros, tum rursus fuisse IIviros. Hi igitur praefecti et erant pro IIviris et munera eorum, dum nulli IIviri erant, curabant. Quorum natura et origo cum olim a multis viris doctis, qui inscriptiones Latinas interpretarentur, leviter exposita esset, nuper magnam dissensionem movit inter Guil. Hentzenium et nos ipsos. Etenim cum inscriptionem Pompeianam de honore Sp. Turranii peculiari disputatione interpretaremur (De Lavinio et Laurentibus Lavinatibus, Berol. 1845), quod is in ea appellatur *praefectus pro praetore iuri dicundo in urbe Lavinio*, ita explicabamus, ut praetorem intelligeremus Romanum, non Laurentis civitatis aliquem proprium, et a praetore Romano missum Sp. Turranium praefuisse iuri dicundo in urbe Lavinio. Aliter statuerat Orellius in eodem titulo edendo (Collect. ampliss. inscr. n. 2275), qui Lavinii putabat creari consuevisse quotannis praetores; cum ambo vel alter creari non potuisset, praefectum esse pro eo creatum iuri dicundo Sp. Turranium. De qua re cum dissererem in ea quam dixi commentatione p. 14, primum negavi moris Romani esse, ut, si quis magistratus aliqua de causa creari non posset, fieret pro magistratu praefectus. Deinde cum alios multos, qui in inscriptionibus Latinis commemorantur, praefectos, tunc hunc praefectum pro praetore iuri dicundo in urbe Lavinio sic putabam esse explicandum, ut supra dixi. Contra Hentzenius cum de commentatione nostra in Ephemeridibus litterariis Ienensibus anni 1847 nr. 60 sqq. referret, multa disputavit. Qui nisi id egisset, ut quae vere a nobis exposita essent vel omittendo vel breviter commemorando, quae dubia vel incerta viderentur, premendo omni ratione de scientia nostra epigraphica detraheret, quoniam et laudabili studio et optimis praesidiis instructus est, aliquanto rectius iudicare potuit: nunc, dum cupido insequitur, nec qua ipsi difficultate moveremur, nec quae omnino res ageretur, intellexit. Etenim nec quod nos negabamus esse Romani moris,

ipse demonstravit esse, nec, quod in communi virorum doctorum sententia parum explicabatur, ipse docuit. Nimirum vetus de praefectis municipalibus opinio est Norisii, exposita in commentationibus de Cenotaph. Pisan. I, 3, ut Romae, cum propter civium dissensiones consules creari non possent, interrex eligeretur, qui quinto statim die successorem acciperet, ita in coloniis ac municipiis, cum IIviri creari ob decurionum dissidia non possent, praefectos esse nominatos, penes quos iuris dictio esset, dum IIviri nominarentur. Eamque sententiam et Orellius secutus est et Hentzenius, nisi quod quaedam de praefectis imperatorum in municipiis et coloniis addiderunt, de quibus postea dicemus. Nititur autem illa, quae iam vulgaris appellanda est, sententia primum ipsis his fastis Campanis, in quibus per duos menses pro IIviris praefecti fuisse leguntur, tum altera tabula Pisana in honorem C. Caesaris, Augusti filii, posita ann. 4 p. Chr. Quo anno a. d. IIII Non. April. cum Pisas nuntius allatus esset de decessu C. Caesaris, decretum in eius honorem a senatu factum est, in quo decreto haec sunt: ***Cum in colonia nostra propter contentiones candidatorum magistratus non essent***, deinde ***quando eo casu in colonia neque IIvir neque praefecti erant neque quisquam iure dicundo praeerat***, tum ***uti cum primum per legem coloniae IIviros creare et habere potuerimus, ii IIviri qui primi creati erunt, hoc quod decurionibus et universis colonis placuit, ad decuriones referant***, denique in additamento legis posteaquam IIviri creati erant scripto: ***placere conscriptis, quae a. d. IIII Non. Apriles facta, acta, constituta sunt per consensum omnium ordinum, ea omnia ita fieri agi haberi observarique ab L. Titio A. f. et T. Allio T. f. Rufo IIviris et ab iis quicunque postea in colonia nostra IIviri praefecti sive qui alii magistratus erunt, omnia in perpetuum ita fieri, agi, haberi observarique*** cet. Ex quibus nequaquam id quod Norisius voluit, colligi posse putamus. Etenim si, cum propter contentiones candidatorum vel aliam ob causam IIviri fieri non poterant, praefecti fiebant, cur, quaeso, nulli erant Pisis praefecti? Atque, opinor, si praefectis instituendis tollere volebant candidatorum contentiones, hoc faciendum erat, ut non solitis comitiis ambitione perturbatis praefecti crearentur, sed vel a decurionibus vel ab uno aliquo certo homine nominarentur. Ut in Romana republica cum consulum comitia impedita erant, interreges per senatum proditos esse constat (vide Becker. antiq. Rom. II, 1 p. 309). Quare, si illa quam Norisius voluit causa erat praefecti creandi, imprimis quaeritur, a quo oportuerit eum creari. Sed hoc colligi posse nego ex tabula Pisana, ex qua discimus primum factos nonnunquam esse praefectos loco IIvirorum, deinde praefuisse eos iuri dicundo, tum ius eos habuisse referendi in senatu; nam decuriones ipsi testantur se, quia nec essent IIviri nec praefecti, nullum posse iustum senatus consultum efficere. Sic igitur cum de origine praefectorum intellegenda nihil nec tabula Pisana nec fastis his Campanis adiuvemur, alia ratio ineunda erit.

Ac cum municipiorum omnem rationem ad Romae urbis universaeque reipublicae for-

mam constitutam fuisse certum sit, ut qui municipalium magistratuum vim ac potestatem intelligere valit, inde proficisci debeat, quae vel eorundem vel similium magistratuum Romanorum potestas fuerit, in praefectorum quoque municipalium origine invenienda egredi oportebit ab iis, si qui Romae eiusdem generis fuerunt praefecti. Iam libera quamdiu fuit respublica, si discedas ab iis praefectis, qui in re militari commemorantur, quorum ratio diversa est, simillimus huic praefecto municipali est praefectus urbis, qui, cum consules ab urbe abessent, ab his eligebatur omnibusque rebus domesticis ita praeerat, ut et ius diceret et senatum cogaret et quicquid aliud subitum occurreret, loco consulum administraret. Servataque species est, postquam multiplicatis magistratibus urbs nunquam sine custode relinquebatur, in iis praefectis, qui per ferias Latinas fiebant, qui item a consulibus, postea ab imperatoribus eligebantur; semel dictatore Caesare factum esse scribit Dio Cass. XLIII, 48, ut, qui primo die feriarum praefectus erat, alium sibi in diem alterum sufficeret isque tertium in diem tertium. Neque alii praefecti ulli sunt in libero republica; nam praefectus annonae semel modo ann. 314 a Chr. creatus L. Minucius (Liv. IV, 12), mutataque vel insigniter aucta ea potestas, cum ann. 57 Cn. Pompeio lege cura rei frumentariae (sic enim appellabatur) in quinquennium delata est (Cic. ad Att. IV, 1); itemque *curator* annonae creatus est a populo Augustus ann. 22 a. Chr., qui ipse muneris procurandi causa duo praefectos ex iis, qui ante quinquennium praetores fuissent, instituit (Dio Cass. LIV, 1). Nec in praefectorum numero recte recensentur IIIIviri illi, qui populi suffragiis facti in Campaniam mitti solebant, ex quo Capua agerque Campanus in bello Punico secundo recuperatus est; nam solus Festus s. v. praefectura appellat praefectos, nimirum ideo, quod Campanis civitatibus impositi erant, Romae nominabantur, ut par erat, IIIIviri (Dio Cass. LIV, 26). Posteaquam autem eversa prope veteris reipublicae forma dictator Caesar rerum potitus est, insigne invenitur praefectorum genus et unum, de quo in historia Romana narretur, de quo ita tradit Suet. Caes. 76: *Tertium et quartum consulatum titulo tenus gessit — atque utroque anno binos consules substituit sibi in ternos novissimos menses, ita ut medio tempore comitia nulla habuerit praeter tribunorum et aedilium plebis praefectosque pro praetoribus constituerit, qui pro se*[1]) *res urbanas administrarent.* De qua eadem re accuratius etiam narrat Dio XLIII, 28: αὐτὸς (ὁ Καῖσαρ) ἐξεστράτευσεν, τὴν πόλιν τῷ Λεπίδῳ καὶ πολιανόμοις ὀκτὼ, ὥς τισι δοκεῖ, ἢ ἕξ, ὡς μᾶλλον πιστεύεται, ἐπιτρέψας, et rursus c. 48 Ἐν δ' οὖν τῷ ἔτει ἐκείνῳ (ann. 45 a. Chr.) ἐκεῖνά τε ἐπράχθη καὶ ἐπὶ τῆς διοικήσεως δύο τῶν πολιανομούντων, ἐπειδὴ ταμίας οὐδεὶς προκεχειροτόνητο, ἐγένοντο. ὥσπερ γάρ ποτε

1) Sic Lipsius emendavit, cum vulgo legeretur *praesente se*, quod et per se ineptum est et cum Dionis verbis, quae citabimus, pugnat. Lipsianum autem illud et leviter ab litteris vulgo traditis recedit et sententiam efficit aptissimam.

πρότερον, καὶ τότε ἐν τῇ ἀποδημίᾳ τῇ τοῦ Καίσαρος πολιανόμοι πάντα τὰ ἐν τῷ ἄστει πράγματα μετὰ τοῦ Λεπίδου ἱππαρχοῦντος ἔσχον· καὶ αἰτιαθέντες, ὅτι καὶ ῥαβδούχοις καὶ τῇ ἐσθῆτι τῷ τε δίφρῳ τοῖς ἀρχικοῖς, ὥσπερ καὶ ὁ ἵππαρχος, ἐκέχρηντο, ἀφείθησαν, νόμον τινὰ προβαλλόμενοι, δι' οὗ πᾶσι τοῖς παρὰ δικτάτορος ἀρχήν τινα λαβοῦσι χρῆσθαι αὐτοῖς ἐδέδοτο. Addit deinde ab uno eorum praefectorum urbis eo anno ludos Apollinares ex pecunia Caesaris celebratos esse, quam curam alias praetorum fuisse constat. Ex his, quae ratio magistratuum urbanorum ann. 46 et 45 fuerit, intelligitur. Caesar enim cum dictator esset, pro potestatis suae iure omnes curules magistratus sustulit (cf. Polyb. III, 87, 8; Cic. de leg. III, 3); quoniam autem non omnia per se et per magistrum equitum administrare poterat, praefectos octo nominavit, ex quibus sex praetorum, duo quaestorum munera curarent; nam aedilium curulium muneribus functos esse aediles plebeios inde colligo, quod ludos Megalenses, quorum cura proprie ad illos pertinebat, ab his celebratos esse scribit Dio XLIII, 48. Imprimis autem notabile, quod idem accusatos esse tradit praefectos illos, quia lictoribus et toga praetexta et sella curuli uterentur, quos cum absolutos esse ait propter legem veterem, hoc aperte significat, non novum illud prorsus institutum esse a Caesare dictatore de praefectis, sed positum utique fuisse in veteri consuetudine, cuius vetustiora exempla temporis iniquitas aut scriptorum negligentia intercepit [1]). Iam hi praefecti apparet quam similes fuerint municipalibus praefectis. Erant enim pro praetoribus eorumque loco et ius dicebant et senatum cogebant et reliquas res urbanas administrabant, sed constituti erant a dictatore. Augustus autem postquam summum in republica imperium accepit, multos notum est praefectos esse institutos, ut praefectum annonae, ut alios multos similes, qui ab imperatore senatu nihil consulto nominati, quamdiu illi placebat, muneri praeerant. Quorum ratio quoniam nota est, non videtur hoc loco esse commemoranda. Quid igitur omnium horum, quos diximus, praefectorum ita commune est, ut non unius alicuius muneris aut temporis, sed universi praefectorum nominis ac generis proprium esse videatur? Hoc, nisi fallor, quod non populi suffragiis neque ullis omnino comitiis fiebant, sed ab uno aliquo, cuius vice munus gererent, constituebantur. Itaque etiam coloniae et municipia, in quae qui quotannis a praetore mittebantur ibant praefecti iuri dicundo, appellabantur praefecturae, tantumque valuit haec consuetudo, ut, qui eidem rei praeerant, cum populi suffragiis creati erant, ex numero, cum ab uno aliquo delecti, praefecti appellarentur, ut, qui classibus praeerant, quamdiu a populo fiebant, IIviri navales nominati sunt (Liv. IX, 30, XL, 18 et 26; XLI, 1); cum coepti sunt ab imperatore eligi, praefecti appellabantur, quales multi fuerunt per bella

---

1) Atque hac de causa, quia cum dictatore nulli curules magistratus in urbe esse poterant, factum etiam, ut Caesar cum censoriam potestatem reciperet, non censor appellaretur, sed praefectus morum (Suet. Caes. 76; Dio Cass. XLIII, 14).

civilia. Itaque hoc videmur pro certo ponere posse, omnes, cuiuscunque generis fuerunt, praefectos municipales non municipum suffragiis, quamdiu ea valuerunt, nec postea decurionum comitiis esse creatos, sed ab uno aliquo homine constitutos. Idque, si verba tabulae Pisanae, quae supra citata est, accurate interpretari velis, ex ipsa illa intelligas. Cum enim primum sit *eo casu in colonia neque IIvir neque praefecti erant neque quisquam iuri dicundo praeerat*, itemque in extrema tabula: *ab iis quicunque postea in colonia nostra IIvir praefecti sive qui alii magistratus erunt*, tamen, ubi de Senatus consulto quam primum fieri possit faciendo iubetur, sic est: *Cum primum per legem coloniae IIviros creare et habere potuerimus*, quae magna debet esse significatio, a colonia praefectos non potuisse creari, sed constitutos eos esse aliunde. Ac quia hoc in ipsa praefectorum natura situm erat, consentaneum prorsus videbatur, ut propria magistratus neque existimarentur nec appellarentur. Unde fit, ut in inscriptione Cumana apud Orell. n. 2263 rectissime XV viri sacris faciundis scribant *praefectis et magistratibus Cumanis*, praefectos ex magistratuum numero eximentes.

Iam quaeritur, qui homines praefectos constituerint. Eos quattuor ego generum fuisse video, quare etiam praefectorum municipalium quattuor statuo fuisse genera. Primo loco commemorabo id genus, quod antiquissimum est, nimirum illud, quod a praetore in eas civitates, quae proprie praefecturae appellantur, mitti solebat. De hoc praefectorum genere, de quo multi viri docti multa dixerint, nihil hoc loco disputabo; constat enim, quo melius iuris Romani scientia atque usus propagaretur, in omnia prope vetera municipia tales praefectos esse missos, sed desitos esse mitti paulatim, ut ius ac respublica Romana invaluit. Nam cum Cumas, quae a Festo s. v. praefecturae in praefecturarum numero recensentur, suos habuisse magistratus iuri dicundo praepositos narret Cic. ad Att. X, 13, eodem prope tempore in agro Piceno multas praefecturas esse significat Caes. bell. civ. I, 15, praefecturaeque etiam in tabula Heracleensi altera, quae circa tempora bellorum civilium scripta est, inter oppida Italiae numerantur. Eodemque referendus erit etiam praefectus Mutinensis, qui in lege Rubria commemoratur, pro quo postea IIIIviros iuri dicundo institutos esse constat ex inscriptione apud Celest. Caved. Antiquis marm. Mutinens. p. 220 n. 26. Alterum praefectorum et praefecturarum genus non certis illud quidem testimoniis, at probabili tamen coniectura nititur. Constat enim multis municipiis ac coloniis multos vicos aut oppidula vicina ita fuisse attributa, ut horum incolae inde ius peterent nec ipsi ullam per se rempublicam, sed cum illis coniunctam haberent. Insigne exemplum inscriptionis Baianae ex Romanell. Itiner. Pompeios, Paestum cet. facto Vol. II p. 184 (Orell. n. 2263) exhibuimus in commentatione epigraphica de Lavinio et Laurentibus Lavinatibus p. VII. Quae inscriptio, utut magistratus, qui in ea commemorantur, intelligentur, hoc certe decebit Baiarum nullam fuisse rempublicam propriam, sed cum Cumanis coniunctam. Similiter Plin. nat. hist. III, 24 (20), gentes Alpinas referens, multas ex iis municipiis finitimis

attributas esse narrat, Carnosque Catalos ex iis ipsis gentibus Alpinis ex colonia Tergastina ius petisse ex nobili decreto Tergestino, quod Fabii Severi beneficia persequitur, discimus. Item Nemausensi civitati in Gallia viginti quattuor oppida vel vicos attributa fuisse narrat Plin. nat. hist. III, 4, 37, pluresque populos additos ab imperatore Galba, atque plurima omnino et Italiae et provinciarum colonias ac municipia non eam modo urbem, quae sedes quasi esset municipii, sed vicos et oppidula vicina complexa esse, hoc demonstrat, quod fere *coloni* et *incolae* vel *municipes* et *incolae* discerni solent, cuius rei exempla hoc loco afferre nihil attinet. Iam haec in maiores urbes attributa oppida, cum suos magistratus habere nequeant, quaeritur, qua ratione ius acceperint. De qua re num ullum apud veteres auctores testimonium extet nescio, significatio tamen sumi potest ex iis, quae Siculus Flaccus de condicionibus agrorum (apud Goës. script. rei agr. p. 20; Carol. Lachmann. Gromatici veteres p. 159) de coloniis tradit: *Illud praeterea comperimus, deficiente numero militum veteranorum agro, qui territorio eius loci continetur, in quo veterani milites deducebantur, sumptos agros ex vicinis territoriis divisisse et assignasse; horum etiam agrorum, qui ex vicinis populis sumpti sunt, proprias factas esse formas. Id est suis limitibus quaeque regio divisa est, et non ab uno puncto omnes limites acti sunt, sed, ut supra dictum est, suam quaeque regio formam habet. Quae singulae praefecturae appellantur ideo, quoniam singularum regionum divisiones aliis praefecerunt vel ex eo quod in diversis regionibus magistratus coloniarum iuris dictionem mittere soliti sunt. Ac tamen omnes, quarum coloniarum cives acceperunt, eius perticae appellabuntur.* Etenim praefecturas h. l. apparet dici alias ac quae supra dictae sunt, quaequa significantur in tabula Heracleensi, ubi est *municipia, coloniae, praefecturae, fora, conciliabula*, similiterque in lege Rubria Galliae Cisalpinae. Indicat enim Siculus Flaccus, non suas fuisse his praefecturis respublicas, sed coniunctas cum vicinis coloniis. Ac ni fallor hoc praefecturarum genus dicit Paullus in sent. rec. IV, 6 §. 3, qui ut omnia Italiae loca complectatur, *municipia, colonias, oppida, praefecturas, vicos, castella, conciliabula* nominat. Quas autem duas nominis interpretationes addit Siculus Flaccus, ex iis prior difficilis est ad intelligendum, quae si satis recte posset intelligi, a vanitate potius hominis agrarii quam a veritate profecta esse videretur. Quid enim probabilius, quam, ut olim praefecturae appellabantur oppida, quae ex Romanis praetoribus penderent, sic tunc, quae ab coloniarum magistratibus iuris dictionem acciperent, eodem esse nomine insignita, quae ex alieno agro sumpta novae coloniae adiicerentur? Hoc certum, quaecunque nominis origo est, cum republica coloniarum (nec si de his concedatur, de municipiis dubitari poterit) coniuncta fuisse oppidula, quae inde a magistratibus missos praefectos iuri dicundo acciperent. Iam horum praefectorum exempla etsi non dubium est quin inveniantur in inscriptionibus, haud tamen facile est indicare, propterea quod nulla certa videntur esse argumenta, qui-

bus hoc praefectorum genus ab eo, quod quarto loco posuimus, discernatur. Nam, qui praefecti a magistratibus municipalibus mittebantur, iidem honoribus in municipio gestis insignes esse poterant. Apertum tamen huius generis exemplum municipii Gallici exposuimus in commentatione de Lavinio et Laurentibus Lavinatibus p. IX. Alterum, de quo nobis minime sit dubium, inscriptionis in agro Patavino repertae ibid. p. 15 indicavimus, apud Grut. p. 455, 5: SEX. POMPEIVS. SEX. F. PRAEF. I. D. PRAEF. FABR. BIS. AVCTA. Cum enim hominem videamus nullis honoribus municipalibus functum esse, sed praefectum modo fabrum fuisse, persuadere nobis non possumus, fuisse eum totius municipii praefectum. Eodemque hoc ex genere videtur ille esse C. Oppius Rufus apud Donium Cl. V n. 46 p. 172, qui *pagi magister et praefectus Ulubris iuri dicundo appellatur.* Item Veronae est apud Gir. Amat. in Diurn. Arcad. 1827, 2 p. 239 L. Caecilius Carbo *VIvir Aug. praefectus iuri dicundo*, et Brixiae apud Orell. n. 66 (cf. Tom. II p. 445). Cf. etiam Orell. n. 3871, Grut. 195, 4 (p. 1093, 9). Aliique complures, de quibus minus certum sit, afferri possunt. Eosdem autem fuisse etiam sub postremis imperatoribus, praefectos sive praepositos pagorum docet Gothofred. ad Theod. Cod. libr. VII tit. II (de erogatione) l. 10. Sequitur tertium praefectorum genus, et diutissime notum et apertum, de quo primus, ut videtur, diligentius disputavit Marin. in Act. fratr. Arv. p. 175 et 419. Cum enim saepius factum esse constet, ut imperatores eorumque liberi honores municipales susciperent, ut Commodum Neapoli IIvirum fuisse docet inscriptio apud Mur. p. 954, 1, ut *Hadrianus in Hetruria praeturam imperator egit, per Latina oppida dictator et aedilis et IIvir fuit, Neapoli demarchus, in patria sua quinquennalis, et item Hadriae quinquennalis, quasi in alia patria, et Athenis archon fuit,* ut Spartian. in eius vita c. 19 narrat, unde IIvir appellatur apud Grut. 421, 1, ut idem de multis aliis docent nummi, quos collegit Eckhel. Doctr. Numm. VI p. 487, quoniam ipsi magistratuum munera obire non poterant, praefectum aliquem, qui suo nomine illis muneribus fungeretur eligebant. Cui rei etsi poterant sine dubio, quemcunque placuisset, praeficere, solebant tamen ex eius ipsius civitatis, cuius honorem gerebant, decurionibus eligere. Perspicuum huius rei exemplum est in marmore Praenestino apud Fogginium Fastis p. XIV (Orell. n. 3874). Quo fragmento cum fasti illius coloniae servati sint unius anni, altero et tertio loco ponuntur aedilium et quaestorum nomina, primo Germanicus Caesar et Drusus Caesar quinquennales et cum iis *Cominus Bassus quinquennali ordine ex S. C. et M. Petronius Rufus praefecti.* Hoc loco unum memorabile, quod Cominus Bassus dicitur quinquennali ordine ex S. C., ex quo cavo colligas vel ex S. C. praefectum illum institutum esse (neque enim senatus consulto quisquam constituitur magistratus) vel ideo quod decuriones ita censuissent, illum ex ordine quinquennali a Germanico electum esse, qui iuri dicundo praeesset. Sed sic intelligo hominem illum non fuisse decurionem Praenestinum, verum honoris modo causa a decurionibus allectum et quidem inter quinquennales, id quod saepe

factum esse constat. Cf. quae ipsi de eo honoris genere disseruimus in commentatione de honorum gradibus sub imperatoribus in museo Rhenano ann. 1842 p. 269. Atque ob eam ipsam rem Bassus hoc nomini suo adiiciendum curavit, ne quis miraretur, praefectum esse coloniae pro Germanico, qui non esset decurio. Eiusdem autem generis ac temporis fuit Astensis ille P. Vergilius, cuius titulus est apud Mur. p. 760, 1 (Orell. n. 3877), qui, postquam reliqui eius honores municipales enumerati sunt, appellatur PRAEF. DRVSI. CAESARIS. GERMANI. IIVIR. QVINQ. i. e. praefectus Drusi Caesaris Germanici IIviri quinquennalis; item Sabidius apud Mur. p. 763, 6 et 848, 7, si verum est, quod Marinius putat, in titulo illo corruptissimo legendum esse PRAEF. C. CAESAR. DIVI. AVG. F. ET. TI. CAESARIS. AVG., qua de re, cum homo militaribus modo muneribus functus sit, poterit paululum dubitari; et P. Papirius Brixiensis apud Grut. p. 447, 10 (Orell. n. 3875), qui IIVIR. PRAEF. FABR. PRAEF. NERONIS. CAESARIS. IIVIR. QVINQ. appellatur; et Firmianus ille homo, cuius nomen periit, nullis aliis honoribus municipalibus insignis, apud Grut. p. 491, 10, qui PRAEFectus QVINQuennalitatis TI. CAESARIS PRAEFectus QVINQuennalitatis NERONIS. ET. DRVSI. CAESARVM fuit; et P. Aelius Fabianus apud Grut. p. 345, 6, qui fuit AED. IIVIR. PRAEFECT. C. CAESARIS, etsi in hoc titulo errorem aliquem versatum esse video. Eademque ratione explenda erit inscriptio Aquinas apud Grut. p. 491, 3, ubi quidam appellatur PRAE]F. QVINQ. TI. CAESARIS. AVG. F., tum pontifex, quaestor, IIvir. Atque hi quidem, quos dixi, pro liberis principum praefecti fuerant, quibus addam duos eiusdem generis notabiles titulos, unum Sex. Pedii, quem ex libro Italico Filologia Abbruzzese VII, 65 affert in disputatione ea, quam supra citavi, Guil. Henzenius, in quo titulo ille IIIIVIR. I. D. PRAEFectus GERMANICI CAESARIS. QVINQVENNALICI IVRIS. EX. S. C. QVINQVEN. ITERVM appellatur, in quo rursus illud *ex S. C.* animadverto, quod ad potestatem quinquennaliciam praefecto illi extra ordinem delatam pertinere censeo. Altera inscriptio est Praenestinorum fastorum fragmentum apud Petrinium Memoriis Praenestin. p. 324 n. 4, item citatum a Guil. Henzenio l. l., ex quo discimus, uno anno Germanici filium fuisse Praeneste IIvirum quinquennalem at pro eo Sedatum quendam praefectum, qui idem Sedatus biennio ante fuerat quaestor. Neque rara sunt exempla, cum pro principibus ipsis praefecti fuerunt. Velut ***praefectus quinquennalitatis Ti. Claudii Caesaris Augusti Germanici*** videtur commemorari in titulo vitioso apud Murat. p. 1098, 3; ut in inscriptione Urbinati apud Fabrett. p. 665, 518 ***T. Manius Siculus*** appellatur ***Aed. IIIIvir i. d.***, tum ***praefectus duorum principum***, nisi forte hic praefectus, qui inter militaria munera commemoratur, pro militari habendus erit; ut in inscriptione Pompeiana Avellinus Opuscul. II p. 207, cum erasum sit prioris IIviri nomen, scriptum fuisse putat C. Caesaris, quippe cum post IIviros nominetur M. Lucretius Epidius Flaccus praefectus; ut C. Hirpidius apud Mur. p. 707, 2 ***praefectus i. d. imperatoris Nervae Traiani Caesaris Augusti Germanici Dacici***; ut Ariminensis M. Vettius Valens ***Imp. Caesaris Nervae Traiani optimi Augusti Germanici Dacici Parthici IIviri quinquennalis prae-***

fectus in inscriptione in Diurn. Arcad. ann. 1824, 3 p. 348; ut C. Camurius, qui nullis aliis municipalibus honoribus functus erat, *praefectus i. d. imperatoris Caesaris Traiani Augusti* in titulo Attidiati apud Mur. p. 686, 6 (p. 1096, 3); ut in insigni inscriptione Aricina apud Grut. p. 41, 7 (Orell. n. 1455), cum tres afferuntur magistratus Aricini, dictator, quaestores, aediles, dictator nominatur Imp. Nerva Traianus Augustus, sed additur praefectus eius T. Vettedius Mamilianus. Complures efficiuntur etiam ex nummis duarum coloniarum Hispanicarum, quos collegit Eckhel. Doctr. Numm. IV p. 477. Sic unus nummus coloniae Caesaraugustanae signatus est TIB. FLAVO. PRAEF. GERMAN. L. IVVEN. LVPERCO. IIVIR., ut pro Germanico, qui alter IIvirorum fuerat, intelligamus praefectum fuisse; item in aliis duobus eiusdem coloniae est IVNIANO. LVPO. PR. C. CAESAR. C. POMPON. PARA. IIVIR et FVLVIANO. PRAEFECTO. LVPO. IIVIR, ubi nomen eius, pro quo praefectus fuit, omissum est. Tum memorabiles duo nummi vel ad Celsam vel ad Carthaginem pertinentes, in quorum uno est: IMP. CAESAR. [Q. V. L] C. L. BEN. PRAE. cum capite Augusti, tum HIBERO. PRAEF., in altero M. AGRIP. Q. V. I. C. HIBERO. PRAE. cum capite Agrippae, tum L. BENNIO. PRAEF., unde colligo ann. 19 a. Chr. (nam hoc anno nummus Agrippae causa videtur esse factus) vel Celsae vel Carthagine IIviros quinquennales creatos esse imperatorem Augustum et M. Agrippam ita, ut pro illo praefectus esset L. Bennius, pro hoc Hiberus, ex quibus praefectis alterum Hiberum antea vel postea etiam IIvirum quinquennalem fuisse ex aliis nummis discimus. Atque idem Hiberus iterum fuit postea praefectus quinquennalitatis alicuius principis, cum Tiberius nondum ab Augusto adoptatus alterum lecum quinquennalitatis obtineret; nam in alio nummo est: TI. NERONE. Q. V. I. C. HELVI. POLLI. PR. et HIBERO. PRAEF. Aliorum praeter principes fuisse praefectos non invenio; nam etiam M. Agrippa, quo tempore nummus ille, quem dixi, signabatur, cum domo imperatoria coniunctissimus erat, nec credo Henzenio, qui apud Mur. p. 746, 8 (Orell. n. 4027) exemplum reperiri putat, quo quis patris sui praefectus fuerit. Nam L. Statilius, postquam municipalia eius munera, quod praefectus pro IIviro et IIvir quinquennalis fuerit, enumerata sunt, appellatur *tribunus militum et tribunus militum pro legato et praef. quinq. T. Statili Tauri patris*, quo loco equidem vel *praef. equit.* legendum vel alium errorem versatum esse iudico.

Atque haec quidem de eo praefectorum genere, quod tertio loco posuimus, dicenda erant. Superest quartum, quod in his fastis Campanis commemoratur, de quo, nisi prius quidam de reliquis errores amovendi esse viderentur, solo disputassemus. Eorum hoc proprium, quod erant pro IIviris i. e. nulli erant IIviri, quorum ipsi munera obibant. Etenim dupliciter omnino dicitur praepositio *pro*; siquidem cum quis pro consule mittitur in provinciam, consul est ille quidem, sed quia Romae permanet, vices suas in alium transfert; cum quis pro legato tribunus militum legioni praeest vel cum quis procurator pro praeside provinciae, quia nullus omnino est aut legatus aut praeses, vices eius, qui pro eo est, explet. Ac cum utroque modo

dicantur praefecti, hic modus, ut sint pro eo, qui non creatus sit, in hoc praefectorum genus cadit.

Iam prima eaque maxima, quae in his praefectis oriatur, quaestio haec est, a quo constituti sint. Quo in genere quod supra in communi de praefectis disputatione exposuimus, factos eos esse non comitiis, sed electos ab alio aliquo, id manifestissime apparet. Quoniam enim paulo post docebimus, et iuri dicundo et senatui praefuisse praefectos, et cetera IIvirorum munera administrasse et denique electos fere esse ex decurionum numero, nullam, quantum equidem intellego, causam invenio, si comitiis aut populi aut decurionum fierent praefecti, cur unquam ullos fecerint nec IIviris solitisque magistratibus contenti fuerint. Velut si qua in civitate tanta arderet ambitio, ut IIvir nullus fieri posset, num minorem futuram fuisse censemus contentionem, si iisdem comitiis creandus esset alius nominis sed eiusdem potestatis magistratus? Atque ex hac necessitate plerosque adeo praelectos, quos in tertio genere recensuimus, ortos esse arbitror. Poterat illud quidem fieri, ut meri honoris causa civitates principi alicui honores suos deferrent isque eos reciperet, sed hoc etiam admodum probabile, si quae turbae incidissent, rogatos esse principes, ut suscepto honore nominatoque pro se praefecto auctoritate sua res componerent. Cuius quidem rei vel hoc poterit indicium esse, quod longe plurimi praefecti, quos recensuimus, fuerunt quinquennalicii iuris, in quo, utut de ipsa quinquennalitate iudicabitur, hoc infuisse constat, ut recensio quaedam et decurionum et totius civitatis contineretur. Nec vero fieri potest, ut decurionum hanc praefectorum creandorum potestatem fuisse statuamus: ita enim, posteaquam comitia a populo ad curiam translata sunt, id quod Tiberio imperante accidisse probabile est, eadem erat et solitorum comitiorum et decurionum ratio. Nec magis veri est simile, ut in municipiis ad eandem rationem, qua olim in vetere republica Romana interreges fiebant, ab uno aliquo vel decurionum vel magistratuum praefectus electus sit. Quod qui putabit, sane parum explicare poterit, quemodo et in cenotaphio Pisano acciderit, ut nullus no praefectus quidem in urbe fuerit et in his fastis Campanis per duos menses homines ab uno aliquo electi tantam potestatem tenuerint. Quae cum ita sint, non video quid reliqui fiat, nisi ut potestatem praefectorum creandorum extra civitatem apud magistratus Romanos positam fuisse statuamus. In provinciis proconsules, opinor, vel propraetores legatique Caesaris cum opus erat municipiis praefectos dabant, in Italia, ut videtur, praetor Romanus, qui cum olim, quemadmodum supra demonstratum est, in omnia prope municipia eos, qui iuri dicundo praeessent, misisset, hoc certa retinuit, ut, cum dissensiones civiles accidissent, praefectorum nominandorum ius haberet. Accedit ad haec, quae diximus, alia ratio. Etenim quaeritur, quo tempore et quo pacto hoc praefectorum genus institutum sit. Quod cum in libera republica nunquam commemoretur, quoniam ann. 32 invenitur, patet institutum esse a Caesare, quem multa omnino constat in re municipali prudenter constituisse.

Id vel tabulae Heracleensis pars altera demonstrat, qua cum constituatur, quos decuriones esse oporteat, quos censum agere municipiorum vel coloniarum, quis non videt esse veri simile, ut praefectorum quoque horum, de quibus dicimus, ratio inventa ac stabilita sit. Qua cum praefectorum veterum primum quod a nobis positum est genus, quod usque ad illud tempus in plurimis videtur fuisse civitatibus, paulatim vel omnino vel praeter perpauca oppida tolleretur, hoc relictum est, ut in necessitate aliqua vel totius imperii vel municipii praefectorum eligendorum potestas ad magistratus Romanos reiiceretur. At in eadem re postea constat versatam esse legem aliquam Petroniam, ad eundem auctorem referendam, quem habuit lex illa Iunia Petronia de servis (Dig. XLIX, 1, 24 et XLVIII, 8, 11), quam probabiliter sane Borghes. in Diurn. Arcad. ann. 1832, 1 p. 88 sqq. vel ad consules ann. 19 p. Chr. M. Iunium Silanum et P. Petronium, qui inde a Kal. Iuliis suffectus fuerit, pertinere censet, vel ad C. Petronium Umbrinum, quem ann. 25 suffectum esse cos. docet Borgh. l. l., et in Bullett. Inst. arch. Rom. 1845 p. 151. Ea lex Petronia commemoratur primum in notissima inscriptione amphitheatri Pompeiani, quam praeter alios multos exhibet Orell. n. 3679: C. CVSPIVS. C. F. PANSA PATER. D. V. I. D. IIII. QVINQ. PRAEF. ID. EX. D. D. LEGE PETRON. De qua quae Arditius in libro Italico La legge Petronia, Napoli 1817, et Savinius in disputatione de tabula Heracleensi in Annal. iurisprud. histor. Vol. IX p. 374 dixerunt, quae vix cuiquam probabuntur, hoc loco praetereo. Hoc video equidem eandem legem eosdemque praefectos commemorari in fragmento fastorum Casinatium, quod est apud Fabrett. p. 485, 159 (Mur. p. 309, 3), rectius apud Guascum Musco Capitol. 1 p. 157 n. 81. Quo fragmento cum fasti coloniae Casinatis comprehendantur ab ann. 67 p. Chr. usque ad ann. 75, sic videmus magistratus municipales nominari. Primo ann. 67 duo IIIIviri i. d. nominantur, ann. 68 duo quinquennales, ann. 69 unus, ut videtur, (nam initia versuum perierunt) IIIIvir i. d., deinde duo, qui appellantur IIIIVIR. P. L. P., ann. 70 duo paria (nam id ex collocatione intelligitur) rursus eorum hominum, qui IIIIVIR. P. L. P. nominantur, annis reliquis soliti, ut opinor, magistratus, nisi quod ann. 73 Kalendis Aprilibus Titus et Domitianus videntur summum magistratum recepisse, quorum deinde duo praefecti appellantur. Iam illos, qui appellantur IIIIVIR. P. L. P., cum per latinitatem non liceat interpretari *quattuorviros per legem Pompeiam* vel *per legem Petroniam*, id quod Orellio placuit, oportebit intelligi *quattuorviros praefectos lege Petronia*. Hinc hoc simul discimus, cum pro IIviris fierent praefecti, ex numero appellatos IIviros praefectos, cum pro IIIIviris, IIIIviros praefectos. Nam hoc neminem debet perturbare, quod ex IIIIviris duo modo nominantur tamquam summi coloniae magistratus; etenim id et ex natura et potestate IIIIvirum, de qua postea dicetur, explicandum est et confirmatur aliis eiusdem coloniae inscriptionibus. Siquidem apud Grut. p. 100, 8, Mur. 1989, 3 et p. 431, 7 (Orell. n. 2357) et p. 431, 1 (Orell. n. 2797) cum IIviri Casini commemorentur, apud Grut. p. 194, 5 in titulo operis alicuius publici, ut videtur, quam-

vis duo modo homines inscribantur, IIIIviri tamen nominantur. Quid autem in lege illa Petronia scriptum fuerit, non traditur. Sed tamen et hoc ex titulo Pompeiano, quem citavimus, videmus, antequam ex ea ab magistratu Romano praefectus peteretur, intercessisse decretum aliquod decurionum, qui, opinor, testarentur, non posse solita magistratuum comitia haberi ideoque auxilium alienum implorarent, et alterum coniectura probabili videmur posse assequi. Etenim in urbe ipsa Roma magistratuum comitia constat ann. 14 e campo Martio in curiam esse translata (Tac. Annal. I, 15) i. e. magistratuum creandorum potestatem senatui esse traditam, idemque in municipiis factum esse, ut comitia magistratuum municipalium ad decuriones deferrentur, et rei natura docet et intelligitur ex testimoniis certissimis. Nec tamen quando id factum sit, aut traditur aut a quoquam virorum doctorum significatum esse video. Etsi non debet dubium videri, quin ratio illa comitiorum, quae Romae et senatoribus admodum placuisset nec a populo magnopere vituperata esset, paulo post ad municipia translata sit. Quare cum legem Petroniam, qua magistratuum municipalium certe partem aliquam constitutam esse constet, imperante Tiberio latam esse intelligam, ad eandem omnem hanc comitiorum municipalium mutationem referendam esse censeo. Eaque causa est, cur eam ad consules anni 19 p. Chr. quam ann. 25 pertinere malim. Nam si nova comitia Romae placuissent, non diu cunctandum erat, quin ad municipia transferrentur. Primos autem, qui ex hac lege facti esse videantur praefecti, commemorari putamus in titulo Gabino L. Antistii Veteris, posito circa ann. 26 p. Chr., quem et supra citavi et infra totum afferam. Dubito autem an de tempore huius praefecturae lege Petronia praescriptum fuerit: certe cum in fastis Casinatibus ann. 70 duo paria praefectorum poni videam, non inepte suspicemur, ut Romae olim sex mensium spatio dictaturae potestas finiebatur, item tunc praefectorum tempus semestre esse constitutum. Unum amplius est quod afferre debeam, quod confirmat, quae supra de causa praefectorum faciendorum diximus. Duae omnino sunt inscriptiones, ex quibus, quo anno in aliqua civitate praefecti fuerint, cognoscatur, hic, de quo tota disputatio instituta est, titulus Campanus et fasti Casinates: nam in cenotaphio Pisano quamvis discordiae civiles comitia turbassent, tamen non tanti visum erat, ut propterea magistratus Romani intercederent. Quo igitur tempore fuerunt hi praefecti? Priores Campani eo anno, quo propter studia diversa civitatum inter Antonium et Octavianum pendentium tota Italia commota erat, Octavianusque, Italiae dominus, plurimum laborabat, ut, qui ubique dispersi erant Antonii amici, contineret; alteri Casinates eo tempore, quo maximum bellum civile, celeribus fortunae vicissitudinibus insigne, Italiam vexabat, quo quis mirabitur magistratuum creandorum potestatem sibi sumpsisse imperatorem? Desiti autem sunt fieri praefecti coloniarum ac municipiorum, cum et ambitio honorum municipalium evanuisset fugaque fieret per omnes civitates et decurionatus et magistratuum et im-

peratores, sicubi quid comperirent esse turbatum, curatores dare inciperent civitatibus vel ex municipalibus hominibus vel ex senatoribus Romanis.

Haec postquam disputavimus de origine praefectorum deque ratione cur fieri consueverint, sequitur, ut de potestate eorum dicam. Quam eandem prorsus fuisse invenio atque eorum pro quibus fuerunt IIvirorum vel IIIIvirorum. Quorum potestatem cum duplicem potissimum esse videam, ut et iuri dicundo praesint et in senatu praesideant, utrumque omnino fit a praefectis. Nam iurisdictioni eos praeesse et nomen ipsum demonstrat, quoniam saepe praefecti iuri dicundo appellantur, et decere potest praefecti Mutinensis, quem supra commemoravimus, in lege Rubria mentio facta, in qua eodem loco habetur, quo reliqui magistratus municipales. Decurionibus autem eos praefuisse nec sine iis iustum S. C. potuisse offici cenotaphium Pisanum significat, cuius initio excusatur necessitas coloniae, quare nihil iusta ratione decernere decuriones potuerint. Idemque colligitur ex notabili inscriptione Aquileiensi apud Mur. p. 587, 2 (Fabrett. p. 612, 99; Don. p. 82, 64; Orell. n. 4041), qua continetur decretum decurionum Aquileiensium hoc: *K. Novembr. L. Nonius Rufinus Pomponianus Q. Vesonius Fuscus* P. I. D. SCRIBENDO *ADFUERUNT* (quattuor decurionum nomina) *senatus consultum: Cum prona voluntate honestissimo animo ultro C. Alvius Pollio IIIIvir I. D. in proximum annum professus sit, quo facto haesitationi publicae in partem moram ademerit, placere ei, quo magis etiam ceteri ad bene faciendum in republica provocentur, statuam equestrem auratam in foro nostro poni censuerunt.* Unde intelligimus accidisse Aquileiae, ut propter inopiam candidatorum nulli fieri possent IIIIviri; nam eum Aquileiae summum magistratum fuisse ex plurimis inscriptionibus certum est. Tum pro iis eadem ratione ac supra in fastis Casinatibus observavimus, factos esse duos praefectos, quibus de ea re ad senatum referentibus cum rursus periculum esset, ne nulli invenirentur candidati, professum esse C. Alvium, qui ita partem certe publicae necessitatis tolleret; et ob gratiam referendam decuriones ei statuam decrevisse. Affero denique quod nuper T. Mommsen. Venafri descripsit, fragmentum legis (Bullett. Instituti archaeol. ann. 1846 p. 164), in quo idem hoc praefectorum genus pro IIviris constitutorum commemoratur. Ex quo fragmento, si ex aliis documentis incertum esset de potestate praefectorum, prorsus appareret, non maiorem iis fuisse quam IIviris eosque pari ratione ex auctoritate et ex decretis decurionum pependisse. Quod quidem eorum causa affero, si qui, quia a magistratu Romano electos esse videat, ideo plus quam solitos magistratus in sua quamque republica valuisse opinetur. Ac cum IIviri etiam aedificiorum vel extruendorum vel tuendorum curam gererent, idem officium ad praefectos pertinuisse ostendit titulus Venusinus apud Lupulum Itin. Venus. p. 327 (Orell. n. 3873), quo una cum aedilibus opus aliquod publicum aedificandum curasse narrantur. Ac similiter si quis reliqua, quae IIviri vel IVviri curarunt, persequatur, eadem ab his praefectis administrata esse inveniat.

Nam ipsam etiom quinquennolitatem vel censoriam potestatem iis commissam esse plurimae docent inscriptiones, in quibus *praefecti quinquennales* commemorantur. Ae cum munera omnia summorum magistratuum haberent praefecti, non dubito, quin eorum etiam insignia habuerint, togaque praetexta et foscibus itidem, ut illi, usi sint. Constituebantur autem praefecti plerumque, qui iam alios honores municipales gessissent, qui, si nulla essent ambitionis studia, sine magistratus Romani intercessione solitis comitiis creari debuissent. Sed tamen nonnunquam etiam alii homines fiebant, qualis fuit ille Cordubensis homo, L. Manlius, IIvir praefectus iuri dicundo, qui tribunus militum leg. XV appellotur apud Grut. p. 435, 4 (Orell. n. 3819), et C. Oppius Bassus Auximas, cuius titulus infra paulo citabitur, et Grut. p. 354, 8. Denique commemoro, id quod per se rationem horum praefectorum inquirenti facile apparet, aliquando etiam factum esse videri, ut ex IIviris, qui creandi essent, alter solitis comitiis fieret, alter quia fieri non posset vel propter ambitionem vel propter inopiam candidatorum, pro eo institueretur praefectus. Ut in titulo Veienti quem refert Cl. Cardinalis in annalibus Italicis (Memor. Roman. Vol. I p. 53), sic est, Cn. Caesio Athicto statuom esse positom ex pecunia collata ludis quos fecerunt P. MEMMIVS. APVLVS. P. ET. C. POPPAEVS. PRISCVS. IIVIR., quae si quis contulerit cum altero eiusdem Cn. Caesii titulo Veienti apud Marin. Act. fratr. Arval. p. 831, non dubitabit, quin P. Memmius Apulus praefectus pro IIviro fuerit.

Superest, ut de nomine horum praefectorum dicamus. Qua in re primum faciendum est, ut minuatur error eorum, qui, quod nonnunquam praefectis non addi videbant *iuri dicundo*, discrimen nescio quod esse statuerunt inter eos, qui essent iuri dicundo et inter eos, qui non essent. Quorum sententiam ipsi hi fasti Campani refellere possunt, in quibus nullo addito dativo tantum praefecti appellantur, quos non magis quisquam negare possit praefuisse iuri dicundo, quam ipsos IIviros, qui item sic simpliciter appellantur. Apertius etiam docet titulus C. Caesaris Pisanus, in quo sic est: *quando in colonia neque IIvir neque praefecti erat neque quisquam iuri dicundo praeerat*, quo quid potest esse luculentius? Verum aliud etiam manifestum ipsius appellotionis extat exemplum. Etenim opud Grut. p. 445, 9 (Orell. n. 3868) C. Oppius Bassus oppellatur PR. I. D. AVX. i. e., credo, *praefectus iuri dicundo Auximi*, atque in alio eiusdem hominis titulo apud Grut. p. 445, 10 idem nominatur simplicius PR. AVXIM. i. e. *praefectus Auximi*, ut prorsus intelligamus, potestatis nihil interesse, sed modo appellationis, prout quis plenius aut brevius loqui velit. Itaque illum, qui opud Orell. n. 148 appellatur *Praefectus Castri novi*, non putabimus aliam habuisse potestatem atque illum, qui opud Grut. p. 354, 8 (Mur. p. 711, 4) dicitur *praefectus iuri dicundo*, et eum, qui apud Murat. p. 346, 2 (Orell. n. 1404) et Grut. p. 51, 2 est *IIIIvir aediliciae potestatis et praefectus i. d.*, et eum, qui apud Grut. p. 373, 8 PRAEF. I. D. (nam sic eo loco vel explendum vel corrigendum, nec minus in inscriptione apud Mur. p. 681, 2: Orell. 3722), et eum, qui

apud Mur. p. 1202, 6 (Orell. n. 3872) item *praefectus iuri dicundo* et eum, qui Aquilae *praefectus iuri dicundo* apud Mur. p. 473, 2. Quod si quis praeterea habebat censoriam potestatem, nominabatur vel *praefectus iuri dicundo quinquennalis*, ut Q. Largennius Sagitta in nobilissimo monumento Haimburgensi, quod edidit Labus (Ara antica scoperta in Haimburgo, Milano 1820), unde sumpsit Orell. n. 66, vel *praefectus quinquennalis*, ut Pompeianus ille M. Alleius Luccius apud Orell. n. 2189 et 3820, et Auximas ille apud Grut. p. 465, 4, qui PR. QQ. *quaestor reipublicae Auximatis* dicitur i. e. *praefectus quinquennalis*, et Tibure C. Torentius Valens apud Grut. 473, 5, et Tridenti C. Valerius Marianus apud Grut. p. 478, 16 (Orell. n. 2183), qui item dicuntur. Cum autem praefecti hi essent loco IIvirum, qui fieri non potuissent, quid mirum, si dicebantur *praefecti pro IIviris*? Velut Aquis Sextiis apud Mur. p. 769, 5 dicitur quidam *Aedilis* PRAEF. PRO. IIVIR, Narbone apud Grut. p. 488, 7 (Orell. n. 4023) P. Viuicius AED. PRAEF. PRO. IIVIRO, ibidemque apud Mur. 740, 7 (Orell. n. 4026) alius PRAEF. [PRO. DVOVIR]O. ET. DVOVIR., Dyrrhachii apud Mur. p. 746, 8 (Orell. n. 4027) PRAEF. PRO IIVIR. ET. IIVIR. QVINQ., Novioduni apud Orell. n. 311 PRAEFECT. PRO. IIVIR. IIVIR. BIS, Salaciae in Lusitania apud Mur. p. 1077, 8 (Mur. p. 737, 4) *praefectus pro duumviro*. Sic enim ibi non minus restituendum quam in fragmento Narbonensi apud Maff. Gall. antiq. sel. p. 56 AEDILI. PRAEF. [PRO. DVOVIR]O. ET. DVOVIRO. Atque eadem hac ratione iam explicare malo Sp. Turranium Proculum Gellianum praefectum pro praetore iuri dicundo in urbe Lavinio, qui invenitur in titulo Pompeiano insigni, quem titulum cum peculiari disputatione de Lavinio et Laurentibus Lavinatibus illustrarem, quoniam parum tunc nota erat omnis haec praefectorum ratio, eam secutus sum sententiam, ut hominem, quem equestribus fere muneribus functum esse viderem, quia iis praefectis, qui a IIviris in oppidula attributa mitti solebant, dignitate praestare intelligebam, ab praetore Romano ut sua vice ius diceret missum esse censerem. Atque etiam nunc haud scio an a praetore Romano institutus fuerit, sed ita ut iudicaret pro praetore Lavinati sive IIviro; nam quicunque in municipiis inveniuntur praetores, nomine illi quidem et vetere et magnifico utuntur, potestate vero eadem prorsus qua qui recentiore more appellantur IIviri. Est autem etiam aliud in praefectorum nomine memorabile. Dicuntur enim etiam *praefecti IIviri* i. e. IIviri ea re diversi a reliquis IIviris, quod non creati sunt comitiis, sed praefecti. Sic appellantur in insigni titulo Venusino apud Orell. n. 3873 (ex Lupuli itin. Venus. p. 327) operis alicuius publici, quod a solo restituisse dicuntur M. LOLLIVS. M. F. BASSVS. L. MESSIVS. T. F. AFRIVS. PRAEF. $\overline{\text{II}}$. VIRI. I. D. $\overline{\text{II}}$. VIRI. $\overline{\text{QQ}}$. et duo aediles. Quo in titulo cum eos modo honores afferri oporteat, quos qui restituerunt illo ipso tempore quo restituerunt, gesserint, necessario fatiendum est, ut praefectos illos munera et IIvirum et IIvirum quinquennalium administrasse censeamus, ex eaque re cum sollemni quadam verbositate appellari. Quod cum ita sit, non dubium videtur, quin item explicandum sit aliud Venusini tituli fragmentum apud

Lupul. itin. Venus. p. 319, in quo haec sunt: L. ABVCIVS. L. F. PRAEF. IIVIR. I. D. IIVIR. QVINQ. CVR . . . . . Similique ratione in titulo Narbonensi apud Grut. p. 61, 5, qua arae dedicatio continetur, ii qui aram dedicarunt, nominantur PR. IIVIR i. e. praefecti duoviri et in nummis Calagurritanae civitatis in Hispania, apud Eckhel. Doctr. numm. IV p. 477, sunt PR. IIVIR, planius in nonnullis Corinthi Achaicae PRAEF. IIVIR, itemque in Leptitanae coloniae PR. IIVIR. Itemque explicandum esse iudico titulum Tarquiniensem, allatum ab Ol. Kellermanno in Bullett. Inst. arch. ann. 1835 p. 28, ubi Proculus Centonius dicitur *Praefectus Graviscis et Tarquiniis IIIIvir iuri dicundo et decurio.* At inverso ordine ut praefectus talis nominetur *IIvir praefectus*, non videtur fieri posse, ne propter Latinitatem quidem, quae, si quod adiectivum discriminis significandi causa substantivo addatur, id ante, non postponi postulat. Quare cum in titulo Pompeiano apud Orell. n. 2189 et 3820, ut supra diximus, est *IIvir praef. quinq.*, duo honores significantur, non unus, itemque in titulo Cordubensi apud. Grut. p. 435, 1 (Orell. n. 3819) IIVIR. PRAEFECT. IVR. DIC. Atque etiam cum non praefecti IIviri i. d., sed *praefecti i. d. IIviri* homines appellantur, duo diversa munera intelligo, ut in inscriptione Tergestina apud Mur. p. 748, 3 (Orell. n. 3837), ubi aliquis dicitur AED. PRAEF. I. D. IIVIR, aliisque pluribus, quas supra attulimus. Denique commemoro, munus praefectorum appellatum esse *praefecturam.* Quare cum in municipiis, ut Romae, moris esset, ut summorum magistratuum nominibus anni notarentur, dicitur aliquid factum esse non modo hoc vel illo praefecto, sed etiam huius vel illius praefectura. Insigne eius rei exemplum est in inscriptione Gabina, quam supra citavi, apud Ennium Quirinum Viscontium in monumentis Gabinis p. 15, quae est haec: *L. Antistio C. f. Veteri, pontifici, praetori, Xviro stlitibus iudicandis, quaestori Ti. Caesaris Augusti decuriones et populus municipes Gabini praefectura Sex. Marci Teris et C. Varini Canaeis.* Hos enim praefectos duos eiusdem prorsus generis oportet esse ac Casinates, de quibus supra dixi; nam Gabiis item IIIIvirorum consuetus erat magistratus.

Sed quia in ipsa disputatione necessario nobis faciendum erat, ut, dum ea, quae dicimus, demonstraremus vel certe demonstrare volumus, multa, quae ad summam rei non pertinerent, insereremus, paucis complecti hoc loco placuit nostram de hoc genere praefectorum sententiam. In quibus praecipuum, quod non solitis comitiis fiebant, sed pro iure quasi imperii imponebantur. Origo ducta ab imperio Augusti, quo primo eorum mentio fit, mutata ratio, postquam ad imitationem Romanae reipublicae municipalia comitia ab populo ad decuriones translata sunt, id quod anno 19 p. Chr. lege Petronia videtur esse factum. Occasio praefectorum petendorum haec erat, cum vel propter communia bella ac dissensiones civiles princeps municipia artiore quasi disciplina constringere vellet quam fieri posset, si partium studiis comitia permitterentur, vel, id quod longe saepius accidisse putamus, imprimis ubi de recensu civium ac decurionum ageretur, cum intra municipia ipsa tanta arderet ambitio atque invidia, ut comitia rite perfici

non possent vel metuendum esset, ne, qui facti essent magistratus, non satis potestatis ad coercenda civium studia haberent, qua utraque in re decurionum decretum, quo praefecti expeterentur, intercessisse putamus. Quod enim in omni libera republica providendum est, ut, si quando extiterint turbae civiles, quae leges impediant, aliunde a certa aliqua potestate eligatur, qui iura ac leges restituere possit, qualia tempora non magis in nostris quam in veteribus civitatibus incidere solent, id, ubi municipia ac colonias certis legibus componere placuit, in Romano imperio praefectorum horum ratione instituenda provisum est. Quamquam hoc dupliciter videtur esse temperatum, ut et minore temporis spatio praefectorum quam iustorum magistratuum potestas coerceretur, et, cum publica aliqua necessitas ingrueret, principes vel eorum liberi ad suscipiendos magistratus invitarentur, qui suo loco praefectos ad munera administranda nominarent, quae origo est alius praefectorum generis. Ceterum potestas ac munera praefectorum eadem quae magistratuum, qui propria appellabantur, numerus ubique binarius, dignitas praefectura functorum non certa, sed ea, quam quisque antea meruisset. Nam plerumque ex municipalibus hominibus iisque, qui duumviratum vel quattuorviratum ambirent, eligebantur, aliquando tamen etiam ex alio hominum genere, qui aliqua de causa idonei viderentur.

Relinquuntur ex magistratibus municipalibus, de quorum natura ac ratione ex hoc fragmento fastorum Campanorum, insigne scientiae nostrae adiumentum peti possit, quinquennales, quorum mentio invenitur vs. 57. De quibus quae multiplici observatione reperisse mihi videor, in peculiarem disputationem, quae huic adiungetur, reservabimus.

Alterum de quo dicere constitueramus, erat de tempore, quo magistratus inire solebant. Etsi pauca sunt, quae de hac re dici possint. Cum enim non sit dubium, quin item, ut in Romana republica, in coloniis et municipiis magistratus Kalendis Ianuariis inire consuerint, cuius rei vel ex tabula Heracleensi aliqua peti poterit significatio, quaeritur, cur tandem hoc tempora Capuae tam brevia fuerint magistratuum spatia, ut fierent et septem et sex et quidam adeo quinque mensium neque ullae videantur fuisse Kalendae, quibus non aliquis magistratus inire potuerit. Num ambitionem nimiam in causa fuisse censebimus? Videatur sane ita, quoniam maximam variationem fuisse intelligimus in IIviris, minimam in quaestoribus, qui uno modo anno 31, ut initia omnium magistratuum ad Kalendas Ianuarias revocarentur, fuerunt semestres. Atque occurrit exemplum decreti Pisani de honore C. Caesaris, quod cum fieret a. d. IIII Non. Apriles, nulli erant summi coloniae magistratus. Quibus cum civitas non ab Kal. Ianuariis carere potuerit, necessarie video faciendum esse, ut IIviros proximos antecedentes non Kal. Ianuariis, sed, opinor, Kal. Aprilibus magistratu abisse statuamus. Sed alia tamen ratio erat tum coloniae Pisanae, cum post longam pacem omnia opibus ac quiete abundarent, alia coloniae Campanae tempore tristissimi belli civilis. Nulla igitur Romanae civitatis vana

imitatio colenos tunc impellebat, ut consulatuum, in quibus multi sufficiebantur, multitudinem exprimere cuperent idque eo minus ut credam adducor, quod simulac bellum civile vel finitum vel submotum est ab Italia, per biennium annues video fuisse magistratus. Nam anno 28 non recuse, quin ambitionis explendae causa semestres creati sint IIviri et aediles. At reliquis annis aliae intercesserint causae, vel quod factiones erant in urbe inter Caesarem et Antonium ambigentes vel quod, qui honores gerebant, ad arma et ad bellum evocabantur (erat enim tota militaris colonia) vel etiam inopia candidatorum, qui impensas munerum tolerare possent. Hoc unum tenere debebimus in digerendis et per annos collocandis magistratibus municipalibus, etsi eos plerumque annues fuisse doceant praeter veterem consuetudinem fasti, qui a nobis supra commemorati sunt, Praenestini et Nolani et Casinates, fieri tamen etiam potuisse, ut per partes modo anni crearenter [1]).

Iam ex tribus rebus, ad rem municipalem pertinentibus, quas nobis tractandas esse diximus, duas quoniam persecuti sumus, pervenimus ad cursum bonorum municipalium, qui ex hoc monumento intelligatur. De quo, cum paucorum modo annorum spatium comprehendatur, parum intelligeremus, nisi ipsa frequentior anni spatio magistratuum vicissitudo satis nobis et hominum et nominum praeberet. Primum igitur nemini debet dubium videri, quin dignitas et quasi ordo bonorum Campanorum is fuerit, qui ex ipsa collocatione huius tabulae efficitur, ut primum locum tenuerint IIviri, proximum aediles, ultimum quaestores. Quem ego ordinem ex republica Romana repetitum, vulgarem in municipiis esse indico, ut contra hunc ordinem accidisse censeam, quod narratur apud Fabrett. p. 211, 533 (Orell. 3688), in quo aliquis appelletur *aedilis, quaestor designatus.* Quamquam non raro accidit, ut apud Mur. p. 155, 3 (Orell. n. 2170 et 3866) Hispelli aliquis appellatur *aedilis, quaestor, IIvir*, ut in Tarraconensibus inscriptionibus apud Grut. p. 404, 2 et 430, 1 et 443, 1 aliquis *aedilis, quaestor, IIvir*. At aperte loquitur celeberrimum monumentum Canusinum, quo album decurionum continetur, in quo aedilicii praeponuntur quaestoriciis, item fragmentum fastorum Praenestinorum, in quo idem honorum ordo est atque in hoc Campano lapide. Unde, cum omnia monumenta, quibus bonorum municipalium ordo plene describitur, aedilitatem superiore quam quaesturam loco ostendant, sic utique et legibus constitutum et more existimatum esse censeo. Sed rerum usus saepe aliter ferebat. Quia enim aedilitas plurimum impensarum postulabat, si qui vel ex aliis municipiis oriundi recipiebantur vel munificentiam suam ostendere volebant, ii ab aedili-

1) Etiam Pompeianos magistratus negat Avellin. Opusc. T. II p. 198 semper inisse Kal. Ian. Quamquam parum tamen certa ratio in eo, cum in titulo operis alicuius (ibid. p. 198) consules alius anni, alius magistratus Pompeiani commemorantur. Fieri enim potest, ut aliquanto post dedicetur opus quam permissum est fieri.

tate euspicabantur. Eademque de causa in nobilissimo decreto Tergestino, quod Orell. n. 4040 multique alii ediderunt, is inter colonos recipi iubetur, qui aedilitatem gessisset, nimirum ut pauperes homines arcerentur. Confirmatur autem, quod dixi, insigni exemplo ipsorum horum fastorum. Nam C. Valerius, qui vs. 23 inter aediles ann. 33 ponitur, biennio post quaesturam suscepit; neque enim dubitari debet, quin idem sit C. Valerius, qui vs. 46 legitur. Atque ad eandem aedilitatem pertinet alterum, quod hoc in genere commemorandum est. Nam cum praeter C. Valerium, de quo modo dictum est, quattuor homines bis in magistratibus coloniae Campanae nominentur, omnes hos videmus priore loco inter quaestores, altero inter IIviros collocari, ut aedilitatem ab iis praetermissam esse intelligamus. Neque enim existimabimus iis annis ante quaesturam esse eam gestam, quorum memoria periit; siquidem unius certe ex iis aedilitatis mentio superesset. Ii sunt L. Livius (vs. 24), ann. 33 quaestor, ann. 29 IIvir quinquennalis (vs. 57), L. Cornelius ann. 33 quaestor (vs. 24), tum, postquam quaestura abiit, continuo praefectus pro IIviro (vs. 29), denique ann. 30 IIvir (vs. 53), L. Scutarius ann. 32 quaestor (vs. 35), tum continuo gesta quaestura IIvir (vs. 44), C. Geminius, ann. 30 quaestor (vs. 55), idem biennio post IIvir. Neque haec aedilitatis praetermissio debet insolita videri. Quippe cum Romae quoque aedilitas. quae magnum sumptum requireret parvamque potestatem praeberet, quia honores non iam ex plebis voluptate, sed ex potentium ac principum voluntate tribuebantur, minus expeteretur, adeo ut id quaestorum genus, quod candidatorum Caesaris appellabatur. rite quasi aedilitate gerenda solvi inciperet (vide Borghes. in Diurn. Arcad. ann. 1819, 1 p. 193), quid miremur idem factum esse in municipiis? In quibus etsi valebant Augusti tempore etiamtunc aliquid certe populi suffragia, minus tamen dignitatis honoribus municipalibus parabatur; postea autem in curiam translatis suffragiis cum omnibus honoribus plus molestiae quam dignitatis pararetur, aedilitatem, quae insuper peculiares quasdam impensas postularet, praecipue esse evitatam consentaneum est. Quamquam ne hac quidem in re una fuit omnium civitatum lex et consuetudo. Ut Falerione in Piceno similiter ac paulo supra Tergeste cognovimus, non licuisse praetermittere aedilitatem, docet inscriptio, quae affertur in Annal. Inst. arch. ann. 1839 p. 36, in qua aliquis narratur IIvir factus esse *remissa aedilitate*. Quam utrum gerere debuerint omnes, qui IIviratum assequi vellent, an ii modo, qui extrinsecus in civitatem atque in curiam reciperentur, non audeo decernere. Cf. quae infra in commentatione de IIIIviris de eadem re disputabimus. Tertium, quod de honoribus municipalibus ex hoc monumento Campano cognoscatur, hoc est, non valuisse in municipiis, quod Romae olim lege sancitum erat, ne quis continuo in honoribus esset et dum alium magistratum gerit, ad alium designaretur. Etenim et L. Cornelium, qui ann 33 quaestor fuerat, ubi primum eo munere abiit, videmus praefectum esse coloniae, et L. Scutarium, quaestorem ann. 32, ut Kal. Iul. ann. 31 eum magistratum deposuit, continuo creatum esse IIvirum, ut, etiamsi

in illo quis dubitet an praefectorum peculiaris quaedam ac diversa ratio fuerit, in hoc nihil relinquatur dubii, quin unum honorem altero continuarit. Cuius rei, in municipiis non rarae nec Romae imperatorum temporibus insolitae, exemplum notare satis est.

Atque ita absolutis iis, quae persequi hoc libello statuimus, relinquemus homines ipsos, qui magistratus Capuae gesserunt, quorum vitam explicare non poterimus, nisi omnes Campanorum inscriptiones collectas contueri quasi et examinare licebit. Unum animadvortemus, quod ad ipsa hominum nomina attinet, diversam esse horum fastorum rationem in consulibus Romanis atque in magistratibus municipalibus. Illorum ubique modo praenomen et nomen ponitur, id quod ipsum optima aetate latinitatis scriptam esse tabulam testatur, horum nonnunquam cognomina adduntur, quibus homines minus nobiles atque celebres satis notarentur. Quamquam ne hoc quidem constanter in iisdem hominibus fit. Nam nihil est, quod non L. Livium Ligurem, qui vs. 24 commemoratur, eundem esse putemus, qui vs. 57 appellatur modo L. Livius. At vs. 13 C. Salvius Bubulcus appellatur et C. Geminius bis, vs. 55 et vs. 63, cognominatur Niger, atque altero quidem loco, si auctorum fidem sequemur, non plenum eius cognomen, sed prima modo eius syllaba ponitur, ut similiter scribi M. Valerii Messallae nomina vs. 15 nihil habeat admirationis.

De
Quinquennalibus
municipiorum et coloniarum.

In re municipali veterum Romanorum cum nonnulla sint, quae incerta esse omnes concedant, tum quaedam inveniuntur, quae etsi tamquam certa vulgo constituuntur, accuratius si quaeras, incerta esse intelligas ac dignissima, de quibus denuo disputetur. Quo in genere est imprimis ratio quinquennalium, quam cum a viris doctis ut certissimam tradi viderem, simul atque inscriptionum veterum memoriam, qui praecipuus rei municipalis fons est, examinare coepi, incertam et erroribus quibusdam non levibus obscuratam esse perspexi. Placuit igitur, ut alia quaedam eiusdem generis peculiaribus disputationibus persecutus sum, hunc locum illustrare et quid diligenter explicatis imprimis inscriptionibus Latinis inventum esset, exponere totiusque rei, si fieri posset, originem ac decursum demonstrare. Ac quoniam respublicas imitata sunt collegia earumque in magistratibus suis constituendis prorsus speciem quandam referunt, municipiorum et coloniarum quinquennalibus bipartita quasi disputatione quinquennales collegiorum adiungere decreveramus, sed deterriti longitudine quaestionis, quae ne legentem fatigaret verebamur, simul ne a municipiis ac coloniis, quorum rationes his commentationibus illustrare statueramus, discederemus, in re municipali contineri maluimus. De qua quae invenerimus, qui volet ad collegia adhibere, si universam eorum, ut ita dicam, rempublicam considerabit et explorabit, rectius rem videtur posse gerere.

Ut autem ratione et ordine quaestio nostra ducatur, priorum virorum doctorum opiniones praemittere oportebit, ut, quid apud omnes constet, quid varietur, intelligatur. Nam cum quinquennalium mentio rara illa quidem apud scriptores, sed aliqua in nummis, frequens in inscriptionibus sit, dicendi de iis et nummorum et inscriptionum veterum explicatoribus magna quaedam saepe vel occasio vel necessitas fuit. Ac prima quidem de iis auctoritas extitit

eius [1], a quo plurima in re municipali Romanorum aut primum examinata aut rectius quam a superioribus exposita sunt, Henr. Norisii Cardinalis in commentario ad Cenotaphia Pisana, quae appellantur, diss. I §. 5 extr. Qui cum hoc ageret, ut pontifices quinquennales, qui ab aliis putabantur pontifices in quinquennium creati, doceret separatis honoribus fuisse primum pontifices, deinde quinquennales, tria haec posuit, primum quinquennalium potestatem fuisse censoriam, quique in urbe Roma fuissent censores, eosdem in municipiis et coloniis fuisse quinquennales, tum quinquennalium munus non fuisse annuum, sed vere per quinquennium durasse, denique, ut Romae censores fierent ex iis, qui reliquis magistratibus perfuncti essent, sic quinquennalitatem summum quasi gradum et fastigium municipalium honorum fuisse. Uberius de quinquennalibus item ab inscriptionis explicatione profectus disputavit Hannibal Oliverius in Notis ad marmora Pisaurensia (Pisauri 1738) p. 68, qui cum in potestate censoria et dignitate quinquennalium cum Norisio consentiat, in ipso munere dissentiens annuam aliquando fuisse quinquennalitatem statuit, nomenque servatum etiam potestatis quinquennio sublato: interesse autem inter quinquennales et inter IIviros, quos nullos fuisse in quinquennium creatos, et si IIviri quinquennales dicantur, duo munera intelligi, primum IIviratum tum quinquennalitatem, quae saepe etiam accuratius dirimi, cum dicantur IIviri iuri dicundo quinquennales. Neglecta autem hac Oliverii disputatione, quam haud scio an prorsus ignorarit, Eckhel. in Doctr. Numm. Vol. IV p. 476 ad maiores errores rediit. Nam cum quinquennales ea tantum re a vulgaribus IIviris discrepare existimaret, quod hi annua, illi quinquennali potestate uterentur, negabat omnino censoriam fuisse eorum potestatem, cuius opinionis alteram partem de tempore muneris etiam Rothius de re municipali Romanorum p. 90 adn. 129 videtur probasse. Quae sententia cum parum extra fines rei numismaticae propagaretur, Morcellius de Stilo Inscript. I p. 48 (ed. Patav.) paucis rem absolvi posse arbitratus cum munera quinquennalium breviter significavit, tum haec Oliverianis prope consimilia posuit, quinquennales fuisse aut IIviros aut IVviros itaque dici, sed qui appellentur IIviri vel IVviri iuri dicundo quinquennales, eos duplici magistratu usos esse; sed dubiam rationem esse in iis, qui *pontifices* et *flamines quinquennales* nominentur.

---

1) Nam vetustiores praetereo, ut Panvin. in Antiq. Veron. II, 12; Ursat. de Not. Rom. in Thes. Antiq. Rom. XI p. 537, Velserum Rer. August. Vindel. V p. 272; Spanhem. de usu et praest. numism. diss. VII p. 645, Chimentell. de honore bisellii c. 5, et si qui alii minus noti de eadem re brevius disputarunt, quorum sententiae nihil fere novi afferunt. Nec Gothofredus ad Theod. Cod. leg. 1 de medicis et professor. (XIII, 3), quae unica est in Theodosiano codice quinquennalium mentio, quicquam de potestate et ratione quinquennalium disputat; citatis enim nonnullis inscriptionibus, in quibus commemorantur, hoc modo facit, ut contra Chimentellium imprimis defensores civitatum ab iis diversos fuisse doceat.

Quod cum ita esset, ut ii viri docti, qui inscriptionum Romanarum, quarum longe maxima in hoc genere auctoritas est, peritiores essent, de natura et muneribus quinquennalium fore consentirent, F. C. Savignius, ICtus clarissimus, cum rem municipalem Romanorum exponeret [1]), non dubitandum esse putavit, quin eam de quinquennalibus sententiam comprobaret: hoc unum addidit ex iuris Romani fontibus, ut curatores civitatum eosdem esse statueret ac quinquennales et nominis modo discrimen inter eos intercedere existimaret. Itaque haec sententia nunc valet ac vera putatur repetiturque cum ab iis, qui de antiquitatibus Romanis scribunt, ut ab F. Waltero in historia iuris Romani Vol. I p. 364, ab C. Hoeckio in historia imperii Romani I, 2 p. 164, ab Car. Hegelio in historia civitatum Italiae Vol. I p. 45, tum ab iis, qui inscriptiones Latinas interpretantur [2]).

Quam nos sententiam, ne occupare cogamur, quae postea dicenda sunt, hoc loco non refutabimus, in qua quid minus verum sit, infra, ubi veriore ratione exposita totum quinquennalium munus a capite quasi atque ab initiis repetemus, facile intelligetur. Hoc unum accipiemus, quod et ad disputationem ratione ineundam necessarium est et cum a pluribus et peritissimis concedatur, tum infra a nobis demonstrabitur, municipiorum quinquennales censoriae esse potestatis et ex censoribus Romanis expressos.

Ac *quinquennalium* quidem, quamdiu libera fuit respublica, nullam, sub primis imperatoribus unam hanc satis incertam invenio memoriam, apud Fest. p. 261 (ed. Müller.), ubi sic legitur: *Quin(quennales in oppidis appella)bantur, qui lustrum con(derent quinto quoque anno, a quo nomin)ari coeptos* [3]). Quae si integra essent, non magis demonstrarent, id quod supra posuimus, censoriae potestatis fuisse quinquennales, nec minus incertum relinquerent tempus, quo primum quinquennales instituti sint. Quare nullos in libertate municipiorum et coloniarum quinquennales fuisse statuo, quorum, cum IIvirorum et IVvirorum ceterorumque

1) In libro praestantissimo, quo historiam iuris Romani per mediam, quae dicitur, aetatem persequitur, Vol. I p. 41 sqq. Ibi enim cum proficiscendum esset a republica, qualis extremorum imperatorum tempore fuit, necessario faciendum erat, ut municipiorum universa ratio illustraretur.

2) Ut autem ostendam etiam nostro hoc tempore valere eam, quam falsam esse demonstrabo, de quinquennalibus opinionem, unum afferam exemplum G. Henzenii, viri in inscriptionibus Latinis sane versati, qui cum nuper in Ephemerid. Ienens. 1847 n. 62 de magistratibus Praenestinis disputaret, in uno homine veriorem sententiam videtur quasi divinasse, sed paulo post n. 64 de Venusinis magistratibus disserens in veterem errorem relabitur, ut iuxta IIviros statuat fuisse IIviros quinquennales. Adeo igitur penitus haeret illa opinio, ut etiam ubi aliquando ob perspicuitatem monumentorum falso iudicare nequeant, verum tamen agnoscere nolint.

3) Scaligeri et Ursini supplementa sunt, nisi quod scripsi *in oppidis*; nam quod Mullerus supplevit *in coloniis*, ideo minus probo, quod fuisse constat etiam in municipiis. Scaliger et Ursinus quod scripserant *censores*, possit ferri, item si quis velit *magistratus* vel quid simile.

magistratuum municipalium frequens inveniatur mentio, nullum usquam aut apud scriptores aut in monumentis veteribus superest vestigium. Nomen igitur quinquennalium cum ante imperatorem Augustum nondum ullum fuisse videatur, res ipsa i. e. potestas aliqua censoria quaeritur num fuerit in municipiis. Ac *censores* quidem in Sicilia binos in singulis civitatibus fuisse tradit Cic. in Verr. lib. II c. 53, qui quinto quoque anno creati censum civium suorum agerent (ibid. c. 56), ut tempus potestatis idem quod qui postea fuerunt quinquennales habuerint. Tum Bithynia cum lege Pompeia secundum provinciae Romanae formam componeretur, censores instituti sunt, quibus idem munus datum, quo usi sunt postea quinquennales, ut senatum recenserent quique indigni visi essent eiicerent (Plin. epist. X, 115). Denique belli Punici secundi tempore Livius XXIX, 15 senatum narrat, ut duodeviginti colonias Latinas, quae milites dare abnuerant, puniret, iussisse *censum in iis coloniis agi ex formula ab Romanis censoribus data, dari autem eandem quam populo Romano deferrique Romam ab iuratis censoribus coloniarum, priusquam magistratu abirent* [1]. Quod factum esse ann. 204 in his duodecim coloniis refert Liv. XXIX, 37, ut, quantum numero militum, quantum pecunia valerent, in publicis tabulis scriberetur. Hinc et antiquitus et late per imperium Romanum censorum nomen potestatemque diffusam fuisse intelligimus; siquidem et Latinae civitates et, quae origine Graeca in imperium advenerant, habebant. Verum est etiam alia vetus censorum memoria in hac inscriptione Alatrii in Latio inventa, quam a Smetio (Inscr. antiq. fol. XIII, 6) descriptam exhibet Gruter. Corp. Inscr. p. 171, 8:

L. BETILIENVS. L. F. VAARVS
HAEC. QVAE. INFERA. SCRIPTA.
SONT. DE. SENATV. SENTENTIA
FACIENDA. COIRAVIT. SEMITAS
IN. OPPIDO. OMNIS. PORTICVM. QVA
IN. ARCEM. EITVR. CAMPVM. VBEI
LVDVNT. HOROLOGIVM. MACELVM
BASILICAM. CALECANDAM. SEEDES

1) Itaque censores etsi non nominantur, indicari tamen videntur illis locis Livianis, ubi de Latinis, qui Romam migrando in civitatem Romanam irrepebant, agitur, primum XXXIX, 3: Q. *Terentio Culleoni praetori* (ann. 187) *negotium datum est, ut eos* (qui Romam commigrassent ibique censi essent) *conquireret et quem C. Claudio M. Livio censoribus* (ann. 204) *postve eos censores ipsum parentemve eius apud se censum esse probassent socii, ut redire eo cogeret, ubi censi essent*, et XLII, 10: *L. Postumius consul pro concione edixerat, qui socium Latini nominis ex edicto C. Claudii consulis redire in civitates suas debuissent, ne quis eorum Romae, sed omnes in suis civitatibus censerentur.* Cf. XL, 8 (12).

. . Cvm. balineariv m. lacvm. ad
portam. aqvam. in. opidvm. adov
ardvom. pedes. cccxcIↃ. fornicesq
fecit. fistvlas. solidas. facit
ob. hasce. res. censorem. fecere. bis
senatvs. filio. stipendia. mereta
eSe. iovsit. popvlvsqve. statvam
donavit. censorino

Tempus huius inscriptionis ascendere oportet usque ad illam aetatem, qua nondum in civitatem recepti erant Alatrinates, quos usque ad bellum Italicum sive Marsicum cum duobus aliis populis Hernicis, quia olim fidem Romanorum secuti erant, suam rempublicam suasque leges conservasse constat (Liv. IX, 43). Quare senatus civitatis cum sui iuris esset, filio L. Betilieni stipendia emerita esse iussit, id quod maximum libertatis signum, et quae commemoratur censura, vetus atque Hernicorum propria intelligenda est [1]). Ac cum semel in Hernicis, antequam civitatem Romanam acciperent, videamus, qui censendo praeessent, censores nominatos esse, non dubium est, quin ad eandem aetatem idemque genus magistratuum referenda sit inscriptio Ferentinas apud Grut. p. 165, 3, cui addam hanc simillimam, quam eodem

1) Maxime memorabilis est haec inscriptio, qua vetustiorem ad rem quidem municipalem pertinentem vix puto superesse ullam. Quare dolendum sane, quod non ita collata est, ut nihil de lectione dubitetur. Quamquam pleraque satis certa sunt. Primum autem notabile ipsum hominis nomen *L. Betilienus*, quod demonstrat, minus esse rectum, quod quidam statuunt cognomina ex adoptione repetita exeunte demum libertate ac principiis Augusti vicem nominum obtinere atque altero loco poni consuevisse. Immo cum L. Betilienum Varum civitate Romana caruisse inde intelligatur, quod senatus Aletrinas filio stipendia merita esse iussit, cum igitur ille civitate caruerit, sic potius statuemus, veterem illum fuisse ac Latinorum proprium morem, inde ad Romanos translatum. Deinde quae ex operum ipsorum, quae L. Betilienus fecit, commemoratione de Latini Romanique moris coniunctione colligi possunt, omitto: haec duo commemoro, vs. 9 videri legendum esse la]cvm balineariv m, nimirum ut distinguatur hic lacus ad balneas publicas factus ab altero, qui erat ad portam, (ac lacvm habet etiam Celsus Cittadinus in libro Italice scripto: Della vera Origine della nostra lingua vulgare, Venezia 1601, quem contuli ex editione Girol. Gigli, Romae 1721, p. 28) et vs. 10 recte videri Gruterum explesse adovxit, non quod postremam syllabam vere omissam fuisse censeam, sed ut vs. 7 et vs. 13 singulae litterae, quas spatium non caperet, supra lineam aut infra adiectae sunt, item hoc loco in margine quasi ipso addita erat syllaba. Denique notandum nomen *Censorinus*, inditum L. Betilieno propter censuram bis gestam similiter atque ann. 265 C. Marcius appellatus est Censorinus (Plut. Coriol. c. 1; Valer. Max. IV, 1, 3). In formis autem vetustioribus haec incerta: vs. 5 Smet. senatv, Cittadinus, rectius opinor, senatvs; vs. 5 opido Cittadinus, ut vs. 10; Smet. illic duplici p; vs. 7 lvdont, ut vs. 3 sont, Cittadinus.

loco itom in arce antiqua Ferentinati exscripsit Amadutius in Anecdot. Litterar. Vol. II p. 466 n. 14, praetermissam e Grutero:

M. LOLLIVS. C. F. A. HIRTIVS. A. F. CSS. FVNDA
FACIVNDA. COERAVERVNT. EIDEMQVE. PROBAVERE.

Quo quidem titulo refutatur prorsus Smetii (f. 7 n. 3) dubitatio, qui etsi ipse in lapide diligenter examinato invenerat scriptum css, quoniam sibi persuaserat dici consules ann. 21 a. Chr., nesciebat an legendum esset cos. Nimirum de municipalibus censoribus non cogitabat. Cf. Orell. Collect. ampliss. inscr. Lat. ed n. 589.

De munere autem ac potestate horum censorum pauca omnino sunt, quae ex his, quae allata sunt, colligi possint. Quinto quoque anno creari consuevisse in Sicilia et in Bithynia dicunt Cicero et Plinius; sed etiam coloniarum Latinarum duodecim censores eodem temporis spatio factos esse apparet. Ac cum Siciliae et Bithyniae censores non probabile sit fieri consuevisse eodem tempore, quo Romae censores [1], coloniarum Latinarum censores videtur esse intelligendum. Etenim Livius XXXIX, 3, quem locum modo citavimus, cum non consulatum aliquem, sed C. Claudii et M. Livii censuram praescriptam esse dicat, ex qua qui in coloniis censi essent, domum remitterentur, haud obscure Romae et in coloniis Latinis eodem tempore censum haberi consuevisse significat. Sic igitur ratio videtur fuisse diversa, ut, quae civitates in provinciis aut foederatae essent, eae suo quaeque tempore, quo semel coeptum esset, censerentur, quae Latini iuris essent, tempus Romanae censurae observarent. Munus autem censorum hoc erat in omnibus rebus publicis, quae civitate carerent, ut suum quisque populum in classes describerent et quantum quisque reipublicae praestaret, statuerent; nam quod vel tributi vel stipendii populo Romano solvendum erat, id universa respublica, non singuli cives pendebant. Formula autem census sua cuiusque civitatis erat. Id cum in Latinis civitatibus inde intelligatur, quod quas colonias Latinas senatus ex formula a Romanis censoribus dande censeri vellet, eas nominatim excepit, in provincialibus civitatibus magis etiam probabile, nisi quod, qui provinciis praeerant, cum et Romano more assuevissent et formulae census constituendae potestatem haberent, multa ex Romanorum censorum edictis probabile est in provincialia transtulisse. Etenim hoc intercedebat inter civitates Italicas et inter provinciales, quod illae ex ea formula, quam ipsae probassent, censebantur, hae praesidis iudicio in hac quoque re obtemperabant. In Sicilia quidem Cicero in Verr. II, 53 censores ait habere

1) De Sicilia quidem hoc demonstrat Ph. Ed. Huschkius in libro germanice scripto: Ueber den Census und die Steuerverfassung der früheren Römischen Kaiserzeit (Berol. 1847) p. 20, ubi omnem rationem census, qualis et ante imperatores et postea fuit, accurato persequitur. Quem librum cum saepe consuluerimus, hoc loco semel laudare satis esse duximus.

petestatem omnem aestimationis habendae summaeque faciendae i. o. ut ex fermula, quso praescripta esset, res civium aestimarent, non formulam ipsi censtituerent. Quod si in Sicilia, quae previncia omnium mitissime baberi solebat, erat, quin in ceteris item fuerit, dubitari nen potest.

Atque baec quidem censorum municipalinm ratio erat, quamdiu nondum propagata civitate Remana urbes Italiao libertatem rerum domesticarum retinebant. Cum autem post bellum Marsicum universa Italia civitatem sccepisset, et Romanorum et municipalium censerum munora mutari paululum oportebat. Antea enim cum omnes cives nisi si qui reipublicae causa ebessent [1], ad censendum Romam proficisci censoresque ipsos adire operteret, iam quis putat, cum Remae census ageretur, totam Italiam sedibus suis excitam esse? Itaquo poterat illud quidem fieri, quod in iis, qui reipublicao causa aberant, antea factum erat, ut censores mitteront per Italiam, qui civium prefessienes acciperent. Sed et molestum hoc erat et iniustum in nevos cives, si non a suis, sed ab alienis censerentur, et denique neve magistratu opus erat. Quaro alterum praelatum est, quod in parte coloniarum Latinarum iam usurpatum erat, ut, qui in quaque civitate antiquitus essent conseres, ii suos describerent tabulasque ad Remanos censores deferendas curarent [2]. Hoc ita institutum esse demenstrat locus Ciceronis ad Att. I, 18, 8, ubi Cicero ann. 60, eum census ann. 64 inceptus iam prope perfectus esset lustrumque instaret, sic scribit ad Atticum: *Nam ne absens censeare, curabo edicendum et proponendum lecis emnibus. Sub lustrum autem censeri germani negotiatoris est.* Habebat enim Atticus per Italiam multas pessessiones, quas se absente in censum vecari nolebat, quare Ciceronem adierat, ut is apud censores Romae intercederet edictumque acciperet, ne quo loco Atticus censerotur; nam eum ipsum Romae apud censores emnia bona esse professurum. Hinc duae res intelliguntur, primum, censum civitatum Italicarum non Romao actum esse, sed in ipsis civitatibus, deinde qui in civitatibus censerent, non quasi legatos quosdam fuisse censorum, sed civitatum magistratus. Alterutrum enim si esset, nen opus erat, quod censor Romae edixisset, proponi per civitates. Quod autem in edicto censoris scriptum esse dixi, Atticum, si redissot, Romae apud censores emnia professurum, ex eerum quae postea fuerunt similitudine coniicie, cum is, qui in pluribus civitatibus possessiones habebat, si Romae

1) Hos si item censeri placeret, mittebantur a censoribus legati, ot ann. 204, cum propter bellum Punicum plurimi in legionibus militarent, censores M. Livius C. Claudius per previncias dimiserunt, qui civium Romaoorom in exercitibos quantus ubique osset, referrent numerum.

2) Quamquam exemplum tabularum etiam in municipio relictum esso apparet. Huc pertinet, qood Cic. p. Cloent. 14, 41 ab Oppianico ait tabulas publicas censorias Larini esse corruptas, quod ille, antequam eae Romam mitterentur, fecerat.

census esset, in reliquis civitatibus excipiebatur, qua de re infra dicemus. Formulam autem census eandem apparet fuisse per universam Italiam, quae Romae a censoribus proponeretur. Ac prioribus quidem temporibus, si quis a Romanis censoribus censeretur, poenae loco erat, quia cives Romani maiora fere et tributorum et militiae onera subibant quam socii certis legibus ac condicionibus astricti: tunc autem sublatis quae ex censu imponebantur oneribus cum simul honorum et suffragiorum ius impertiretur, merito pro beneficio habebatur. Verum ex eadem re, quod non propter necessitatem aliquam tributi publice conferendi sed magis civium recte describendorum causa census omnis instituebatur [1], fiebat, ut et Romae et in municipiis census negligentius haberetur vel rarius institueretur, quam vetus disciplina ferebat [2]).

Quaeritur, qui magistratus in municipiis censendo praefuerint. Equidem, ut nihil de ea re traditum esse reperio, ita nonnihil tamen ex reliquorum magistratuum municipalium et earum rerum, quae postea fuerunt, similitudine coniici posse existimo. Primum cum per reliqua municipia atque etiam colonias, si qua antiquitus usurpata erant magistratuum nomina, eadem post civitatem omnibus impertitam servari videamus, unde in multis civitatibus imprimis Latinis, praeterea, in aliis aediles, in aliis dictatorem, in aliis adeo Graeca nomina servari reperimus, non ea libidine usos esse censeo Romanos, ut, qui veteres essent censores, eorum cum parte potestatis etiam nomen tollerent. Itaque mansit nomen censorum in multis civitatibus et sic explicandae inscriptiones, quae etiam sub imperatoribus commemorant. Velut Cumis inventa est haec inscriptio, pertinens tamen ad civitatem Neapolitanam, exhibita a Grut. p. 366, 2 (Don. V, 10, inde a Murat. p. 1062, 3):

S. P. Q. NEAPOLITANVS
D. D. L. ABBVNTIO. L. F
GAL. BAEBIO. CENSORI
REIPVB. NEAP.

Cuius inscriptionis tempus etsi certo definiri nequit, apparet tamen pertinere eam ad priora tempora imperatorum, cum nondum oblitterata veterum magistratuum memoria aliquando etiam vetera nomina usurpabantur. Quamquam etiam postea servatum esse nomen censorium de-

1) Nam etiam illud perierat, quod aliquando ex censu administrari solebat, militiae descriptio, siquidem Marium primum sublata veteri lege constat capite censos in legiones recepisse.

2) Omnino enim, ex quo lege Iulia civitas data est sociis ac Latinis, usque ad Augustum sex modo lustra condita esse reperio, anno 89, qua censura, novorum civium causa instituta, nullam partem civium censam esse scribit Cic. p. Arch. c. 5, tum ann. 86, tum post annos septendecim anno 70, tum anno 65 (quae censura repetita est anno 64), tum anno 55, denique anno 50, qui ultimi in libera republica censores fuerunt.

monstrant duae inscriptiones Abellinatis coloniae, quarum prior est apud Lupul. itin. Venus. p. 64 (Mur. p. 695, 3; Don. p. 197, 138; Orell. n. 3895), altera apud eundem Lupul. p. 65

D. COTTIVS. D. F. GAL. FLACCVS
AED. Q. PR. II. VIR. CENS
EX. D. D
MANLIA. VXOR

. . . . . CVLVS
. . . . . XI. RAPAC
P. HERENNIO
P. F. GAL. AVO
CENSORI

Ex his titulis posterior Proculi (sic enim nomen vs. 1 videtur esse explendum) non potest infra Domitianum referri, si verum est, quod Borghes. in quaestione de inscriptionibus Rheni p. 44 coniicit, legionem XXI Rapacem, cuius nomen quin vs. 2 restituendum sit vix dubitari potest, ann. 93 p. Chr. esse deletam nec postea restitutam. Nec altera inscriptio ad posteriorem aetatem referri poterit. In his igitur, ut nomen vetus *praetoris* servatum esse videmus in iis, qui proprie IIviri iuri dicundo appellarentur [1]), item censores nominati sunt, qui proprie debebant quinquennales. Neque tamen hoc nomen quinquennalium Abellini non esse usurpatum docent alii tituli, ut is, quem Lupul. l. l. p. 26 habet, in quo est *C. Mamercius Aed. IIvir. Pr. IIvir Q.*, ut alter apud eund. Lupul. p. 65, ubi *L. Pinarius Aed. IIvir Q.* appellatur. Item Tibure censores commemorantur in hoc titulo apud Mur. p. 751, 6 (Orell. n. 3893):

TVL. TVLLIVS. TVL. F. P. SERTORIVS
P. F. CENSORES

quam inscriptionem ex Augusti fere aetate esse ipsa nominum ratio prodit. Itemque ad libertatis, ut indico, tempora pertinet inscriptio haud procul Tibure Trebae (hodie Trevi) ad fontes Anienis reperta, quae affertur a Fea in Memor. Romanis antiquit. et art. Vol. IV p. 78, quae haec est:

A. TITIVS. L. F. M. VERGILIVS. M. F. CENS. DE. S. S.

quae solito more, sed inverso ordine censorum, ab altero lapidis latere repetitur. Atque hoc nomen censorium, si et vera et prorsus emendata est ea inscriptio, quam Donius p. 166, 22 exhibet, (qua de re aliqua existere poterit dubitatio) imperatore Alexandro Severo positam, in qua M. Pupius M. f. Antonianus et P. Caeponius P. f. Claud. Paratus vocantur *aediles, praetores, censores*, statuendum erit, diutissime Tibure esse servatum. Sed non descendunt infra Augusti aetatem duo unius hominis tituli Caeretani, quorum prior in Bullett. Instituti arch. ann. 1839 p. 66 sic affertur:

1) Nam sic malo notas illas PR. interpretari, quam *praefectum*, ut volebat Lupulus. Cf. de his praetoribus Latinarum imprimis civitatum, quae collegit Guil. Henzen. in Annal. Inst. Archaeolog. ann. 1846.

M. MANLIVS. C. F
POLLIO
TR. MIL
A POPVLO
PRAEF. FABR
CENS. PERP

alter nuper eodem loco in urna cineraria repertus exhibetur a Lud. Grifio in Diurn. Arcad. ann. 1846, 4 p. 278:

C. MANLIO. C. F. CENSORI
PERPET. CLIENTES. PATRONO

In quibus quod non censor modo sed perpetuus censor appollatur, animadverto.

Atque ut hoc nomen censorium a vetustioribus temporibus ad posteriora translatum esse videmus, ita inde, quod in tabulo Heracleensi, de qua deinceps disputabitur, censura non peculiari alicui magistratui, sed ei, qui in quaque civitate summus esse soleat, iniungitur, item fuisse iudico, dum libera fuit Roma, censorumque etsi nomen esset proprium, munus fuisse non peculiare, sed cum summo magistratu coniunctum. Eodemque ducit tota ratio censurae ob origine sua repetitae. Cum enim constet, antiquissimis libertatis Romanae temporibus, quae postea disiuncta sunt consulatus, censurae, praeturae munera, in uno magistratu, qui praetor appellaretur, fuisse coniuncta, si hunc ex tribus muneribus coniunctum magistratum a Latinis civitatibus deductum esse putabimus, (nam in iis civitatibus etiam postea praeturae et consulatus munora uno praetoris nomine ita contineri videmus, ut qui iuri dicundo praeessot, idem in decurionum consilio praesideret) nihil probabilius quam eidem censendorum civium negotium fuisse iniunctum.

Haec postquam ita a nobis et de oppidis civitate Romana carentibus et de municipiis ac coloniis exposita sunt, ut, qualis universa municipalis censura tempore liberae reipublicae fuerit, intelligatur, faciendum est, ut de nobilissimo monumento disputemus, ex quo longe uberior et accuratior censorum municipalium cognitio petenda est. Hae sunt tabulae Heracleenses, quae appollantur, earumque imprimis altera pars, quae aeris Neapolitani nomine usurpari solet. Nam de universa hac inscriptione hic dicere non placet. Quamquam pauca etiam de totius legis consilio ac tempore praemittenda videntur esse. Ac recentissima quidem et celeberrima de ea est Fr. C. Savignii V. Cl. quaestio [1]) triplicitor instituta. Nam primum de natura ac ratione totius legis disputat, deinde de eius consilio atque occasione, denique de tempore ac nomine. Nec post eum, si C. W. Göttlingium exceperis, qui in praefatione novae editionis

1) Explicata in Annalibus iurisprudentiae historicae Vol. IX p. 300 sqq.

tabularum Heracleensium diligentissime ad ipsa aera denuo institutae [1]) pauca et fere utilia monuit, quicquam, quod ad illustrationem magnopere pertineat, a viris doctis allatum est. Naturam igitur legis Heracleensis Savignius putat esse eam, ut saturam legem, quae appellatur, fuisse dicat i. e. multas ac diversas leges uno populi iussu sancitas, quod genus legum cum lege Caecilia et Didia (ann. 98 lata) prohiberetur, a Caesare tamen, qui tempori parcere vellet, esse usurpatum. Consilium autem vel occasionem legis omissis duabus partibus tabulae Heracleensis, in quibus diversas leges fuisse censet, hanc fuisse existimat, quod, cum anno 49 Transpadanis civitas data esset, Caesar iam totius Italiae respublicas novo et aequali iure componendas esse putarit. Denique latam esse statuit legem ann. 45, quia, quod Cic. Epist. VI, 18, 1 in lege quadam Caesaris fuisse narrat, idem in ipsa hac lege inveniatur. Inde nomen legi imponit Iuliae municipalis, non illi quidem toti, sed ei certe parti, quae in extrema tabula perscripta est, ipsamque illius legis Iuliae municipalis memoriam in aliis quibusdam veterum scriptorum locis atque etiam in inscriptione una reperire sibi videtur. Equidem ut Savignium pro prudentia et doctrina sua omnium optime iudicasse censeo, neque eorum accipio sententiam, qui illud digestum quasi quoddam legum diversarum esse statuerunt [2]), ita quaedam esse censeo, de quibus aliter existimandum esse videatur. Non dicam de legibus saturis nec de lege Caecilia et Didia, cuius vis cum paululum incerta sit, in hoc tamen maximo videtur esse versata, ut leges, quae ad populum ferrentur, antea per trinum nundinum publice proponi iuberet. Sed hoc video, lege Caecilia non esse quaesitum, ne quis negotiis populum levans celerius quae peragenda essent, perageret, sed ne quis populo nescio ac nolenti legem obtruderet, nec Caesarem commissurum fuisse puto, ut laboris atque operae timore leges suas minus legitime tulisse videretur. Primum igitur quaerendum utrum, quae in tabulis Heracleensibus leguntur, vere diversa sint, an una quadam ratione comprehendi possint. Iam extrema pars, quae est in tab. II inde a vs. 9, nequaquam mihi quidem eo videtur spectare, ut respublicae omnium civitatum Italiae aequaliter componantur. Nihil in ea est, quot in quaque civitate sint magistratus, nihil, quo iure sint, nihil a quo et quomodo fiant, nihil, qua ratione decuriones decernant, nihil de aliis plurimis rebus, quae, etiamsi multa statuas alia fuisse in aliis civitatibus, certe similiter constituta erant in omnibus [3]). Haec opinor et his similia esse oportebat

1) Vide librum eius germanice scriptum Funfzehn Römische Urkunden auf Erz und Stein, Halle 1845, p. 59 sqq.

2) Qui autem sic statuunt, fere existimant digestum hoc ideo in municipio aliquo confectum ac publice propositum esse, ut, quae leges Romae de frumento dando et viis tuendis ac purgandis latae essent, eas municipes, quatenus convenirent, imitari possent. Hanc sententiam etiam Göttlingius l. l. p. 63 amplectitur.

3) Ut unum nominem, ex Digg. l. 3 de decr. ab ord. fac. (L, 9) scimus lege municipali consti-

in ea lege, quae municipia et colonias Italiae aequali iure constituere vellet. Quamquam vix opus erat post ann. 49, quo Transpadani in civitatem recepti sunt, qui cum reciperentur, continuo ad modum reliquarum Italiae civitatum constituebantur [1]. Quorsum igitur spectat tabula Heracleensis? Illud quidem caput, quod proprie hac disputatione explicandum sumpsimus, quod est de censu in municipiis agendo, ad censum pertinet; siquidem Romae cum census ageretur, item per Italiam actum esse supra demonstratum est. Quid deinde est in reliquis capitibus? Nihil praeter hoc, quos decuriones atque quos magistratus esse liceat; nam quem non licebat esse decurionem, eum ne magistratus quidem capere licebat. Hoc autem item opinor ad censoriam pertinebat potestatem. Nam censor Romanus, si Romae senatum legebat, si equites recognoscebat, quidni idem curaret in municipiis? Itaque omnia haec, quae de municipiis sunt, ad rationem censoriam spectare inveniuntur. Eodemque pertinent reliqua duo capita, quorum prius agit de professionibus quibusdam et quibus non liceat frumentum dari, alterum de viis urbis Romae tuendis ac purgandis. Atque hanc legem ad C. Iulium Caesarem pertinere cum infra aliis argumentis demonstraturi simus, tum idem ex natura earum rerum, quae ea imperabantur, coniciendum est. Quis enim in libera republica cum factionum studiis omnia turbarentur, magnopere curabat, utrum viae in urbe Roma recte purgarentur necne? Quis anxie quaerebat de numero eorum, qui publice frumentum acciperent, quoniam deminuto numero invidiam, aucto gratiam multitudinis iniri intelligebat? Quis denique de censu laborabat plus, quam amicorum vel inimicorum ratio posceret? Quae omnes res honeste paucorum studio nonnunquam excitatae prae ambitione et potentiae cupidine relinqui solebant. Primus haec et talia emendare aggressus est Caesar, qui, quae morte praeventus efficere non potuerat, Augustus executus est. Iam Caesar ann. 46, ex Africa reversus, morum praefectus factus est in triennium [2], non ambitiose quaesito hoc inusitato nomine, quod Dio Cassius censet, sed quia plura emendare cupiebat, quam vetus censoris potestas capere videretur. Itaque multa fecit, quae ad morum disciplinam pertinerent, quae apud Dionem Cassium et Suetonium vel negligentia vel quia partim legibus peculiaribus sanciebantur, non uno capite comprehenduntur. Primum censum quidem proprie nullum cum lustro fecit, sed *senatum sup-*

---

tutum fuisse, ut ordo non aliter haberetur, quam duabus partibus adhibitis. Cf. Digg. l. 3, quod cui. univ. (III, 4), l. 46 Cod. de decur. (X, 31). Haec lex, si iam tum valebat, vel similis quaedam, certe ie omnibus civitatibus eadem erat.

1) Itaque Cic. ad Att. V, 2, cum iam de civitate Transpadanis danda ageretur, sic ait: *Erat rumor de Transpadanis eos iussos IVviros creare.* Hoc Savignius l. l. p. 328 parum recte ita videtur explicare, ut inferiores modo magistratus Transpadanis concessos esse putet, non IIviros iuri dicundo. Nos quid iudicemus, ex commentatione, quam de IIIIviris instituemus, intelligetur.

2) Vide Dion. Cass. XLIII, 14; Suet. Caes. c. 76.

plevit (Suet. Caes. c. 41; Dio Cass. XLIII, 27), *patricios allegit* (Suet. l. l.), *recensum populi nec more nec loco solito, sed vicatim per dominos insularum egit atque ex viginti trecentisque milibus accipientium frumentum e publico ad centum quinquaginta retraxit: ac ne qui novi coetus recensionis causa moveri quandoque possent, instituit, quotannis in demortuorum locum ex iis, qui recensiti non essent, subsortitio a praetore fieret* (Suet. l. l.). Tum, *ut urbis frequentia suppeteret, sanxit, ne quis civis maior annis viginti, minorve quadraginta, qui sacramento non teneretur, plus triennio continuo Italia abesset: neu quis senatoris filius nisi contubernalis aut comes magistratus peregre proficisceretur: neve hi, qui pecuariam facerent, minus tertia parte puberum ingenuorum inter pastores haberent* (Suet. l. l. c. 42). Tum *omnes medicinam Romae professos et liberalium artium doctores, quo libentius et ipsi urbem incolerent et ceteri appeterent, civitate donavit* (Suet. l. l.), tum *cuncta collegia praeter antiquitus constituta distraxit* (Suet. l. l.) tum *iis, qui multos liberos procreassent, praemia constituit* (Dio XLIII, 25). Denique *lecticarum usum, item conchyliatae vestis et margaritarum, nisi certis personis et aetatibus, perque certos dies ademit; legem praecipue sumptuariam exercuit, dispositis circa macellum custodibus, qui obsonia contra vetitum retinerent deportarentque ad se, submissis nonnunquam lictoribus atque militibus, qui si qua custodes fefellissent, iam apposita e triclinio auferrent* (Suet. l. l. Dio l. l.). Eademque potestate, ni faller, anni rationem superieribus temporibus confusam ordinavit. Haec igitur atque alia eiusmodi agitantem quidni credamus etiam constituisse, quos in municipiorum curiis esse oporteret? Nam frumenti publici rationem ab eo compositam [1], magnamque ornandae et instruendae urbis curam habitam esse (Suet. c. 44) constat [2].

1) At negat ea, quae in tabula Heracleensi leguntur, ad frumentationem a Caesare institutam referri posse Göttling. l. l. p. 61. Primum ait numerum eorum, qui frumentum publice acciperent, suo arbitrio a Caesare nulla lege lata definitum esse; nam ann. 46 et 45 nunquam ab eo populum praeter comitia tribunorum et aedilium plebeiorum convocatum nec ullam legem latam esse testari Suet. Caes. c. 76. Hic quidem insigni errore peccavit. Nam Suetonius illo loco postquam de consulatibus multis et quidem populo non consulto datis narravit, cum comitia medio tempore nulla habita esse ait, comitia magistratibus creandis dicit. Nam ipso illo tempore multas ab eo leges latas esse vel ex Dione XLIII, 25 sqq. intelligi potest, qui adeo eum religiosum in observanda vetere consuetudine fuisse narrat, ut, quae ad populum ferre vellet, de iis antea senatum rite consuleret. Deinde ea, quae essent in tabula Heracleensi, in qua qui non professi essent quorumque nomina in album non recepta essent, vetarentur frumentum accipere, non convenire cum eo, quod Caesar solum examinando conditiones civium modum frumenti coercuisse diceretur. Nimirum vs. 18 tab. I, ubi haec verba sunt: *quicumque frumentum populo dabunt dandumve curabit, ne cui* (legitur quidem NEIQVE, sed oportere esse NEI QVOI omnes concedent) *eorum, quorum nomina hac lege ad consulem, praetores, tribunos plebis in tabula in albo proposita erunt, frumentum dato neive dare* (vel *dari*) *iubeto*, hic igitur Dirksenium

Haec cum ita sint, non iam digestum quasi aliquod legum municipiis utilium vel pandecten quandam his tabulis Heracleensibus contineri iudico, sed vere tres leges Iulias, eodem tempore latas, vel potius tria capita unius legis Iuliae, illo tempore latae, cum Caesar cum potestate censoria urbem Italiamque componebat [1]).

Superest, ut demonstremus, a Caesare latas esse leges: id enim antea cum omnia ad censoriam potestatem pertinere diceremus, sumpsimus magis quam certis argumentis, quae

secutus post verbum proponendi incuria sculptoris negationem excidisse putat, ut esse debuerit *proposita non erunt*; nec sane ea diligentia tabulae scriptae sunt, ut talis error cogitari nequeat. Sed tamen eum recte h. l. statui utique nego. Primum enim quis vel Latino vel ulla lingua ita dicat: *ne cui eorum, quorum nomina proposita non erunt, frumentum detur* pro eo quod esse oportebat *ne cui, cuius nomen propositum non sit, frumentum detur?* Deinde num omnino hoc de frumento publico fragmentum eo pertinere putamus, ut ii qui accipere velint, nomina profiteri iubeantur? Hanc ego sententiam ipso initio fragmenti prorsus excludi video. Quid enim? Pauperes opinor soli frumentum accipiebant: ibi autem est, si is, quem profiteri oporteat, Romae non sit, eum, qui negotia eius curet, profiteri oportere. Pauperes autem homines certe procuratores nullos habebant, quare, qui profiteri iubentur, non sunt ii, qui frumentum publice accipiunt. Iam multa cogitari possunt, quare ea, quae sunt in fragmento illo, tamen ad legem aliquam frumentariam Caesaris pertineant. Ut equidem sic coniicio. In liberalitatibus principum fieri solebat, ut multi manumitterentur atque in civium numerum insererentur, qui, quia iam pauperes erant, frumentum publice acciperent, id quod accidisse in imperatoris Augusti congiario aliquo narrat Suet. Oct. 42. Nonne igitur hoc statuere poterat Caesar, ut, qui servos et quos quisque haberent, eorum nomina profiterentur, ne iis frumentum tamquam pauperibus civibus daretur? Quamquam coniecturam hanc esse intelligo facile cessurus, si quis melius aliquid invenerit. Hoc autem necesse utique esse video, si extrema pars tabularum Heracleensium, in qua de municipiorum decurionibus agitur, est lex Iulia Caesaris, item esse priores duas. Nam dicendi genus prorsus est idem eademque ratio orthographica.

2) At in hac quoque parte tabulae, quae est de viis purgandis ac tuendis, est quod Göttlingium l. l. p. 62 ita offenderit, ut ann. 44 legem latam esse negaret. Nam eo anno cum constet a Caesare quattuor veteribus aedilibus adiectos esse duos alios, qui Cereales appellantur (Dio XLIII, 51), negat potuisse scribi tab. I vs. 24 *aediles curules aediles plebis qui nunc sunt quicunque post hanc legem facti creati erunt:* oportuisse esse *aediles plebis aediles Cereales*. Quasi vero non ipse Dio l. l. aediles Cereales dicat fuisse plebeios eoque nomine comprehendi. Nam quod addit Göttlingius, quattuor esse debuisse aediles, ut quattuor tribubus urbanis responderent, quis nullam peculiarem urbis descriptionem a Caesare institutam esse praestet? Nec tribus ita locis seiunctae erant, ut secundum eas urbs distribui posset.

1) Quare non recte fieri censeo a Savignio, qui legem Iuliam municipalem appellet, diligenterque alias legum municipalium commemorationes colligat, l. l. p. 362 sqq. Eam quidem legem Iuliam municipalem, quae est apud Fabr. p. 485. 160, si a Caesare profecta est, non ab Augusto, alio tempore latam esse censeo nec quicquam cum iis, quae tractamus, fragmentis commune habere.

praeter universam naturam ac sententiam nonnulla inesse oportet, demonstravimus. Ac principem quidem locum id videatur habere, quod primus acute observavit Savignius l. l. p. 349. Etenim ann. 45 Cicero ad Leptam (Cic. Epist. VI, 18 pr.) sic scribit: *Simul accepi a Seleuco tuo litteras, statim quaesivi e Balbo per codicillos, quid esset in lege. Rescripsit eos, qui facerent praeconium, vetari esse in decurionibus: qui fecissent, non vetari. Quare bono animo sint et tui et mei familiares. Neque enim erat ferendum, cum, qui hodie haruspicinam facerent, in senatum Romae legerentur, eos, qui aliquando praeconium fecissent, in municipiis decuriones esse non licere.* Haec et ex tempore et quod Balbus, Caesaris amicus commemoratur, ad aliquam legem Iuliam, qua de municipiorum decurionibus cautum sit, pertinere apparet. Iam cum in tabula Heracleensi II vs. 30 in senatum legi et magistratus adipisci vetetur *qui praeconium, dissignationem libitinamve faciet, dum eorum quid faciet*, certa videbatur coniectura, esse hanc ipsam illam legem, de qua Balbus Ciceroni roganti respondisset. Sed est tamen nequaquam tale ut rem conficiat. Nam cum non nova omnia Caesar constitueret sed multa ex veteribus legibus recepta in suam transferret, item poterat hoc de iis, qui praecones essent. Foo fuisse idem in veteribus legibus. Eo freti Leptae familiares qui praeconium fecerant, decurionatum in municipio aliquo petebant, cum territi nuntio legis Iuliae Ciceronem adierunt, ut ex Balbo quid in lege esset quaereret. Nonne is ita ut supra scriptum est recte respondere potuit? Quare est aliquid quod Savignius attulit, sed necessitatem nullam habet. Ex ceteris autem indiciis temporis primum hoc offero, non posse tabulas Heracleenses ad Augustum referri. Nam tab. II vs. 24 Kalendae Quinctiles dicuntur, quae post ann. 44 publice certe Iuliae appellandae erant [1]. Neque ante ann. 64 ascendere possunt. Nam tab. II vs. 48 prohibetur esse inter decuriones, *qui ob caput civis Romani referundum pecuniam praemium aliudve quid ceperit*. Praemia ex aerario ob civium capita relata primum constituta sunt in Sullae proscriptione [2], quo tempore simul cautum est legibus Corneliis, ne id iis, qui proscriptos interfecissent ob eamque rem praemia accepissent, fraudi esset. Nec fuit cuiquam fraudi, dum ann. 64 Caesar, cum quaestioni inter sicarios praeesset, *eos quoque sicariorum numero habuit, qui proscriptione ob relata civium Romanorum capita pecunias ex aerario acceperant, quamquam exceptos Corneliis legibus* (Suet. Caes. c. 11) [3]. Iam in hoc viginti annorum spatio, ut taceam universam legis Heracleensis naturam,

1) Vide Dion. Cass. XLV, 7. Cf. XLIV, 5 et Suet. Caes. c. 76.

2) Nam ea, quae in tabula Heracleensi sunt, ad aliam nullam rem pertinere posse satis demonstravit Savignius l. l. p. 347.

3) Cf. etiam Dio Cass. XXXVII, 10. Mirari autem initio solebam, cur hoc Caesar in legem suam recepisset, cum annus prope trigesimus sextus post proscriptionem Sullanam ageretur. Verum et eo-

nullum tempus est praeter dictaturam Caesaris, cui haec tria, quae in illa lege sunt, conveniant. Primum tab. II vs. 43 ex decurionibus excluditur *qui iudicio publico Romae condemnatus est, erit, quocirca eum in Italia esse non liceat neque in integrum restitutus est, erit.* In integrum restitutos esse constat multos a Sulla, plurimos a Caesare dictatore, nullos eo quod interiectum est tempore. Quare cum restitutiones a Sulla factae dici nequeant, relinquitur, ut Caesaris dicantur [1]) Deinde quod tab. II vs. 85 est de municipiis fundanis, quibus qui Roma ad eam rem missus leges dederit, ei permittitur, ut, si quid in iis legibus sit ab hac Iulia diversum, id commutet ac corrigat, hoc Savignius eo pertinere demonstravit, ut dicantur urbes modo in civitatem receptae [2]). Neque post annum 64 usque ad ann. 44 ullae urbes in civitatem receptae sunt nisi Transpadanae ann. 49 et quas alias Caesar propter operam in bello civili praestitam singillatim civitate donarat. Denique quod tab. II vs. 69 est *cum censor aliusve quis magistratus Romae populi censum aget* (cf. vs. 73 et 76 et 77 et 79), ad quem, quaeso, potest pertinere nisi ad C. Caesarem, qui primus sine nomine censoris censum instituit? Nam ante eum cum, qui censum agebant, semper censores appellarentur, inutile erat addere *aliusve quis magistratus.*

Atque haec quidem de universa hac lege Iulia, cuius reliquiae ad nos pervenerunt, dicenda erant. Ex quibus iam omissis ceteris ea excerpemus quae ad municipiorum censum pertinent. Nimirum tab. II vs. 68 haec sunt, quae vulgari orthographia expressa referemus [3]): *Quae municipia, coloniae, praefecturae civium Romanorum in Italia sunt, erunt, qui in iis municipiis, coloniis, praefecturis maximum magistratum maximamve potestatem ibi habebit tum cum censor aliusve quis magistratus Romae censum aget, is diebus XX proxu-*

---

gitabam Caesarem odium proscriptionis omnis ostendere voluisse et C. Rabirii casum memineram, cui maius temporis spatium impunitatem non attolit.

1) Nescio an eodem pertineat quod ait *quocirca eum in Italia esse non liceat*, quo ii praecipue significantur, qui ambitus damnati erant, quibus Caesar in Italia commorari permiserat (Dio XLIII, 27).

2) Multis atque accurate hunc locum persequitur Savignius l. l. 355 sqq., quare equidem paucis contentus fui. Quamquam unum est in eius disputatione quod non probem. Cum enim tab. II vs. 85 sic ait: *Quei lege pl. ve sc. permissus est, fuit, utei leges in municipio fundano municipibusve eius municipi daret*, Savignius verbum permittendi, quod displiceret, idem esse putabat quod *mittere*, sed non cogitans quam non aptum esset. Nam nunquam est idem quod mittere, aliquando idem quod *ita mittere, ut usque ad id quod petas penetres*; suam enim praepositioni significationem servari decet. Quare hoc loco aut erravit sculptor, qui pro eo quod esse debebat *quoi — permissum est* scriberet *quei — permissus est* aut accepta ea, quae solita est, significatione ferendus est Graecismus, argenteae certe aetate non inusitatus. Nam, ut unum exemplum afferam, apud Senec. de ira I, 7 est: *animus permittitur.* Cf. Senec. de benef. IV, 12 et interpretes ad Curt. VIII, 12, 6.

3) Sequimur autem Göttlingii editionem, ita tamen, ut manifestos errores tollamus.

mis, quibus sciet Romae censum populi agi, omnium municipum, colonorum suorum quique eius praefecturae erunt, qui cives Romani erunt, censum agunto eorumque nomina, praenomina, patres aut patronos, tribus, cognomina et quot annos quisque eorum habet et rationem pecuniae ex formula census, quae Romae ab eo, qui tum censum populi acturus erit, proposita erit, ab iis iuratis accipito eaque omnia in tabulas publicas sui municipii referenda curato eosque libros per legatos, quos maior pars decurionum, conscriptorum ad eam rem legari, mitti censuerint tum, cum ea res consuleretur, ad eos, qui Romae censum agent, mittito curatoque, uti, eum amplius dies LX reliqui erunt, ante quam diem ei quicunque Romae censum agent, finem populi censendi faciant, eos adeant librosque eius municipi, coloniae, praefecturae edant, isque censor sive quis alius magistratus censum populi aget, diebus V proxumis, quibus legati eius municipii, coloniae, praefecturae adierint, eos libros census, qui ab iis legatis dabuntur, accipito sine dolo malo exque iis libris, quae ibi scripta erunt, in tabulas publicas referunda curato easque tabulas eodem loco, ubi ceterae tabulae publicae erunt, in quibus census populi perscriptus erit, condendas curato.

Quinque praecipue res in hoc capite esse video, de quibus dicendum sit. Primum qui in municipiis, coloniis, praefecturis Italiae *maximum magistratum maximamve potestatem* habeant, censum municipum suorum agere iubentur. Hoc loco Mazocchius intelligendos esse ait IIviros, IIIIviros et si qui alii eiusmodi cum maxima potestate in municipiis fuerint magistratus, non esse intelligendos quinquennales, quorum huius legis tempore nondum ullum munus in oppidis Italicis fuerit; contra Marezollus solos censores sive quinquennales dici putat, nullos alios magistratus. Denique coniunctis quasi his sententiis Dirksenius [1] primo loco quinquennales censui agendo praefuisse existimat, ii ubi deessent, IIviros et IIIIviros. Nulla ex his interpretationibus satis videtur esse recta. Diligenter enim sane in lege is, qui maximum magistratum maximamve potestatem habebit *tum cum censor Romae populi censum aget*, municipum suorum censum agere iubetur. Non iubetur novus ac peculiaris aliquis magistratus creari, qui censendo praesit, sed is, quicunque tempore census maxima potestate sit, censui praeesse. Hoc prorsus apertum est. Disiungitur igitur census agendus ab censorio nomine nec necesse est, qui censum agat, sit censor. In quo imitationem accuratam Romanae urbis intelligo, quoniam Caesar quoque, qui tum Romae censum populi acturus erat, non censor erat nec censorium nomen usurpabat, sed ea, quam pridem habuerat, maxima potestate contentus erat. Quare et IIviri et IIIIviri per Italiam censum agebant, sive ii tum cum agebant censorum nomen usurpabant sive hoc, de quo quaerimus, quinquennalium nomen, quod censoriae

1) Vide eius Observationes ad tabulae Heracleensis partem alteram (Berolini 1817) p. 184.

potestatis proprium fuisse omnes consentiunt, assumebant. Nec vero illi soli censui praeerant, verum etiam, si quibus in civitatibus nulli erant magistratus sed pro iis vel praefecti vel quocunque alio nomine erant munera magistratuum gerebant, id quod saepe in multis accidisse constat. Eaque causa est, cur in logo sit *maximum magistratum maximamve potestatem*, in quibus potestatem maxime ad praefectos, qui pro magistratibus fiant, pertinere censeo. Atque hoc de iis, qui censum in municipiis agerent, non fuisse modo ita intelligo, sed necesse etiam fuisse ita institui, vel, si iam institutum esset, conservari. Cum enim spatium sollemne quinquennii, quod inter censuras intercedere oportebat, saepe negligeretur, quid, cum totius populi census constitutus erat, expectari attinebat, dum per municipia comitio habita essent vel censorum vel quinquennalium?

Sequitur de formula census, quae in municipiis vel coloniis eadem esse iubetur, quae Romae a censore proposita esset. Ac cohaeret cum eo, quod municipes iurati profiteri iubentur, quaeque deinceps sunt de tabulis censoriis conficiendis, de legatis Romam mittendis, de censore Romano adeundo. Quae omnia apparet non nova esse a Caesare instituta, sed conservata. Tertium est, quod in exitu capitis sic cavetur: ***Qui pluribus in municipiis, coloniis, praefecturis domicilium habebit et is Romae census erit, quo magis in municipio, colonia, praefectura hac lege censeatur, eius hac lege nihil rogatur***, quod item a Caesare ex vetere consuetudine quae supra explicata est in suam legem translatum est. Ac ratio patet. Nam qui Romae profitebantur, omnia, quae ubique haberent, profitebantur, quae cum apud censorem perscriberentur, inutile erat, quae per municipia possiderent, denuo in tabulis municipalibus afferri. Illud desidero, num eum, qui in pluribus municipiis domicilium haberet nec Romae censeri vellet, oportuerit in omnibus censeri. Nisi forte in municipiis ea modo, quae intra fines eius municipii essent, profitebantur itaque formula a censore Romano missa cavebatur [1]). Quartum est, quod Italiae modo tribuitur, ut incolis eius liceat in sua quemque patria censeri. Neque enim hoc non potest de industria factum esse, quod, cum tab. II vs. 9 et 15 et 24 et 52 et 61 et potissimum vs. 34 semper modo municipia, coloniae, praefecturae, fora, conciliabula civium Romanorum commemorentur, vs. 68, ubi de censura municipali dicitur, additur *quae in Italia sunt, erunt*. Itaque hoc apparet, ius illud fuisse Italicarum modo civitatum, ut a suis censoribus censerentur: provinciarum civitates item habebant illae quidem

1) Ait etiam Mazocchius ad tab. Heracl. p. 455, licuisse eum, qui in municipio aliquo domicilium haberet, Romae censeri, negat Dirksen. l. l. p. 201, quia vs. 71, qui censum agant, omnium municipum suorum censum perscribere iubeantur. Sed quidni licuerit, cum totum illud, ut in municipiis censerentur homines, non censorum Romanorum causa, sed ut municipes commodius censerentur, institutum esset?

censores suos, sed qui de arbitrio praesidum censum agerent ad eosque referrent, quae civium professionibus invenissent [1]. Quod denique quinto loco memorabile videtur, hoc est. Nam in priore legis parte, ubi de aetate ac condicione decurionum agitur, vs. 9 et 34 et 52 et 61 ***municipia, coloniae, praefecturae, fora, conciliabula*** commemorentur, in hac modo ***municipia, coloniae, praefecturae*** numerantur, ut item vs. 15 et 24. Eo re primum excluditur hoc, ut nequeamus putare, in provinciis modo fuisse fora et conciliabula, in Italia nulla. Deinde observamus, ubi municipia, coloniae, praefecturae nominentur, diei de magistratibus creandis, ubi fora et conciliabula addantur, de decurionibus legendis. Quod idem Dirksenius cum intellexisset, sic statuit [2], in foris et conciliabulis fuisse quidem decuriones, sed nullos fuisse magistratus, ad quam sententiam fere accedo. Sed quid? Num propterea existimabimus, fora et conciliabula suam habuisse rempublicam, sed eo inferiorem, quod nulli in ea fierent magistratus? Certe non ita; nam respublica sine magistratibus nulla cogitari potest, nec quod olim in provinciis quae carerent iure Italico civitates easdem decuriones modo, nullos magistratus habuisse putabantur, nunc quisquam probabit. Quare sic potius statuemus, fora et conciliabula municipiis vel coloniis vel praefecturis fuisse attributa ita, ut unam efficerent rempublicam; sed ut potestas aequaliter distribueretur, municipiorum legibus cautum esse, ut, quae cuiusque municipii essent fora aut conciliabula, ex iis certus decurionum numerus fieret, qui deinde in municipii curiam legerentur [3]. Ita fiebat, ut hi et in suo quisque foro aut conciliabulo decuriones essent et in municipio aut colonia, cui id attributum erat, magistratus autem ipsi, quia fiebant ex numero decurionum, in municipio modo ipso et crearentur et essent. Quare ne census quidem ullus agi poterat in foris et conciliabulis.

Hac igitur lege Iulia Caesaris ann. 45 fallentur hercule qui nova omnia sancita esse existiment. De formula quidem census, tum ne quis saepius et Romae et in municipiis censeretur, tum, ut Italia sola, provinciali imperio libera, hoc beneficio uteretur, denique de generibus oppidorum, in quibus census agi posset, haec omnia iam ante Caesarem prorsus eadem valuisse aut facile apparet aut supra demonstratum est. Nec quod de iis, qui censum

1) Quare, quae in exitu legis sunt, ut iis, qui in municipia fundana ad leges dandas missi essent, liceret leges, quas iam dedissent, secundum hanc legem commutare atque corrigere, ea intelligitur maxime pertinere ad priorem legis partem, qua de aetate ac condicione eorum, quos decuriones esse liceat, agitur. Nam ne Transpadana quidem oppida nuper in civitatem recepta eo tempore, quo haec lex lata est, Italiae accensebantur.

2) In Observat. ad tabul. Hercl. p. 7 sqq. Minus accurate dixit Savignius l. l. p. 345.

3) Neque haec ratio caret argumentis ex inscriptionibus veteribus petendis. Lavinii quidem ipsi demonstravimus ex vico Augustinorum certum senatorum numerum in curiam Lavinatem creari consuevisse. Vide nostram de Lavinio et Laur. Lav. commentationem epigraphicam p. 29.

agerent, iubebatur, prorsus contra morem veterem erat, sed cum antea aliter in aliis fuisset civitatibus, a Caesare in omnibus aequaliter constitutum est. Etenim hoc omnino agebat Caesar, non ut nova introduceret, sed ut vetera longa incuria neglecta et dissoluta certis legibus astringeret. Quare cum etiam antea moris fuisset, ut, cum Romae census indictus esset, intra certum temporis spatium municipales censores in suo quisque municipio censum agerent tabulasque censorias Romam deferrent, Caesar haec numero dierum finito certaque ratione praescripta sancivit. Atque ita, etsi origo quinquennalium, quos censoriis muneribus municipiorum et coloniarum Italiae praefuisse scimus, ex vetustioribus temporibus repetenda est, certa eorum quae postea fuit forma ac ratio ad Caesarem eiusque hanc legem, quae in tabula Heracleensi extat, referri debet. Quamquam quis credet eam per turbulentissima bellorum civilium tempora, quae proxime anno, postquam lata est, irruperunt, servatam esse? Non commemoro, multa, quae Caesar egisset, eo interfecto esse sublata; nam haec lex etiam iis, qui libertatem restituturi erant, utilis videri poterat. Sed quis, quaeso, inter arma legibus ac novis legibus locus esse poterat? Ac si fateri velimus, quod verum est, ex iis, quae supra p. 87 allata sunt, argumentis plurima hoc modo docent, non ante Caesarem potuisse ferri legem, non docent latam esse a Caesare, adeoque propter universam temporum rationem de Augusto legis auctore cogitare mallem, ut, nisi *Quinctilis mensis*, qui commemoratur, de Caesare dictatore persuaderet, crederem prorsus de illo, qui quantopere huic toti rei studuerit, vel inde intelligitur, quod quaedam postea, quae tempus postulare videretur, mutavit, ex quo genere fuit edictum, quo in Bithynia permisit, ut etiam minores triginta annis magistratus caperent. Vide Plin. epist. X, 83. Quare censum illum coeptum a Caesare, cuius causa haec de quinquennalibus ita sancita erant, certum esse debet non esse perfectum. Sed sexto decimo anno post Caesaris caedem postquam Augustus rempublicam defessam recepit et ann. 29 a. Chr. hoc agere coepit, ut censu habendo omnia constitueret [1]), quo censu constat certe Italiae municipia esse comprehensa, etiam quinquennales restituti sunt, at quidem ita, ut eandem rationem tenerent, quam Caesar iis dederat. Hoc iam, cum scriptor de ea re nemo dicat, inscriptionum Latinarum memoria demonstrandum erit.

Nimirum, ut ponam principio, quod demonstraturus sum, qui de quinquennalitate adhuc scripserunt, omnes in eo videntur peccasse, quod cum peculiarem aliquem magistratum esse statuerunt quinquennalesque diversos esse putarunt ab iis, qui iuri dicundo praeerant. Immo cum in aliis civitatibus summum magistratum habeant iidemque iuri dicundo praesint IIviri, in aliis IIIIviri, hi, sive sunt IIviri, sive IIIIviri, ubi in eum annum incidebant, quo census

1) Nam ipso illo anno coeptum esse censum agi ipse Augustus in indice rerum a se gestarum II, 1 significat, cum eo anno patricios a se auctos esse scribit.

agendus erat, appellabantur vel *IIviri* vel *IIIIviri quinquennales* vel *iuri dicundo quinquennales*, prorsus ita, ut secundum tabulae Heracleensis legem esse oportuisse intelligitur.

Afferam primo loco eam, quae vetustissima est quinquennalium memoria, quae inveniatur. Ea est nobilis tabula Campanae coloniae, quae superiore commentatione ita a nobis explicata est, ut hanc quinquennalium commemorationem peculiari quaestioni reservaremus. De quibus quae referuntur, aperta sunt. Etenim eum inde ab ann. 34 usque ad 30 tres semper coloniae magistratus, IIviri, aediles, quaestores recenseantur, anno 29, quo Augustus V Sex. Appuleius consules erant, subito commemorantur *L. Oppius L. Livius IIvir Q.*, *M. Nerius*, *C. Mestrius aed.*, *Q. Plestinius Sex Fadius Q.*, quae nescio quomodo quis aliter explicare possit, nisi ut primum par IIvirorum quinquennalium, alterum aedilium, tertium quaestorum fuisse existimet. Subito igitur quinquennales existunt et quidem eo anno, quo censum agi coeptum esse constat, quae magna significatio eum magistratum cum censu fuisse coniunctum. Tum apparet quinquennales fuisse eosdem, qui IIviri erant. Nam cum antea semper tres magistratus nominentur, IIviri, aediles, quaestores, hoc anno item aediles et quaestores, pro IIviris habentur IIviri quinquennales, unde alterutrum fuisse necesse est, ut aut, qui prius fuerant IIviri, ii tunc appellarentur IIviri quinquennales, aut nullis creatis IIviris, soli fierent quinquennales.

Quod autem ex his fragmentis fastorum Campanorum intelligitur, idem ex fragmento Nolano apud Grut. p. 1087, 1 (Orell. n. 4033) colligitur. Quod fragmentum cum magistratus Nolanae coloniae inde ab anno 29 p. Chr. usque ad ann. 33 contineat, ceteris quidem annis tribus IIviri et aediles nominantur, anno 31, quo Tiberius cum Seiano consul fuit, *L. Oppius Proculus M. Staius Flaccus IIvir iter. Q.* et *M. Atinius Florens A. Cluvius Celer aed.* commemorantur. Ex quo eadem coniectura fieri potest, quem supra diximus, certis quibusdam annis non IIviros creari consuevisse, sed IIviros quinquenneles. Ut temporis ordinem sequar, proxime afferam Casinatis coloniae fragmentum, quod invenitur apud Fabrett. p. 485 n. 159 (Mur. p. 309, 3), quod inde ab anno 67 p. Chr. usque ad ann. 75 pertinet, sed in quo nomina magistratuum supersunt modo ab ann. 67 usque ad ann. 71. Ibi anno 67 et 69 et 70 IIIIviri iuri dicundo notantur, at anno 68 appellantur quinquennales, ut certum sit, qui aliis annis fuerint IIIIviri iuri dicundo, eosdem illo anno fuisse quinquennales. Pertinet eodem fragmentum Ostiense apud Feam in Fragmentis fastor. consuler. et triumphalium (Romae 1820) n. 19, in quo cum duorum annorum, ann. 91 et 92 p. Chr., coloniae summi magistratus notentur, prioris appellantur *IIvir C. P. Q.* i. e. *IIviri censoriae potestatis quinquennales*, alterius modo *IIviri*. Incertorum annorum, sed tamen ex aetate Augusti vel Tiberii sunt tria fragmenta fastorum coloniae Praenestinae. Primum editum est e Fogginio (Fastorum anni Romani a Verrio Flacco ordinatorum reliquiae, Romae 1779, praef. p. XIV), repetitumque inde

ab Orell. n. 3874 et Petrinio (Memor. Praenestin. p. 324 n. 3). In eo incerti alicuius anni sub Augusto magistratus sic recensentur, ut primi sint Germanicus Caesar Drusus Caesar quinquennales et qui pro iis praefecti ius dicunt, Cominius Bassus M. Petronius Rufus, altero loco ponantur duo aediles, tertio duo quaestores. Cum ex plurimis monumentis constet Praeneste fuisse IIviros, cur ii non nominantur? Nempe ideo, quod latent in quinquennalibus. Nec multo post, certe ante ann. 30, quo Nero et Drusus, Germanici filii, Seiani arte eversi sunt, positus est alter titulus Praenestinus, quem ex Petrinii Memor. Praenestinis p. 324 n. 4, quoniam is liber apud nos ignotior est, afferam:

. . S]EDATV[S . .
. . LVS . II . VIR
. . . . AED
. . . AVIVS. MVSCAQ
NERO GERM]ANICI. F. IIVIR. QVINQ.
. . . SEDATVS PR
. . . VS . AED
. . . . QVEST

In hoc titulo duorum annorum magistratus afferri apparet, quorum priore fuerunt *IIviri, aediles, quaestores*, altero *quinquennales* et pro iis, quia ipsi muneri praeesse non poterant, *praefecti, aediles, quaestores*, ut rursus, quo anno quinquennales sint, eo nullos esse IIviros videamus. Similisque et aetate suppar est tertius titulus Praenestinus apud Cecconium (Histor. Praenestina p. 27) et Petrinium (Memor. Praenestin. p. 325 n. 5), quem item apponam:

. . . .

a)	b) DOLABELLA.	II[VIR
. . . .	ROIANVS	A[ED
M. SAMARIVS	Q. AVIVS	QVA[EST
	P. CORNELIVS.	II[VIR
C. MASSIENVS	L. NASSIVS	A[ED
SEX. CAESIVS	C. SEXTORIVS	QV[AEST
Q. CALLEIVS	T. LVCRETIVS	IIV[IR
	C. VIBIVS	A[ED
C. SALVIVS	C. CASSIVS	QVA[EST
L. CVRTIVS	M. PETRONIVS	QV[INQ
STATIOLENVS	Q. AEBASIDIVS	[AED
. . . .	T. APONIVS .	QVA[EST [1]

. . . .

In hoc rursus, cum quattuor annorum magistratus recenseantur, trium annorum sunt *IIviri, aediles, quaestores*, quarti *aediles, quaestores*, pro IIviris *quinquennales*. Etenim quin vs. 11 quinquennales et vs. 12 aediles recte a nobis suppleti sint, dubitari non potest. Postremo citandus memorabilis titulus Pompeianus apud Gudium Inscr. p. 106, 1 (Orell. n. 2530), positus *A. Clodio Flacco IIviro I. D. ter. Quinq., tribuno militum a populo*, in quo huius Clodii liberalitates, quibus usus sit in magistratibus, sic exponuntur: *Primo duumviratu Apollinaribus in foro pompam tauros taurocentas succursores pontarios paria III pugiles catervarios et pyctos ludos omnibus acroamatis pantomimisque omnibus et Pylade et IIs. n.* CCIↃↃ *in publicum pro duumviratu, secundo duumviratu quinq(ennali) Apollinaribus in foro pompam tauros taurarios succursores pugiles catervarios, poster(o) die solus in spectaculis athletas paria XXX gladiatores paria V et gladiatores paria XXXV et venation(e) tauros taurocentas apros ursos cetera venatione varia cum collega, tertio duumviratu ludos factione prima adiectis acroamatis cum collega* (*exhibuit*). Hinc nonne apertum est quinquennalitatem pro IIviratu esse numeratam? Etenim cum A. Clodius appelletur *IIvir tertium quinquennalis*, deinde hoc ita explicatur, gessisse eum tres IIviratus, ex quibus medius fuerit cum quinquennalitate coniunctus.

Coloniarum hi fuerunt fasti, quibus usi sumus, casu quidem; nam municipiorum forte ita accidit, ut nulla talia extent monumenta. Sed tamen dubium esse nequit, quin eorum eadem fuerit ratio quae coloniarum, cum propter alias causas, quae infra a nobis afferentur, tum quod in tabula Heracleensi nullum prorsus in ea re coloniarum et municipiorum discrimen statuitur. Sunt autem etiam alia argumenta plurima, quae demonstrent quinquennalitatem coniunctam prorsus fuisse cum IIviratu et IIIIviratu, quae infra a nobis, ubi in universa quinquennalium ratione explicanda occurrent, significabuntur.

Iam cum duas res demonstrasse videamur, primum quinquennalium vel nomen vel universam rationem inde ab Imperatore Augusto denuo constitutam deinceps esse servatam, deinde eam potestatem IIviratu vel IIIIviratu contineri, sequetur, ut de ipsa eorum potestate dicamus. Qua in disputatione, ut rursus hic sumamus, quod infra docebitur, censoriae potestatis fuisse quinquennales, ab eo proficiscendum erit, ut, qualis universi census sub imperatoribus ratio fuerit, paucis explicemus. Censum constat veteribus temporibus propter tres maxime res esse institutum, primum ut secundum quod quisque in censu professus esset tributum imponeretur, deinde ut populus rite in partes distribueretur. Accedebat ad haec cura quaedam redituum publicorum, quae imprimis in agris publicis locandis versaretur. Quae alia minora

1) Sic exhibet Ceccenios; nam Petrinios in ordine *a* vs. 1 habet SAMIARIVS, vs. 2 MESSIENVS, vs. 4 CALEIVS, in ordine *b* vs. 3 SOTANIVS, vs. 4 Q. FLAVIVS. A . . ., vs. 7 SERTONIVS. QV . .,

censorum munera erant, ex his quae diximus proficiscebantur. Iam ex his tribus censurae causis prima sublata est tributi exigendi necessitas, quod desitum esse exigi constat inde ab ann. 167 a. Chr. Ita praecipua censurae necessitate sublata etsi servatum est aliquamdiu vetus institutum, quoniam paulatim spatia quinquennalia turbari coepta sunt ac semel per septendecim adeo annos inde ab ann. 85 usque ad ann. 70 nullos fuisse censores videmus, faciendum erat, ut quae alia olim censorum munera fuerant, ad alios magistratus transferrentur. Ac redituum quidem publicorum curam, qua locationes agrorum publicorum et sarta tecta continebantur, per ipsos illos septendecim annos censorum magistratu vacantes scimus consulibus vel praetoribus a senatu esse traditam (Cic. in Verr. lib. I, 50) eaque res, cum certi essent ii magistratus neque unquam intermitterentur, adeo debuit videri commoda, ut non dubitem, quin idem aliis temporibus factum sit. Tertia vero censoriae potestatis pars, quae in partibus populi distribuendis versabatur, magis ad disciplinam civitatis conservandam quam ad ullam necessitatem pertinebat, praesertim cum de senatu (nam illo imprimis ordo curae debebat esse censoribus) rite vel sine censorum opera supplendo nova quaedam Sulla dictator utiliter videatur instituisse. Ita factum est, ut, cum Augustus imperium susciperet, vetus illa per sollemnia quinquennia repetita censura prope inutilis videretur. Nam quod plurimi viri docti existimarunt, pristinum illud, quod ante ann. 167 a. Chr. conferre cives Romani consueverant, tributum ab eo esse reductum, id Ph. Ed. Huschkius eo, qui supra citatus est, libro p. 70 sqq. persuasit mihi prorsus non esse renovatum. Quod, si postea ab imperatoribus exigeretur, censura profecto non potuit adeo negligi, ut neglectam esse constat. Nam si Augustum, qui et ipse ter censum sine censurae honore egit et ultimos illos ex privatorum numero censores anno 23 a. Chr. creavit, et Claudium et Vespasianum, qui censoris nomen usurparunt, excipies, nullum per imperatorum tempore eius magistratus vestigium invenias. Imperator aut ipse aut, cum impediretur, per curatores et senatum legebat et equitum turmas recognoscebat (cf. C. G. Zumpt über die Römischen Ritter und den Ritterstand in Rom p. 38), idem reditus publicos administrabat et opera publica vel ipse curabat vel curatoribus mandabat, reliquus populus, in quo nec dignitas ulla nec tributi exactio quaerebatur, vel minoribus magistratibus relinquebatur vel negligebatur. Non negarim equidem dictatorem Caesarem, cum quinquennalibus municipiorum instituendis efficeret, ut facile ac diligenter omnium, qui per Italiam totam essent, civium Romanorum recensus agi posset, de tributo restituendo cogitasse, sed post molestissimas civilium bellorum exactiones ad stabiliendam imperii securitatem levari potius quam onerari populum oportebat.

Ex his, quae modo disputata sunt, apparere utique censeo, universum illum reipublicae censum nihil ad quinquennales pertinuisse; quod qui statueret, necessario ita accidisse confiteretur, ut per omnia municipia ac colonias uno semper anno crearentur quinquennales, id

quod, etsi satis plena quinquennalitatis municipalis memoris superest, nullo pacto demonstrari potest. Nunc cum municipalium rationum causa intelligamus institutos esse quinquennales, ita oratione nostra omittenda erit Romana censura, ut, quatenus ex ea municipalis quinquennalitas expressa sit, appareat. Quadripertita autem erit reliqua nostra disputatio, primum ut dicamus de externa quinquennalium ratione, quomodo facti atque appellati sint, deinde de eorum muneribus, tum de dignitate, denique de exitu, quo pacto factum sit, ut paulatim creari desinerent.

Iam igitur, ut primum de externâ quasi quinquennalium ratione disseramus, quo modo fieri consueverint, facile apparet. Quibus enim comitiis fiebant reliqui magistratus, IIviri vel IIIIviri, iisdem quinquennales. Nam cum in municipiis nunquam illud, quod in Romana republica fuit, discrimen videatur valuisse inter ea comitia, quae maiorum magistratuum erant, et inter ea, quae minorum, sed unum semper et omnium magistratuum idem fuisse comitiorum genus, tum quinquennales, quos docuimus supra eosdem fuisse vel IIviros vel IIIIviros, apparet non aliis factos esse comitiis, i. e. usque ad Tiberii imperatoris tempora, cum etiam Romae populi comitia essent iisque magistratus fierent, populi comitiis, post ann. 19 p. Chr., cum lege Petronia etiam in municipiis et coloniis comitia in curias translata esse suspicamur [1], ab ipsis decurionibus. Cum annus ille accedebat, quo ex lege municipii quinquennales creari oportebat, decuriones decernebant, ut, qui vel IIviri vel IIIIviri crearentur, iidem quinquennalitatem gererent, itaque ex hoc decreto creabantur. Quod cum sponte ex ipsius rei natura perspiciatur, nonnunquam tamen etiam sic accidisse probabile est, ut, cum IIviri aut IIIIviri iam creati essent, tum his propter necessitatem aliquam reipublicae quinquennalitas decerneretur, velut in inscriptione, quam G. Henzen. in Diurnis litterar. Ienens. ann. 1847 n. 62 ex diurnis Italicis (Filologie Abruzzese VII, 65) affert, Sex. Pedius appellatur *IIIIvir. i. d. praef. Germanici Caesaris quinquennalicii iuris ex S. C. quinq. iterum*, quo loco quod additur *ex S. C.*, sic explicandum esse censemus, ut, qui electus esset pro Germanico Caesare IIIIvire i. d. praefectus, ei tum a decurionibus ius quinquennalicium delatum esse putemus. Atque hoc quidem cum facile sit ad intelligendum, difficilior est quaestio, quoteni fuerint. Modo enim IIviri quinquennales, modo IIIIviri quinquennales appellantur. Atque in illis facile apparet, fuisse binos appellarique potuisse IIviros ex numero. Cuius rei exempla afferre inutile est, quoniam supra, cum quinquennales eosdem fuisse IIviros i. d. docebamus, in fragmentis fastorum municipalium binos quotannis commemorari videbamus. At in IIIIviris eadem videatur adhibenda esse ratio, ut, cum IIIIviri nominentur, quaterni fuisse putentur quinquennales. Quam rem cum universa IIII virum municipalium natura ac ratione coniunctam cum alii disputationi relinquere statuerim,

1) Vide commentationem nostram de Campanorum fastorum fragmento, supra p. 61.

ea modo hee lece eommemorabe, quae ad numerum quinquennalium inveniendum necessaria sunt. Primum igitur bee observamus, quod fere ad id pertinet, qued supra quinquennalitatem cum IIviratu et IIIIviratu ceniunctam fuisse diximus, in quibus civitatibus reperiantur IIIIviri, in iisdem semper eemmemorari IIIIviros quinquennales. Veluti Aeserniae cum *IIIIviros* fuisse constet ex Grut. p. 1029, 4 (Mur. p. 295, 3) et Mommsen. in Bullett. Inst. arch. enn. 1846 p. 182, *IIIIviri quinquennales* commemorantur in inscriptiene apud Denium p. 81, 56 (Mur. p. 476, 6; Orell. n. 3731); ut Ameriae cum ex plurimis titulis discamus fuisse *IIIIviros i. d.*, item *IIIIviros quinquennales* fuisse cognoscimus ex Grut. p. 488, 3 et 1079, 12 et 1104, 17; ut Aquileiae multi et *IIIIviri* et *IIIIviri quinquennales* ex inscriptienibus noti sunt; ut Compsae, ubi *IIIIviros* fuisse demonstrant inscriptiones apud Grut. p. 223, 1 (Orell. n. 3849) et Grut. p. 373, 5, item *IIIIviros quinquennales* fuisse ostendit Mur. p. 1039, 6 (Orell. n. 3854); ut Faleriis in inscriptione, quam exhibet G. Henzen. in Tabula aliment. Baebian. p. 16, unus home appellatur *IIIIvir i. d. et IIIIvir quinq.*, atque alter *IIIIvir quinq.* eiusdem civitatis est epud Grut. p. 194, 7; ut Ferentini ex nobili titulo apud Grut. p. 461 alioque apud Grut. p. 456, 1 discimus fuisse *IIIIviros i. d.* et *IIIIviros quinquennales*; ut Gabiis, ubi saepius *IIIIviri* eommemerantur, *IIIIviros quinquennales* fuisse docemur eeleberrimo titulo epud Viscont. Monum. Gabin. p. 163; ut Histoniis *IIIIviros* et *IIIIviros quinquennales* fuisse demenstrant tituli apud Grut. p. 374, 1 (Fabrett. p. 463, 92; Orell. n. 4052) et Mur. p. 1050, 7 (Orell. n. 143); ut Interamnse multi tituli babent *IIIIviros*, nonnulli *IIIIviros quinquennales*, apud Mur. p. 752, 4 (Denat. p. 264, 12); ut Oriculis unus homo *IIIIvir i. d.* et *IIIIvir quinq.* appellatur apud Grut. p. 422, 8; ut Patavii multi *IIIIviri i. d.* commemerentur itemque *IIIIviri quinquennales*; ut Reate at *IIIIviri* et *IIIIviri quinquennales* apud Grut. p. 354, 3 et 437, 7 (1028, 6); item Sentini apud Grut. p. 467, 2 (Orell. n. 3861), ae Speleti apud Grut. p. 171, 4 et 467, 7 et Mur. p. 121, 3 et 206, 5; item Sulmone apud Mur. p. 839, 2 (Orell. n. 3856) et 679, 2 et Superequi apud Mur. p. 367, 1 (Orell. n. 1856) et Teate apud Fabrett. p. 463, 92 (Orell. n. 3853) at Donat. p. 261, 1; ut Tiferni apud Grut. p. 244, 6; ut Urbini multi in multis inscriptionibus, ut Veiis et Veronse item in multis inscriptionibus. Alia exempla in eommentatiene insequenti afferentur. Quare in emnibus civitatibus, in quibus summus magistratus est IIIIvirerum, nunquam IIviri quinquennales, sed semper IIIIviri quinquennales nominantur.

Alterum autem cemmemorationе dignum boc est, quod in his, quae IIIIviratum babebant, civitatibus quinquennales, etsi appellantur IIIIviri, bini tamen erant numero. Docet id imprimis fragmentum illud fastorum Casinatium, quod supra citetum est, in que cum ceteris annis IIIIviri nominentur, qui reipublicae prsefuerint, ann. 68 duo sunt, qui quinquenneles appellantur, quibus quod nomen IIIIvirum non additum est, secundum ea, quae supra disputata sunt, nemo erit qui quidquam interesse censeat. Idemque demonstrat celebra monumentum

Gabinum Domitiae Augustae editum ab Ennio Quir. Viscontio in monumentis Gabinis p. 107, in quo de honore Domitiae Augustae decretum decurionum factum esse dicitur referentibus *L. Vipstano Publico L. Setrio Prisco IIIIviris quinquennalibus.* Nam si plus quam duo fuissent, eos item tamquam decurionum praesides commemorari oportebat. Itaque non dubitabimus, quin in inscriptione, quam Mur. p. 476, 4 et Don. p. 84, 56 habent, quam ad Aeserniam quam ad Allifas pertinere malumus, qui duo IIIIviri quinquennales Q. Fusius et C. Antrecius balneum de senatus sententia refecisse dicuntur, totum collegium quinquennalium efficiant, non dimidiam modo eius partem. Magnum vero etiam binarii quinquennalium numeri argumentum ea ex re deducitur, quod, cum supra demonstratum sit, quinquennalitatem coniunctam fuisse cum summo cuiusque civitatis magistratu, ex IIIIviris certum est binos singulis annis iuri dicundo et decurionibus praefuisse i. e. summi magistratus muneribus functos esse. Quam rem, quoniam paulo longiore disputatione egere videbamus, peculieri commentationi constituimus reservare.

Superest ad externam quasi, quam appellamus, quinquennalium rationem describendam, ut de nomine eorum dicamus, qua in re cum multiplex error virorum doctorum versaretur, factum est, ut etiam de natura ac vi quinquennalitatis ipsius minus recte iudicaretur. Hoc loco primum observo, quod cum vulgate multorum opinione pugnat, in municipiis nihil prorsus interesse potestatis inter eos, qui IIviri vel IIIIviri, et inter eos, qui IIviri iuri dicundo vel IIIIviri iuri dicundo appellantur. Unus est in municipiis summus magistratus, qui iuri dicundo praeest, cuius nomini ab numero sumpto, si quis sollemnius dicat, illud, quod iuri dicundo praefectus est, additur. Atque item fieri in praefectis municipiorum, qui modo iuri dicundo nominantur, modo simpliciter praefecti, supra in commentatione de fastis Campanis p. 63 demonstratum est. Iam cum quinquennales duas quasi personas gerant, quoniam et iuri dicundo praesunt et censoriam potestatem habent, simplicissima haec est ratio, cum duarum harum potestatum nomina iuxta ponuntur. Ita apparet factum esse in titulo amphitheatri Venusini apud Lupul. Itin. Venus. p. 327 (Orell. n. 3873), quod a solo restituisse dicuntur M. Lollius Bassus et L. Messius Afrius PRAEF. IIVIRI. I. D. II. VIRI. QQ cum duobus aedilibus. In quo ut praetermittamus praefectos, quorum significatio praemissa nihil mutat eius muneris naturam, pro quo praefecti fuerunt, quia quo magistratu administrante theatrum aedificatum sit indicatur, excluditur prorsus ea opinio, si quis ex solito Romanorum more prioris alicuius magistratus significationem additam esse putet, ut ii, pro quibus illi praefecti fuerunt, IIviri i. d. IIviri QQ. appellati sint. Quod cum constet in hoc titulo, haud scio an similiter explicandus sit alius apud Lupul. Itin. Venus. p. 319, in quo *L. Abucius* appellatur *Praef. IIvir i. d. IIvir Q.*, itemque lapis Tergestinus apud Grut. p. 483, 2, ubi L. Varius Papirius dicitur IIVIR. I. D. IIVIR. I. D. QQ. Sed insigne prorsus et manifestum exemplum est hoc Ariminense. Apud Mur. p. 169, 10 posuisse aliquid *de sua pecunia loco suo* narratur C. Galerius P. filius DVOVIR. QVINQVENN. AVGVR, atque

idem sine dubio C. Galerius P. filius apud Mur. p. 704, 8 (Orell. n. 3822) *de sua pecunia loco suo* DVOVIR. QVINQ. DVOVIR. I. D. AVG., unde, nisi quis forte putabit, quod parum veri est simile, eundem bis per confusionem exhiberi a Muratorio titulum, duplicem unius operis inscriptionem fuisse apparet, in quarum una plenius, in altera brevius honos idem significetur. Idemque fit, omissa iuris dicundi significatione, cuius rei satis manifestum est exemplum in duabus inscriptionibus Pisaurensibus, in quarum priore apud Donat. p. 457, 4 (Orell. n. 4069) T. Caedius Atilius Crescens dicitur Q. IIVIR. ET. IIVIR. QQ., i. e. *quaestor, IIvir et IIvir quinquennalis*, in altere apud Oliver. Marm. Pisaur. n. 35 P. Cornelius Cicatricula item IIVIR. ET. IIVIR. QVINQ. PONT. Nam cum in honoribus enumerandis rarius fiat, ut honores particula *et* inter se coniungantur, tum in his ipsis titulis, in priore quaestoris, in altera pontificis significatio nulla particula interiecta additur. Uterque igitur homo unum gessit honorem quinquennalitatis, quae in alio titulo Pisaurensi apud Oliver. Marm. Pisaur. n. 34 (Fabrett. c. VI n. 165; Don. Cl. IIII n. 1; Donat. p. 75, 4) coniuncta cum pontificatu et quaestura sic significatur brevius: PONT. Q. IIVIR. QQ, et cum quaestura sola similiter apud Oliver. l. l. n. 31. Apertum vero in eodem hoc genere exemplum est apud Mur. p. 746, 8 (Orell. n. 4027), ubi L. Statilius Dyrrhachii dicitur PRAEF. PRO. IIVIR. ET. IIVIR. QVINQ., nisi magis placebit hominem prius fuisse praefectum, deinde ipsum IIvirum quinquennalem. Verum rara tamen ac parum usitata videtur haec fuisse nominis ratio, vel ideo, quod ambigua erat, quia discerni non poterat, si quis duos deinceps magistratus, prius IIviratum, deinde quinquennalitatem gessisset. Plerumque igitur fiebat, ut haec, quae longiora videbantur, contraherentur appellarenturque *IIviri iuri dicundo quinquennales* vel *IIIIviri iuri dicundo quinquennales*. Eius rei affero exempla haec. In inscriptionibus Pompeianis notum est non paucas inveniri, quae ad ministros Fortunae Augustae pertineant, qui pro honore in templo varies res dedicarunt iussu magistratuum Pompeianorum i. e. IIvirum iuri dicundo et aedilium; nam quaestores nulli Pompeiis sunt. Iam in una ex his inscriptionibus, quam refert Gell. Pompeian. Vol. II p. 198, rectius Avellin. Opusc. Vol. II. p. 202 aliquid dedicatum esse dicitur iussu M. Allei Lucai Libelli M. Stlabori Frontonis IIVIR. I. D. QVINQ. duorumque aedilium. Primum, cum rursus dedicatio sit operis publici, unum illum magistratum fuisse intelligimus, unde quinquennalitatem cum IIviratu utique coniunctam fuisse constat, deinde, quod de nomine modo diximus, apparet. Ac similiter apud Grut. p. 100, 5, etsi non totus recte videtur esse descriptus titulus, invenitur *IIvir iuri dicundo quinq.*, nec apud Mur. p. 736, 2 (Malvas. Marm. Felsin. p. 354) quin item explicandum sit *IIvir i. d. Q.*, dubium esse debet. Tum *IIIIvir iuri dicundo quinquennalis* est Urbini apud Grut. 410, 7 T. Flavius Cimber, qui appellatur AED. AIS. IIIIVIR. I. D. QVINQ.; Patavii apud Grut. p. 496, 1 (Mur. 756, 6; Bertol. Antiq. Aquilei. n. 418, Orell. n. 3863) T. Vettidius dicitur IIIIVIR. IVR. DIC. QVINQ.; Ameriae apud Grut. p. 1104, 17 in fragmento aliquis IIIIVIR. I. D. QVINQ.; Aquileiae apud Bertolium

Antiq. Aquilei. n. 418 (Mur. p. 750, 4, Orell. n. 3862) L. Titius et ibidem n. 429 Fructitius IIIVIR. I. D. QVINQ.; ibid. n. 123 C. Valerius Eusebes IIIIV. I. D. IIII. V. I. D. Q. Q [1]). Verum quoniam qui praesunt civitatibus, non modo IIviri vel IIIIviri iuri dicundo, sed etiam simpliciter IIviri vel IIIIviri appellantur, fit etiam, ut, qui quinquennalitatem gerunt, vel *IIviri* vel *IIIIviri quinquennales* vocentur. Idque paulo adeo frequentius fieri observavi, nulla alia, ut videtur, de causa, quam quia brevius erat. Itaque in fastorum municipalium fragmentis, quae supra citata sunt, sic semper *IIviri quinquennales* dicuntur, ex quo ne quis colligat, quia in iis sollemnia magistratuum nomina posita esse putet, diversi fuisse generis eos, qui IIviri iuri dicundo quinquennales appellantur, in iisdem fragmentis semper vocentur *aediles* simpliciter, quorum plenum ac sollemne quasi nomen fuisse *IIviri aediles* discimus cum ex aliis argumentis, tum ex multis titulis Pompeianis, qui ad ministros Fortunae Augustae pertinent. Nam quae ii ministri deae dona dederunt, posuisse fere dicuntur iussu unius magistratuum paris, qui D. V. I. D., i. e. IIviri iuri dicundo, appellantur et alterius, cui additur D. V. V. A. S. P. P, vide Avellin. Opusc. Vol. II p. 196, 198, 199, 202, saepius. Quas notas cum alii aliter explicaverint, legendas esse *IIvirorum aedilium sua pecunia posuerunt* demonstrant illi tituli, qui sunt apud Avellin. l. l. p. 211 et 213, in quibus pro illis notis plene scribitur AEDIL. Sed ut praeter illa fastorum exempla afferam etiam alia, Abellini apud Lupul. Itin. Venus. p. 65 (Mur. p. 1033, 5; Orell. n. 3880) appellatur L. Pinerius Natta AED. II. VIR. Q., quae explicanda *aedilis, IIvir quinquennalis*, cum in alio titulo Abellinati apud Lupul. p. 64 quae sunt A. PACCIO. AVFO. AED. Q. IIVIR, quoniam et quaestores Abellini fuisse constat ex Grut. p. 434, 4 (Mur. 716, 4; Lupul. l. l. p. 59; Orell. n. 2686) et nota Q. inter aedilitatem et inter IIviratum interiecta est, intelligenda sint de *aedile, quaestore, IIviro*. Itemque in lapide Abellinati apud Lupulum l. l. p. 26 C. Mamercium dici PR. IIVIR. Q. i. e. *praetorem IIvirum quinquennalem*, docet ille qui supra p. 81 citatus est D. Cottii titulus apud Lupul. l. l. p. 64 (Mur. p. 695, 3; Don. p. 197, 138; Orell. n. 3805), in quo idem magistratus sic significatur: PR. IIVIR. CENS. Atque etiam alius quinquennalis Abellinatis titulus infra afferetur. Aeculani anno 1824 nobilis titulus repertus est, editus a Guarin. Specileg. Aeculanensi p. 5 (Orell. n. 5020) Ti. Claudii Maximi Q. IIVIR. QVINQ. i. e, si vera est littera Q., *quaestoris et IIviri quinquennalis*, qui ipsi honores paulo plenius scribuntur in alio eiusdem civitatis titulo apud Grut. p. 441, 5 (Lupul. Itin. Venus. p. 318; Orell. n. 3263 at 4006), ubi C. Neratius dicitur QVAEST. IIVIR. QVINQ. Allifanos cum alios infra in alio argumento afferemus

1) In Cremonensi lapide apud Mur. p. 680, 5 (Orell. n. 3843) quod est IIIVIR. IVRI. DIC. Q., certe falsum; nam ipse Murat. p. 1042, 3 solum IIIVIR. IVR. DIC. habet et Bianchius Marm. Cremonens. p. 280 ex vetere codice VIVIR. IVR. DIC., ut, si verus est titulus (ac poterit dubitari), videatur emendandum IIVIR. IVR. DIC.; nam quinquennalis certe delendus.

IIviros quinquennales, tum M. Aulius Albinus est apud Mur. p. 1040, 2 (Orell. n. 126; Romanell. topograph. regn. Neap. Vol. II p. 436). Arimini complures commemorantur, ex quibus primum affero C. Luccium Paulinum, qui in inscriptione ann. 1847 reperta (apud Noël. des Vergers. in Annal. philolog. Parisinis ann. 1845 p. 514) plenissime dicitur DECVR. ARIMINI. QVAEST. AED. IIVIR. QVAEST. ALIMENT. IIVIR. QVINQ., deinde C. Galerium, qui in duobus diversis titulis, in uno apud Mur. p. 169, 10 DVOVIR. QVINQVENN. AVGVR., in altero apud Mur. p. 704, 8 (Orell. n. 3822) DVOVIR. QVINQ. DVOVIR. I. D. AVG., quem paulo supra p. 100 citavimus; tum L. Faeselium, qui apud Mur. pag. 700, 3 (ibid. pag. 513, 2; Donat. pag. 286, 4; Orell. n. 3835) IIVIR. QVINQVENNAL., et L. Betutium apud Grut. p. 1091, 12 (Mur. 516, 3; Orell. 3836), qui IIVIR. QVINQ. IIVIR. I. D. vocatur, et T. Mestrium apud Mur. p. 835, 2 (ibid. p. 722, 5), qui, cum militaris homo fuisset nec alios honores gessisset, simpliciter IIVIR. QVINQ. nominatur, denique M. Vettium Valentem apud Grut. p. 1102, 5 (Diurn. Arcad. 1824, 3 p. 352), qui *praefectus pro IIviro quinq.* dicitur. Augustae Taurinorum qui duo commemorantur quinquennales, C. Valerius Clemens apud Grut. p. 478, 7 (Orell. n. 748) et P. Livius Macer apud Maff. Mus. Ver. p. 214, 3, appellantur *IIviri quinquennales*. Ex Brixianis quinquennalibus affero Q. Largennium Sagittam in lapide, quem edidit Labus. de ara antiqua Haimburgensi p. 61 (Orell. n. 66), qui dicitur PRAEF. I. D. Q. IIVIR. QVINQ. i. e. *praefectus iuri dicundo*, *quaestor* (cf. alium lapidem Brixianum Sex. Valerii apud Labus. in Bullett. Instituti archaeolog. ann. 1831 p. 141, multosque multorum quaestorum Brixianorum titulos, velut apud Grut. p. 396, 3 et Maff. Mus. Veron. p. 199, Grut. p. 438, 8 et 918, 16; Murat. 723, 5; (Orell. n. 67, et alios), tum *IIvir quinquennalis*, deinde P. Clodium Suram apud Grut. 392, 7, qui *quaestor*, *flamen Divi Traiani*, *pontifex*, *IIvir quinquennalis* nominatur, denique *IIviros quinquennales* L. Salvium Aprum C. Postumium Costam, quibus aliquid posuisse dicitur L. Vibius Nymphodotus apud Maff. Mus. Ver. p. 109, 1 (Donat. p. 157, 1; Mur. p. 297, 4; Orell. n. 1972). Capuae IIVIR. Q. Ti. Claudius Rufinus invenitur apud Grut. p. 390, 6; Castri novi apud Grut. p. 380, 4 L. Caesius Cestius Balbinus IIVIR. QVINQ., Castri novi in Piceno, apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 527 et 608 (Orell. n. 2600), L. Ateius Capito DVOMVIR. QVINQ., Falerione in Piceno apud Gaet. Minicis. in Annal. Inst. archaeolog. ann. 1839 p. 42 T. Cornasidius Sabinus item IIVIR. Q.Q.; Firmi Piceni apud Grut. p. 490, 2 bis commemorantur *IIviri quinquennales*; Hispelli apud Grut. p. 351, 1 (Don. p. 163, 15; Orell. n. 3885) Alfius IIVIR. QVINQ.; Mutinae apud Cavedon. Marm. Mutinens. p. 165 T. Vettius Nepos IIVIR. QQ.; Neapoli apud Grut. p. 1085, 7 (Mur. p. 954, 1; Orell. n. 4219) ipso imperator Commodus videtur dici IIVIR. QVINQVEN.; item L. Bovius IIVIR. Q. apud. Grut. p. 376, 3; Nolae apud Lupul. Itin. Venus. p. 6 (Reines. Cl. II n. 18; Orell. 3312) Ti. Claudius Bithynicus Q. IIVIR. AED. IIVIR. I. D. IIVIR. QVINQ.; Polae apud Grut. p. 468, 1 (et p. 1020, 7 et p. 922, 8; Orell. n. 3372) Cn. Sergius AED. IIVIR. QVINQ.; Praeneste apud Grut. p. 411, 1 T. Flavius Germanus dicitur AED. IIVIR. FLAM. DIVI. AVG. IIVIR. QQ., C. Caesius et C. Flavius apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 62 DVO-

viri. qvinq. in inscriptione operis ab iis positi; Regii Lepidi apud Mur. p. 736, 7 T. Pomponius iivir. qvinq.; Tuderte apud Speranium in Bullett. Inst. archaeol. ann. 1836 p. 66 duo inveniuntur *IIviri quinquennales*; Velitris apud Cardin. Inscr. Velitern. p. 45 item iivir. qvinq.: Venafri duo apud Grut. p. 114, 8; Venusiae apud Lupul. Itin. Venus. p. 322 (Orell. n. 4004) L. Paccius iivir. q. Similiterque in civitatibus extra Italiam sitis. in colonia Uselli Sardiniae apud de la Marmoram Itin. Sard. Vol. II p. 466 est L. Fabius iivir. qq., legatus de patronatu deferendo missus, in Dalmatia in municipio Riditarum duo sunt iivir. q. q. pater et filius Q. Rutilii Titianus et Proculus apud Lanzam in Bullett. Inst. arch. ann. 1839 p. 180. Barcinone Hispaniae est apud Grut. p. 379, 3 L. Caecina iivir. q.; Tarracone apud Grut. p. 111, 3 L. Minicius Apronianus iivir. qq.; Catanae apud Castell. Inscr. Sicil. p. 57 n. 36 L. Rubrius Proculus iivir. qvin., pluresque eiusmodi IIviri quinquennales in nummis inveniuntur, quos vide apud Eckhel. Doctr. Num. Vol. IV p. 476. Longiores fortasse fuimus in his exemplis referendis, quam res videbatur poscere; verum et frequentissime sic dicitur et ostendere volebamus, quantopere per totum orbem terrarum haec IIvirorum quinquennalium ratio pertineret. Quod postquam demonstratum est, vix iam dubium erit, quin item in iis civitatibus, in quibus, qui iuri dicundo praesunt, appellantur IIIIviri, plerumque, qui quinquennalitatem gerunt, appellentur IIIIviri quinquennales; quare pauciora ex eo genere exempla afferri opus erit. In inscriptione Aeculanensi, quam edidit Raym. Guarin. (Continuat. observat. de rebus Aeclanensibus, Neapoli 1821, p. 8) est C. Vibius, *IIIIvir QQ.*; Aquileiae Verus aed. iiiivir. qvinq. pont. apud Bertol. Antiq. Aquilei. n. 119 (Mur. p. 756, 3); Gabiis duo *IIIIviri QQ.* nominantur in celeberrimo decurionum decreto apud Viscont. Mon. Gab. p. 107; in titulo Forosempronieusi apud Grut. 417, 6 (Orell. n. 4039) inter honores C. Hedii habetur iiivir. qvinq. iiivir. aedil. Pluresque et supra p. 98 allati sunt et infra in commentatione insequenti afferentur.

Atque haec quidem, quae a nobis exposita sunt, plerumque in inscriptionibus nomina quinquennalium usurpantur. Quamquam aliquando etiam alia inveniri non mirum est. Ac primum cum et scriptores, quorum testimonia infra afferentur, omissa IIviratus significatione dicere soleant quinquennales et collegiorum quinquennales vulgo etiam in inscriptionibus appellentur, idem non raro nomen in inscriptionibus invenitur, quae res cum manifesta esset, viris doctis saepe multorum errorum causa extitit. Ut Tibure ubi proprie si loqui velis, IIIIviri quinquennales erant, apud Mur. p. 176, 4 (Donat. p. 245, 7, Orell. n. 2206) L. Aemilius Antoninus, eques Romanus, appellatur *QQ.*, *patronus municipii*, *omnibus honoribus honeste perfunctus*, *curator fani Herculis Victoris*, *pontifex*, ibidem in inscriptione, quam exhibet Lud. Grifius in Diurn. Arcad. ann. 1846, 4 p. 253 L. Minicius Natalis, consularis vir, *patronus municipii*, *curator fani Herculis Victoris*, *quinquennalis maximi exempli*, denique πολυώνυμος ille, cuius titulum optime exhibet G. Henzen in quaestione de tab. alim. Baeb. p. 47, *QQ.*,

patronus municipii, *curator fani Herculis Victoris*. In Minturnensi titulo parum alioquin emendato C. Iunii Tertii apud Avell. in Bullett. arch. Neapol. ann. 1845 p. 104 certi sunt hominis honores AED. QVINQ., quos cum colonia ex vetustissimis temporibus habuerit IIviros, interpretari oportet de aedilitate et quinquennalitate. Apud Grut. p. 443, 6 (Orell. n. 4036) in nobili tabula aenea, qua patronatus praefecturae Peltuinatium delatus est Nummiae Variae, primum, qui praesunt senatui, T. Avidaccius Rostitutus et Blaesius Natalis, appellantur AED. QQ., sed iidem in extrema tabula solum QQ., ut hoc nomen item usitatum fuisse appareat. In titulo Urbisalviensi, quem edidit Borghes. in Diurn. Arcad. ann. 1826, 3 p. 164 (Orell. n. 1170), C. Salvius Liberalis appellatur QVINQ. III. P. C., quod nulla alia ratione explicari poterit nisi *quinquennalis quartum*, *patronus coloniae*. Apud Don. p. 457, 4 (Orell. n. 106) et Mur. 1098, 1 (Fabrett. p. 450, 64; Orell. n. 3794) duo sunt tituli C. Sallii Proculi, in quorum utroque appellatur *iterum quinquennalis* civitatis Amiterninorum. Interamnae apud Grut. p. 411, 3 (Donat. p. 161, 4) T. Flavius Isidorus dicitur *omnibus honoribus honeste functus* QVINQ. II, quo loco cum incertum sit, num explicari oporteat *quinquennalitate bis*, malo de quinquennale intelligere, ut apud Mur. p. 204, 5 Interamnae C. Tifanius est QVINQVENN. AVGVR. i. e. quinquennalis et augur, qui proprie dicendus erat IIIIvir quinquennalis. Nam cum complures Interamnae commemorentur IIIIviri, tum *IIIIvir quinquennalis* in fragmento apud Mur. p. 752, 4 (Donat. p. 264, 12). In inscriptione Tarquiniensi, quam Car. Fea in Bullett. Inst. arch. ann. 1830 p. 198 edidit, P. Tullius Varro, vir nobilissimus ac clarissimus, appellatur *quinquennalis Tarquinis*; in Tiburtina, quam edidit Nibbius in Memor. Rom. Vol. III p. 16 C. Naenius Bassus dicitur *quinquennalis*, municipii, ut videtur. In Narbonensi lapide apud Grut. p. 369, 3 L. Aufidius Vinicianus dicitur AED. BIS. QVINQ. BIS. FVNDIS. In colonia Dacica Sarmizegethusa apud Seivert. Inscript. Daciae n. 143 (Grut. p. 482, 1 et 29, 5 et 394,4) T. Varenus Probus appellatur QQ. COL. SARM., et M. Cominius Quintus PONTIF. ET. BIS. QQ. COL., ut certum prorsus sit de nomine quinquennalis; nam in alia inscriptione apud Seivert. Inscr. Dac. n. 99 (Orell. n. 3433; Grut. p. 413, 2 et 477, 3) cum C. Iulius Valens nominatur AEDILIS. IIVIRALIS. ET. QQ., dubium videri possit, an non significetur, qui primum IIviratum, deinde quinquennalitatem cum IIviratu coniunctam, sed qui hanc solam alteram gesserit. Auximi apud Grut. p. 454, 9 Q. Plotius Maximus nominatur QQ. PATR. COL. i. e. *quinquennalis*, *patronus coloniae*, itemque explicandus erit titulus apud Grut. p. 446, 2, de quo cf. Orell. n. 3900, praesertim cum etiam praefectus quinquennalis, qui scribitur PR. QQ., Auximi inveniatur apud Grut. p. 465, 4. Telesiae in titulo, quem Orell. n. 3265, sed non satis emendate exhibet, item C. Minucius Thermus, postquam alii honores municipales enumerati sunt, appellatur simpliciter *quinquennalis*.

Verum praeter haec, quae morem solitum dicendi non violant, nonnulla etiam inveniuntur in hoc genere, quae vere dicas esse singularia ac notanda. Ita, si quis gloriatur, non vul-

garem se gessisse duumviratum, sed eum, cum quo censura sive quinquennalitas coniuncta esset, quidni non IIvirum quinquennalem, id quod solitum esse diximus, sed quinquennalem IIvirum se appellet? Sic igitur in notabili basi Ostiensi apud Marin. Inscr. Alb. p. 56 (Orell. n. 2204) L. Licinius Herodes appellatur *decurio, quinquennalis duumvir;* in titulo Tarracenensi apud Grut. p. 443, 1 L. Numisius Mentanus AED. Q. IIVIR. ITER. QQ. IIVIR, i. e. *aedilis, quaestor, IIvir, quinquennalis IIvir*; similiterque in inscriptione Dacica apud Grut. 69, 9 (Seivert. Inscr. Dac. p. 116; Gud. 46, 10) C. Iulius Metrebianus PENTIF. QQ. IIVIR. COL. APVLI. i. e. *pontifex, quinquennalis IIvir coloniae Apuli*; nam de pontifice quinquennali, quem fuerunt sane qui esse statuerent, vix cogitandum erit, praesertim eum in eiusdem coloniae titulo apud Seivert. n. 117 P. Aelius Silvanus item dicatur QQ. IIVIR. ET. SACERD. COL. AP. Idem quin in IIIIviris aliquando fieri possit non dubito, etsi exemplum nondum inveni. Nam quamquam ita legitur in inscriptione Nepesina apud Don. p. 182 n. 83, aliter tamen ea exhibetur apud Grut. p. 395, 1, ita quidem, ut *QQ. IIIIvir i. d.* tolli videatur. Nec magis aut vulgaris dicendi ratio observatur aut aliquis alius significatur honos in inscriptione Larinati, quam Avellin. Opusc. Vol. III p. 75 exhibet, C. Paccii, qui appellatur AED. IIVIR. QVINQ. I. D. coloniae Venafranae, quo loco coniungi male *IIvirum quinquennalem iuri dicundo* quam *aedilem IIvirum*; nam similiter praeterea in lapide Sentinati apud Grut. p. 467, 2 (Orell. n. 3861) legimus L. Sentinatem Verum dici IIIIVIR. QVINQ. IVR. DIC., ubi nulla aedilitatis vel alius honoris significatio praecedit.

Atque haec quidem de ipsius quinquennalitatis appellatione dicenda erant. Sed est etiam imprimis memorabile, quo pacto eius honoris repetitio vel cum ipso duumviratu vel quattuorviratu coniunctio significari soleat. Primum enim pro constanti veterum Romanorum consuetudine fit, ut nihil nisi iuxta ponantur eorum honorum nomina, qua re etsi nonnunquam coniunctam uno anno cum duumviratu vel quattuorviratu quinquennalitatem significari supra diximus, longe tamen saepius diversis temporibus gesti honores intelliguntur. Sic Arimini L. Betutius apud Grut. p. 1091, 12 (cf. p. 1092, 1; Mur. 516, 3; Orell. n. 3836) nominatur IIVIR. QVINQ. IIVIR. I. D., tum *aedilis*, quem utique oportet primum IIIvirum aedilem, deinde IIvirum iuri dicunde, denique IIvirum quinquennalem fuisse; in titulo Forosemproniensi apud Grut. p. 417, 6 C. Hedius Verus appellatur Forosempronii IIVIR. IIVIR. QVINQ. QVAESTOR, tum in alio municipio *IIIIvir quinq. IIIIvir aedilis*, quem necessario statuemus in hoc municipio solam quinquennalitatem, Forosempronii et IIviratum et IIviratum cum quinquennalitate coniunctum gessisse. Eademque necessitas est in titulo Ocriculano apud Grut. p. 422, 8 (Orell. 3852), in quo L. Iulius Iulianus vocatur IIIIVIR. AED. IIIIVIR. I. D. IIIIVIR. QVINQ. QVINQ. II. DEST., id quod inde apparet, quod appositum est destinatum vel designatum eum esse quinquennali IIIIviratui iterum. Qui si fuisset iam IIIIvir quinquennalis iterum, brevius dici poterat, ut est in inscriptione Histoniensi apud Fabrett. p. 463, 92 (Orell. 3853 et 4052), ubi M. Baebius Suetrius vocatur AED. Q. (i. e. quae-

stor) IIIIVIR. I. D. IIIIVIR. QVINQ. II. Praeneste apud Petrinium Mem. Praenest. p. 361 n. 25 M. quidam Albinius vocatur AED. IIVIR. IIVIR. QVINQ. AVG., quem existimabimus *aedilem*, deinde *II virum*, tum *IIvirum quinquennalem*, denique *augurem* fuisse. Venusiae apud Oroll. n. 3156 (Lupul. Itin. Venus. p. 315; Donat. p. 252, 9) P. Ennius Bassus dicitur AED. BIS. IIVIR. I. D. BIS. IIVIR. QVINQ., ubi quod interiectum est *bis*, satis docet separandum esse IIviratum quinquennalem a reliquis duobus IIviratibus. Item in titulo Polensi L. Menacii Prisci, quem edidit Ortius (in libro Italico Di una antica lapide inedita Istriana p. 18, Bullettin. Inst. arch. ann. 1831 p. 219), AED. DVIR. DVIR. QVINQ. de tribus separatis honoribus intelligo, quia in reliquis inscriptionibus Polensibus, ut in ea, quae supra a nobis citata est, ex Grut. p. 468, 1, aediles simpliciter nominari video. Saepini apud Donium p. 182, 84 (Mur. p. 672, 3) M'. Baetius appellatur IIVIR. I. D. IIVIR. QVINQ., quo loco eum titulus sepulchralis sit, duos separatim gestos honores quam unam quinquennalitatem cum duumviratu coniunctam malo intelligere. Amiterni apud Grut. p. 380, 6 (Orell. n. 3823) M. Caesius dicitur IIVIR. I. D. DVIR. QQ. IIII., ubi quod quater repetita quinquennalitas narratur, separatim gestum esse censeo IIviratum; similiterque interpretor inscriptionem Dalmaticam apud Maff. Mus. Ver. p. 114, 4 (Mur. 757, 1; Orell. n. 3821), ubi C. Vettidius Maximus dicitur IIVIR. IIVIR. QVINQ. Asculi in titulo sepulchrali apud Murat. p. 1039, 6 (Orell. n. 3854) P. Mamereius Maximus dicitur *IIIIvir. i. d. IIIIvir quinquennalis quaestor*; Compsae apud Grut. p. 373, 5 (Romanell. topograph. regn. Neap. Vol. II p. 356) C. Baebius Lupulus IIIIVIR. AED. IIIIVIR. I. D. Q. VIR. QVINQ.; Aquileiae apud Steinbuechel. in Annal. Vindobon. ann. 1829, 3 p. 75 n. 225 L. Vibius Ruso IIIIVIR. I. D. IIIIVIR. QVINQ.; Faleriis apud Henzen. in tab. alim. Baeb. p. 16 C. Iulius Severus IIIIVIR. AED. IIIIVIR. I. D. IIIIVIR. QVINQ.; Sulmone apud Mur. p. 839, 2 (Orell. n. 3856; Mur. 1115, 7) L. Ovidius Ventrio IIIIVIR. I. D. IIIIVIR. QVINQ.; Tiferni apud Grut. p. 344, 6 A. Acilius AED. Q. IIIIVIR. I. D. IIIIVIR. QQ.; Curubi coloniae Africae apud Maff. Mus. Ver. p. 463, 3 (Donat. p. 346, 6; Orell. n. 530) C. Helvius Honoratus AEDIL. II. VIR. II. VIR. QQ. quos omnes primum IIIIviros, tum IIIIviros quinquennales fuisse iudico.

Sic igitur saepe fit, ut, cum quis prius IIviratum, deinde IIviratum quinquennalem gessit, ii honores iuxta ponantur ac dirimantur, sed possunt tamen etiam quasi contrahi se coniungi. Praecipuum huius rei documentum est in marmore Pompeiano A. Clodii Flacci, quo supra p. 95 usi sumus, ut quinquennalitatem cum IIviratu et IIIIviratu coniunctam fuisse doceremus. Qui cum appelletur IIVIR. I. D. TER. QVINQ., tres enumerantur omnino IIviratus, ex quibus modius vocatur quinquennalis. Inde apertum fit, ubi similiter dicatur, nequaquam quinquennalem per se esse intelligendum, sed eius dignitatem duumviratuum antecedente numero its contineri, ut unus ex iis duumviratibus fuerit quinquennalis. Similia exempla inveniuntur compluria Pompeiis. Ut M. Holconius Rufus in inscriptione apud Avellin. Opuscul. div. T. II p. 195 cum appellatur D. V. I. D. IIII. QVINQ. i. e. *IIvir iuri dicundo quartum quinquennalis*, intelli-

gendum est eum quater gessisse IIviratum, et unum ex his fuisse quinquennalem. Quamquam ille quinquennalis nec quartus fuit, quem eum gereret cum ipso illo A. Clodio Flacco, cuius titulus modo citatus est, simpliciter, ut par erat, appellatur D. V. I. D. in inscriptione apud Avellin. Opuscul. Vol. II p. 194. Nec magis fuit tertius, quem gessit cum C. Egnatio Postumo tertium, in quo item simpliciter D. V. I. D. TER. vocatur apud Orell. n. 2416. Relinquitur igitur, ut primus, vel, quod magis credo, alter eius IIviratus, cuius nondum ullum inveni monumentum, cum quinquennalitate fuerit coniunctus [1]. At eundem M. Holconium, quem quintum gessit in colonia sua IIviratum, gessisse quinquennalem docet alia eius inscriptio apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 548 (Orell. n. 3825), in qua appellatur II. V. I. D. QVINQVIENS. ITER. QVINQ, in qua inscriptione notabile, quod quinquennalitatis repetitae numerus anteponitur, cuius eiusdem rei paulo infra aliud exemplum affertur. Similiter Pompeiis A. Veius appellatur IIVIR. I. D. ITER. QVINQ. in inscriptione in Dissert. Isagog. in Herc. Volum. Explan. p. 62; M. Tullius D. V. I. D. TER. QVINQ. apud Orell. n. 3437 (ibid. n. 3860); C. Cuspius Pansa DVIR. I. D. QVART. QVINQ. apud Orell. n. 3859, idem D. V. I. D. III. QVINQ. apud Orell. n. 3678. Allifis in inscriptione, quam refert G. Henzen. in Addendis ad commentationem de tab. alim. Baebiana, Sex. Minius vocatur IIVIR. II QVINQ., in alia Allifana apud Grut. p. 417, 3 (Orell. n. 3887) M. Granius Cordus IIVIR. TER. QVINQ. AED. Q.; Falerione in Piceno apud Cai. de Minicis. in Annal. Inst. archaeolog. ann. 1839 p. 54 DVOVIR. ITERVM. QVINQ.; Herculanei L. Annius apud Mur. p. 2021, 1 DVIR. ITER. QVIN., qui si est idem homo ac qui commemoratur in alia inscriptione ibidem exhibita, quoniam in ea dicitur IIVIR. QVINQ. theatri orchestram aedificasse, primum duumviratum eum quinquennalitate coniunctum gessit; Firmi apud Grut. p. 490, 3 L. Voleatius Primus *IIvir II quinq.*; Neapoli apud Grut. p. 445, 5 (Orell. n. 3886) C. Ofilius DVOVIR. ITERVM. QVINQVENNALIS; Sutrii apud Grut. p. 481, 6 T. Valerius Victor IIVIR. I. D. ITERVM. QVINQVENNALIS.; Atinae apud Donium p. 183 n. 86 Q. Herius AED. IIVIR. II. QVINQ. Q. II., unde non dubito, quin in alio fragmento Atinati apud Donium p. 200, 148 (Donat. p. 257, 5) item legendum sit IIVIRO. ITER. QVINQ.. Ac similiter in IIIIviratu fieri docet memorabilis inscriptio Ocriculana apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 576 (Orell. n. 3857), parum emendate ab ipso sculptore scripta. In qua cum legatur *C. Volusio Victori quaestori r. p. Ocricolanorum* IIIIVIRI. AEDILES. IIIIVIRI. IVRE. EDC. III QVIN. Q. CIVES. ET. PLA-

1) Quamquam non prorsus certam hanc rationem esse fateor. Nam videtur in titulis honorariis etiam fieri potuisse, ut quinquennalitatis notio omitteretur. Sic Pompeiis C. Quinctius Valgus et M. Porcius duoviri ex decreto decurionum theatrum tectum faciendum locasse dicuntur in inscriptione apud Amadut. Anecd. Litt. Vol. II p. 464 n. 11 (Guarin. Aeclan. p. 95); at iidem homines *duoviri quinquennales* spectacula curasse in alia inscriptione apud Guar. Observat. de nonnullis novis monumentis Aeclanensibus p. 21. Nec sane probabile eidem pari bis IIviratum esse delatum.

REI *hoce merito statuam huic posuerunt* cet., si non dica idoneam, sed aliquam sententiam effici velis, emendari necesse est IIVIRO. AEDILI. IIIIVIRO. IVRE. DIC. III. QVINQ. cet. Quae cum ita sint, intelligitur in his IIviris et IIIIviris quinquennalibus non valere, quod in reliquis honorum appellationibus compositis, quas dicam, fieri solet, ut repetiti honeris significatio vel post priorem partem appellationis poni vel ed finem addi liceat, quemadmodum aut IIvirum iterum iuri dicundo, aut IIvirum iuri dicundo iterum similiaque appellari supra a nobis in re simili observatum est pag. 49. Quare, si quis bis IIviratum quinquennalem gessarit, appellandus erit *IIvir quinquennalis iterum.* Itaque Ostiae apud Mur. p. 1053, 1 C. Nasennius vocatur *aedilis, quaestor, duumvir quinquennalis III*, quo loco nemo erit, qui quinquennalem a IIviro dirimens intelligere velit IIvirum et quinquennalem III. Neque aliter iudico de Q. Allio Rufo, qui Falerione in Piceno apud Caiet. Minicis. in Annal. Inst. archaeolog. ann. 1839 p. 50 nominatur *IIvir quinq. iterum.*, et de Sex. Fulfonnio Salutare, qui Venafri apud Murat. p. 816, 7 dicitur *IIvir q. ter.*, et de C. Egnatio Maro, qui apud Lupul. Itin. Venus. p. 296 (Orell. n. 2217) dicitur *IIvir quinq. iterum.* Denique tamquam singularia adnoto, quod in titulo Pompeiano apud Orell. n. 3824 C. Ceins appellatur ITER. D. V. I. D. QVINQ., et quod Hispelli apud Orell. n. 2170 et 3866 C. Matrinins *duumvir iterum q. q. i. d.*, quae nisi bonis sane auctoribus uti viderem, vix inducerem animum ut vera esse crederem.

Longus fortasse cuipiam visus sum, qui in ipsa IIvirum quinquennalium appellatione explicanda tantum operae ponendum esse putaverim; sed non iis solum scribimus, qui antiquitatem Romanam cognoscere volunt, quod si ageremus, et brevius, quod statuimus, posuissemus et paucioribus exemplis defuncti essemus, verum etiam iis, qui inscriptionibus Latinis operam dant, consulere cupimus. Quapropter faciendum utique videbatur esse, ut et ipsa exemplorum copia quam late haec pateret ratio demonstraremus, et ad intelligendas multas inscriptiones, si quid possemus, conferremus. Nunc peracta omni ea quaestione, quae ad externam quasi quinquennalitatis rationem pertinet, ad naturam ac vim eius illustrandam pergemus.

Quo quidem loco imprimis illud demonstrandum est, quod supra saepius a nobis est positum, censoriae quinquennales fuisse potestatis. Hoc docet primum ipsum nomen *quinquennalium*, quos cum appareat appellatos esse ex quinquennio, si verum est, quod nemo dubitat, omnes magistratus municipales ad urbanorum magistratuum similitudinem esse expressos, oportet assimilatos esse uni illi magistratui Romano, qui quinquennali intervallo fieret, quem censoriae potestatis fuisse constat. Itaque quinquennales et censores appellantur, cuius rei supra p. 80, cum omnium censorum municipalium monumenta colligebamus, exempla allata sunt, et censoriae potestatis fuisse dicuntur. Ei rei documento est fragmentum fastorum municipalium Ostiensium supra p. 93 citatum, in quo IIviri notantur C. P. Q. i. e. *censoriae potestatis quinquennales.* Quae interpretatio ne quis dubitet quin recta sit, item est in titulo P. Lucilii Ga-

malae Ostiensis, apud Mur. p. 135, 1 (Donium p. 60, 4; Gud. p. 70, 1; Orell. n. 3882). Cuius tituli initium secundum exemplum Pighianum codicis Pighiani Berolinensis emendatum sic legendum est: *P. Lucilio P. f. P. n. P. pron. Gamalae, (pr)ae(t). sacr. Volk.* [1]), *aedili dd. allecto (g)ratis decurioni, (p)ontifici, IIvir censoriae pot. quinquennal., (ite)m comitiis facto cura(tor)i pecuniae publicae exigendae et adtribuendae* cet. Quo loco cave quod sequitur *in comitiis facto*, referas ad *IIvirum censoriae potestatis quinquennalem*, cum pertineat potius ad curatorem pecuniae publicae, qui cum soleret creari decurionum decreto, tunc extra ordinem comitiis constitutus est. Quare videtur sane fieri potuisse, ut munus quinquennalium nominaretur censura neque hoc nomine damnare velim inscriptionem Hispalensem apud Grut. p. 380, 7 (Orell. n. 3896), in qua sic est: *L. Caesio L. f. aed. IIviro Pollioni censu et duumviratu bene et e. r. p. acto anno.* Quam inscriptionem propter alias tamen causas, si non fictam, at male descriptam esse iudico. Certa autem illa apud Mur. p. 712, 2 (Orell. n. 3897) L. Laberii Optati, qui *ornamentis censoriis honoratus* dicitur, quae si fuerunt in municipiis, necesse est fuerit etiam censura.

De tempore autem quinquennalitatis municipalis facilior est quaestio, quam censorum urbanorum, qui nondum satis planum factum est, utrum per quinquennium magistratum tenuerint, id quod Cic. de leg. III, 3 praecipit ac Zonaras VII, 19 ab initio et in exitu eius honoris factum esse ait, an per maximam certe libertatis partem annuo spatio et semestri (Liv. IV, 24, et IX, 33) circumscripti fuerint. Nunquam enim quinquennales plus quam annum potestatem suam tenuerunt, ut mirer magnopere, Oliverium, virum doctum at diligentem, cum ex manifesto exemplo de annuo quinquennalitatis spatio intelligeret eaque de re propter aliorum virorum doctorum errores longam disputationem institueret, huc modo potuisse adduci, ut *aliquando* annuam fuisse quinquennalitatem existimaret (Marmor. Pisaurens. p. 70). Nec de quinquennalibus modo sic iudico, verum etiam de eorum oppidorum censoribus, quae nondum accepta civitate Romana in imperio illa quidem Romano, sed suis tamen legibus vivebant. Docet id censorum Siculorum ratio, quam Cicero exposuit in Verr. lib. II c. 53 sqq. Qui cum per totam Siciliam ex consuetudine omnium potestatum censoriarum creari solerent quinto quoque anno, factum est, ut quintus ille annus censorius incideret in praeturam C. Verris et quidem in tertium eius annum, qui fuit a. Chr. 71. Tum Verres, ut ipse aiebat, ambitionis abolendae, ut Cicero, praedandi causa, censores non comitiis solitis creandos curavit, sed ipse delegit. Censuerant ii censores civitates tributumque imposuerant, cum successit anno 70 L. Metellus, qui sublato Verris censu veterem, qui ante illum fuerat, observari iussit. Paucis haec complectitur Cicero c. 56: *Quinto quoque anno Sicilia tota censetur. Erat censa prae-*

1) Sic iam recte emendavit Marin. Inscr. Alb. p. 58.

tore Peducaeo: quintus annus cum te praetore incidisset, censa denuo est. Postero anno L. Metellus mentionem tui census fieri vetat: censores dicit de integro sibi creari placere: interea Peducaeanum censum observari iubet. Quibus quid potest esse explicatius? Itemque quinquennales omnes annua fuisse potestate docent primum fasti municipales Campani et Praenestini et Ostienses et Nolani et Casinates, qui supra citati sunt. In quibus quoniam eodem prorsus ordine eademque ratione, qua reliqui magistratus, quos annuos fuisse constat, recensentur, non video, quomodo soli ultra eum annum, quo nominantur, potestatem proferre potuerint. Deinde manifestum est testimonium tituli Pisaurensis (apud Oliver. Marm. Pisaur. n. 28) *Abcienae Balbinae, cui anno quinquennalitatis Petinii Apri mariti eius pleps urbana Pisaurensium ob merita eorum* statuam posuit. Cuius tituli verba qui falsa opinione occupati ita detorserant, ut annum de quinquennio dictum esse statuerent, eos satis refutavit Oliverius. Accedit tituli Sorani, quem Th. Mommsen. in Bullett. Inst. archaeolog. ann. 1846 p. 42 exhibet, auctoritas, continentis decurionum decretum, quod factum est de ***IIviro quinquennali in proximum annum faciendo.*** Neque, si ipsam rei necessitatem consideres, longiore spatio opus fuisse invenias ad civitates censendas. Nam Romae quia et plura erant censorum munera et maior civium numerus, facile intelligo fieri non potuisse, ut intra anni spatium cogeretur potestas censoria, at in oppidis et Italiae et provinciarum contra rationem aequitatis videri debuit, unam hanc et maximam omnium potestatem ultra annuum spatium proferri.

Quare cum annua esset quinquennalitas, quinto quoque anno, quod ipsum nomen indicat, repetebatur, ut quattuor, qui interessent anni, censoria potestate vacarent, quintus quisque censui agendo destinaretur. Nec intra brevius spatium repetitam esse quinquennalitatem ostendit fastorum Praenestinorum fragmentum, quod supra allatum est, quo cum quinquennii omnino magistratus contineantur, ultimo eius anno ponuntur quinquennales. Nec vero cum soleret inter singulas censuras municipales quinquennale spatium intercedere, necesse erat, non magis quam Romae optimis liberae reipublicae temporibus spatia censurarum accurate observata esse scimus, quae constat saepe sex vel septem annorum vel amplius fuisse. Regebat hanc rem utilitas publica, quae si poscere videratur, ut propter mutationem aliquam reipublicae census vel properaretur vel differretur, plus ea valebat quam nimis anxia et religiosa legis interpretatio. Non possum equidem municipalium censurarum vel ampliora vel brevia spatia inscriptionum monumentis demonstrare (nam nulla ex eo genere inveniri arbitror), sed et patet res per se et in collegiis, de quibus hoc loco non dicetur, potest etiam exemplis confirmari. Ac facile intelligo, quomodo ita accidere potuerit. Velut in Sicilia cum L. Metellus anno 70 a. Chr. quem censum priore antecedente anno C. Verres haberi iusserat, cupiente provincia sustulisset novumque instituendum curasset, quis putat hunc alterum Metelli censum non quinquennium, ut par erat, sed quattuor vel tres modo annos valuisse? praesertim cum Peducaeanum censum

ipse Cicero narrat, si minimum statuas, per sex annos servatum esse. Sic igitur vel similiter fiebat, ut quinquennalitatum spatia variarentur. Quodsi quis quinquennium semper servatum esse statueret, quoniam anno 29 a. Chr., cum Augustus totius imperii censum egit civitatumque omnium status correxit, per omnia municipia ac colonias quinquennales fuisse videri supra p. 96 diximus, efficeretur, ut eodem ubique anno quinquennales fuissent, id quod nec probabile nec ulla ratione doceri potest. In provinciis, quibus magistratus Roma missi cum summo imperio praeerant, hoc fuit, ut uno anno omnes civitates censerentur (nam ita in Bithynia factum esse Traiano imperante docent Plinii epistolae lib. X, 83 et 113 et 115); at in Italia, cuius civitates liberius agebant, quin magna in eo genere varietas fuerit dubitari non debet. Verumtamen sive ipsorum quinque annorum sive brevius vel longius spatium quinquennalitatis erat, prorsus ad similitudinem Romanarum censurarum appellabatur *lustrum*. Eius rei in municipiis testis est coloniae Aeculanensis insignis inscriptio, edita a Guarinio in Specilegio Aeclanensi p. 5 (unde rettulit Orell. n. 5020), quam hic afferendam esse putavi:

TI. CLAVDIO
TI. FIL. TI. NEPOTI
COR. MAXIMO Q
IIVIR. QVINQ.
HIC. CVM. AGERET. AE
TATIS. ANN. XX. IN. COLON
AECLAN. MVNVS. EDIDIT
IMPETRATA. EDITIONE. AB. IMP.
ANTONINO. AVG. PIO. IN. QVO
HONORE. SEPVLTVS. EST
CVIVS. MATER. GEMINIA M. FIL
SABINA OB HONOREM EIVS IN
VIA DVCENTE HERDONIAS
TRIA MILIA PASSVVM EX DD IN
TRA LVSTRVM HONORIS EIVS RE
PRAESENTATA PECVNIA STRAVIT.

Hunc Ti. Claudium Maximum, adolescentem nec ignobilem in colonis sua et locupletem, apparet cum gratificari vellet municipibus suis, etsi non erat nec magistratus nec decurio, extra ordinem munus gladiatorium edidisse venia impetrata ab imperatore. Pro qua liberalitate factus quinquennalis in ipso honore defunctus est [1]. Tum mater eius Geminia Sabina, ne filius

1) Unum igitur gessit honorem quinquennalitatis. Quare necesse utique est illud quod versui tertio littera minore additum est $\overline{Q}$, quod Guarinius de quaestore intelligit, errore, ipsius, ut puto, Gua-

gratis honorem accepisse videretur, interrogatis decurionibus, quid fieri potissimum cuperent, pecuniam dedit, ex qua tria milia passuum viae Herdoneas ducentis sternerentur, sed ea lege, ut opus *intra lustrum* eius quinquennalitatis absolveretur. Quaeri potest, quam ob rem Geminia hanc legem decurionibus imposuerit. Num quia verebatur, ne extrahendo ultra lustrum opere pecunia in alios usus erogaretur? Non arbitror, sed si non potestatem, at honorem aliquem eius quinquennalis fuisse existimo, cuius esset lustrum. Similique ratione haud scio an componenda sit veterum auctorum dissensio, quorum alii censuram Romae in duodeviginti mensium spatium coactam esse, alii per quinquennium valuisse dicunt. Hoc certe video Appium Claudium censorem ann. 312 veteri legi Aemiliae, qua censoria potestas intra eos quos dixi fines coartabatur, eam ob causam non paruisse, potestatemque per iustum quinquennium retinuisse, quia sibi ad ea quae instituerat opera viae Appiae et aquae Appiae in urbem ducendae perficienda longiore spatio opus esse diceret (Liv. IX, 29 et 33 sqq., Frontin. de aquaeduct. c. 5). Quae superbia legumque contemptio etsi postea provisum est ne denuo existeret in ipsa civitatis censu agendo, qui utique undeviginti mensibus peragendus erat, concedendum tamen erat censoribus, ut, quae suscepissent maiora opera publica, etiam exacta potestate, ipsi exigerent probarentque. Ac sic res accidit in C. Verre praetore urbano. Cui cum anno 74 Senatusconsulto negotium datum esset, quibus de sartis tectis cognitum et iudicatum non esset, uti ipse cum P. Coelio praetore cognosceret et iudicaret, aedem Castoris restituendam locavit diemque operi dixit Kal. Decembres eius anni. Quo die quia non effectum erat opus, probavit et in acceptum rettulit quadriennio post, cum interim triennium in provincia consumpsisset (Cic. in Verr. lib. I, 50 sqq.). Quae si Romae fiebant (ac fieri sane necesse erat), et Aeclanensis mulieris legem intelligemus et multa similia in municipiis ac coloniis accidisse credemus.

Haec postquam de intervallis censurarum municipalium dicta sunt, faciendum deinceps est, ut de ipsa potestate censoria disputemus. Ac quoniam supra a nobis censurae Romanae tres quasi partes constitutae sunt, quarum prima versatur in tributo imperando, altera in populo rite per classes dividendo, tertia in reditibus publicis curandis, hic eandem rationem sequi placet, sed ita, ut a populi partibus constituendis, quod in municipiis videtur fuisse potissimum, incipiamus.

Populi autem in municipiis ac coloniis tres omnino sunt partes, quarum prima est de-

---

rioii, ortum sit. Nam si gessisset etiam quaesturam Ti. Claudius (et inveniuntur Aeculani quaestores, apud Grut. p. 461, 3 (Lupol. Itin. Venus. p. 105; Guarin. Aecul. p. 110) et apud Guarin. Aeculan. p. 111), certe in eo honore aedificasset aliquid idque in hoc titulo commemoraretur. Neque tunc intelligeretur, quod vs. 9 est *in quo honore*, quod ad quinquennalitatem pertinere apparet.

curionum, simillima senatorum Romonorum, altera Augustalium, quorum quasi ordo eqnestrem, ut ita dicam, locum habere coepit, quibus partibus qui uou contineutur, in plobeiis uumorantur. Qnaro primum quiuquenualium muuus erot legore senatum. Quod nisi colligi posset ex censorum Romanorum similitudine, testaretur eeloberrima inscriptio Conusina, edita a Fabrett. p. 598, 9 (Spon. Miscell. p. 280), illustrata a compluribus [1]. Cuius initium ost hoo: *L. Mario Maximo II L. Roscio Aeliano Cos. M. Antonius Priscus L. Annius Secundus IIviri quinquennales nomina decurionum in aere incidenda curaverunt.* Nihil hoc loco dicitur nisi curosse IIviros quinquonnales decurionum nomina in aere incidenda. Sed quis eorum potostatom hac una, exigua sauo ac vili, cnra, quae facile cuivis alii mondari possit, contineri crodat? Non igitur curarunt modo nomina incidonda, sod etiam confecerunt indicem illum doiudo in aere incisum, nec solnm confecernut, verum etiam constituerunt, ut non tantum, quo qnisquo ordino ac loco in sonatu esset, sed otiam utrum omnino in senatu essot necno decernerent. Num enim minorom fuisse putobimus quinquennalium, quos censorum munoro functos osso vidimns, in Italiao coterarumvo provinciarum civitatibus potestatem, quam fuit censorum in Bithyniao eivitatibus, quos inde a quo provincia a Cn. Pompoio constituta est, usque ad Traiani aetatem potestatom in senatum legendi habuisse docet Plin. Epist. X, 83? Quare omnibus utique quinquennalibus munns sonatus legendi iniunetum fuisso iudico neque quemquam in senatum potuisse veniro, nisi qui ab iis lectus essot. Sod paulo plonius haec persoquonda esso video, quod eos viros doctos, qui recentissime do eadem re scripsernnt, velnt Wolterum in historia iurisprud. Roman. (ed. sec. Vol. I p. 365), et Hegelium in historia rerumpublicarum Italiae Vol. I p. 41, aliter sontire intelligo. Quorum auctoritas etsi magna videri dobet in ea re, quam quasi pro potrimonio quodam suo iureconsulti tueri solont, faciendum tamen mihi erat, ut hoc loco a me repudiaretur. Sic enim statuunt, decuriones sub imperatoribus ab ipsis docurionibus creatos esse, vel, ut Romanorum dicendi usum sequar, eooptatos; nam cooptati dicuntur Latine, qnicnnquo ab iis quorum collegao fiunt eliguntur, quam maxime

1) Ea usus etiam est F. C. Savignius in histor. iur. Rom. med. aev. Tom. I p. 68 sqq., cum do municipiorum magistratibus et decurionibus imperatorum tempore disserebat. Cuius opiniones tacere per totum hunc locum maluimus quam refutare. Quae enim ante plus quam trigiuta annos disputavit, ea iam vulgo nota ac communia sunt, neo nunc ipse omnia tueri volet. Sed unum insignem errorem notabo, vel ut intelligatur, quam facile etiam magni et iure celebrati viri, si minus attendant, decipi possint. Etenim cum inscriptio sic apud Fabrettium, cuius exemplo solo Savignius usus est, exhibeatur, ut tres eius partes in binis paginis scribantur, quarta in binis insequentibus, ille, sive quod notam in ima pagina scriptam negligebat nec omnino invertebat, sivo quod etiam conversa pagina quod inveniobat, alius inscriptionis esse putabat, binis prioribus totum titulum comprehendi putabat, quaro factum ost, ut nec numerum omnium decurionum recte efficeret et in aliis rebus erraret.

eonsuetudinem in sacerdotum ec pontificum collegiis observatam esse constat. Afferunt autem illi, quos nominavi, ut hanc cooptandorum decurionum consuetudinem, quam ipsi nullis artioribus temporis finibus circumscriptam videntur per omnes imperatores usque ad Constantinum pertinere velle, demonstrent, duos locos. Eorum alter est in Dig. L, 2 (de decur. et fil. eorum), 6. 5, petitus ex Papiniani lib. 1 responsorum: ***Privilegiis cessantibus ceteris eorum causa potior habebitur in sententiis ferendis, qui pluribus eodem tempore suffragiis iure decurionis decorati sunt. Sed et qui plures liberos habet, in suo collegio primus sententiam rogatur, ceterosque honoris ordine praecellit.*** Quo loco si id diceretur, quod illi volunt, quoniam Papinianum ab Caracallo occisum esse notum est, colligendum certe esset, quinquennales Canusinos, quos supra citavi, qui, quod consules docent, anno 223 p. Chr. i. e. Alexandro Severo imperante nomina decurionum in aere incidenda curarunt, nihil praeter ipsam incidendi curam habuisse, vel, si plurimum concedas, scribendi, antequam inciderentur, itaque tota quinquennalium in hoc genere potestas concideret. Nam si decuriones non modo cooptantur, sed etiam ex suffragiorum quo quis cooptatur numero locus eius in curia constituitur, quid quaeso censeri praeter meram scribendi curam relinquitur? Nunc aliud longe a Papiniano dici video. Cuius verbis si ea, quam illi putant, sententia subiiciatur, primum querar, ICtum, quod minime docet, parum accurate dixisse. Cur enim ait ***qui iure decurionis decorati sunt***, cum deberet ***qui decurionatu ornati sunt?*** Est enim sane, quod intersit inter eum, qui iure modo decurionis utatur et inter eum qui vere sit decurio. Illud ius decurionis suffragiis decurionum tribui ait Papinianus, ipsum decurionatum tribui non ait. Deinde qui priorem sententiae partem ad decuriones a decurionibus cooptatos refert, necesse est eodem referat alteram, in qua est eum, qui plures liberos habeat, in suo collegio primum interrogari sententiam, praesertim cum haec prioribus particula ***et*** sive ***etiam*** adiungantur. Itaque apud Gothofredum collegium video intelligi decurionum. Nec dubito quin id possit dici collegium, sed rem ipsam non intellige. Quid? qui plurimos liberos habeat, ei hoc datum esse putabimus, ut reliquis omnibus decurionibus in sententia dicenda antecederet? qua re fieri poterat, ut, qui nullos honores gessisset aut nunquam gesturus esset, ante eos diceret, qui summis honoribus functi essent. Sic igitur statui nequit. Denique si cooptarentur decuriones, vix video potuisse fieri, ut ullum de principatu inter decuriones oreretur certamen; siquidem non plures uno tempore, sed singuli fere videntur debuisse cooptari. Alia bis haud difficile possum addere, quibus id quod illi volunt a Papiniano non dici ostendam. Sed ut veram eius sententiam reperiam, egrediar ab ***iure decurionis***, quo decurionum suffragiis quosdam decorari ait, quod est illud quidem multiplex, ut veste ornatiore uti liceat, ut spectare proprio loco, ut interesse epulis publicis, sed hoc loco, quoniam de sententiis ferendis agitur, dici debet id, ut sententiam in senatu dicere liceat. Statuo igitur et Papinianum ita statuere debent iudicare

ii, qui cum accurate dixisse velunt, duo hominum genera fuisse in municipiorum curiis, unum eorum, qui proprie essent decuriones, alterum eorum, quibus sententiam in curia dicere liceret. Ex quibus si alterum hoc genus invenerimus, quos decurionum suffragiis fieri dicat Papinianus apertum erit. Atque hoc loco, quoniam decurionum, ut ipsa rei natura fert, exigua admodum apud auctores invenitur memoria, rursus spectanda erit senatus Romani similitudo, in quo extremis libertatis temporibus eos video ius sententiae in senatu dicendae habuisse, qui honoribus functi nondum a censoribus in senatum lecti essent. Vide, ut unum et praestantissimum de ea re scriptorem citem, Frid. Hofmanni librum germanice scriptum: Der Römische Senat zur Zeit der Republik, Berlin 1847 p. 35 sqq. Nec temere hoc, quod in senatu Romano valebat, a me ad municipiorum curias transferri ostendit tabula Heracleensis, in qua saepius decuriones ab iis, quibus in senatu sententiam dicere licet, discernuntur. Itaque Papinianum sic intelligemus, si inter eos, quibus sententiam inter decuriones ferre licet, certamen oriatur, primum tempus, quo quisque honore gesto ius sententiae dicendae acceperit, spectandum esse, deinde, ex iis, qui eodem tempore et honorem et ius sententiae acceperint, praecedere eum, qui honorem pluribus decurionum suffragiis adeptus sit. Nam magistratuum comitia in curiis municipalibus habita esse et constat apud omnes et a nobis ipsis in superiore disputatione, qua fragmentum fastorum municipalium Campanorum illustravimus, quando primum fieri coeptum sit, expositum est. Similiterque intelligendum, quod deinde habet Papinianus, eum, qui plures liberos habeat, praecedere in collegio suo i. e. inter eos, quorum collega fuerit, quibuscum honore aliquo gesto ius sententiae in senatu dicendae adeptus sit. Vero autem si rem considerare velis, Papinianum de iis, qui non sint decuriones, dicere necesse esse inde manifestum est, quod inter decuriones ipsos nulla potest de loco et sententiae dicendae ordine contentio existere. Nam decurionum nomina in albo decurionum, quod dicitur, scripta erant, eundemque ordinem in sententiis dicendis spectandum esse, qui sit in albo, praecipit Ulpianus Dig. L, 3 (de albo scribendo) l. 1 §. 1.

Alter locus, propter quem decuriones coeptati esse putantur, a Waltero l. l. citatur Frontonis Epist. ad amicos lib. II, 11. Ibi Fronto Volumnii alicuius Sereni, ex colonia Italica Concordia, causam exponit, qui cum quinque et quadraginta annos pro decurione se gessisset, subito propter decurionis dignitatem male usurpatam accusatus est. De quo sic dicit: *Estne lege Concordiensium cautum, ne quis scribam faxit, nisi eum, quem decurionem quoque recte facere possit? Fueruntne omnes et sunt ad hoc locorum, quibus unquam scriptus publicus Concordiae latus est, decuriones? Factusne est Volumnius decreto ordinis scriba et decurio?* Exponit deinde, quibus decurionis muneribus Volumnius functus sit. Cuius causam qui recte consideraverit, nihil a Frontone de coeptatione decurionum dici intelligat. Nam si illis verbis: *Factusne est Volumnius decreto ordinis scriba et decurio*, haec subiecta

15 *

esset sententia, factum vere esse de Velumnio in senatum cooptando decurionum decretum, quid quaerebatur amplius? quid in dubitationem vocabatur? Qui, si et legitima erat cooptatio et decreto decurionum cooptatus erat, eos, qui decurionem esse negarent, ipso decreto citando facile vincebat. Nunc hanc causam esse perspicio. Lex coloniae erat, ne quis scriba publicus a decurionibus eligeretur, nisi qui posset idem fieri decurio *i. e.* qui et censum decurionis haberet et eo vitae atque originis genere esset, quo esse deberent decuriones, unde factum erat, ut, qui scribae eligerentur Concordiae, iidem decurionatu ornarentur coniunctaeque prorsus eae dignitates esse viderentur. Itaque iudicarat Volumnius, qui cum scriba factus esset, quasi iam etiam esset decurio, muneribus decurionum functus erat, sed id facere neglexerat, quo rite decurionis dignitatem adipiscebatur, ut a quinquennalibus in senatum legeretur. Idque ei inimici, cum decurionem esse negabant, exprobrabant. Quare hic locus tantum abest, ut ostendat decuriones factos esse decurionum decretis, ut adeo contra eam opinionem esse videatur.

Longe rectius illi, qui de cooptatione decurionum cogitant, ut eam in nonnullis civitatibus valuisse docerent, uti iis poterant, quae Cicero in Verr. lib. II c. 49 sqq. de civitatibus Siciliae narrat, quarum leges plurimis in rebus Romanis assimilatas esse constat. Nam in illis decuriones decurionum suffragiis cooptatos esse tradit. Sed primum non omnia, quae valuerunt in Graecis Siciliae civitatibus, temere debent ad municipia ac colonias transferri, deinde Cicero ipse illum cooptandi morem a Romano diversum esse videtur significare, cum ait c. 49 — *cognoscere potuistis, tota Sicilia per triennium neminem ulla in civitate senatorem factum esse gratis, neminem,* ***ut leges eorum sunt,*** *suffragiis, neminem nisi istius imperio aut litteris atque in his omnibus senatoribus non modo suffragia nulla fuisse cet.* Cur enim adiiceret Cicero ita eorum leges esse, nisi diversas eas esse ab iis, quae in municipiis valerent, significare vellet?

Haec quae exposita sunt, ut nihil de ratione decurionum faciendorum docent, vel, si quid docent, non cooptatos esse ostendunt, ita non pauca sunt, quibus legendorum ac supplendorum decurionum ratio demonstretur. Ac primo loco debet poni senatus Romani similitudo, quem inde a vetustissimis temporibus nunquam constat cooptatione, sed a censoribus esse suppletum. Deinde dicendi rationem affero. Nam in sacerdotum et pontificum collegiis, in quibus proprie valet cooptatio, fere cooptandi verbum usurpari videmus (vide Marin. Act. fratr. Arv. p. 14 et 19), at idem cum nunquam de decurionibus dicatur, non cooptatos esse apparet, praesertim cum in Siciliae civitatibus, quarum decuriones cooptabantur, eo uno maxime verbo sibi utendum esse putaverit Cicero. Denique apertum est tabulae Heracleensis testimonium, in qua vs. 9 sic legitur: *Quicunque in municipiis, coloniis, praefecturis, foris, conciliabulis civium Romanorum IIvir IIIIvir erunt aliove quo nomine magistratum pote-*

statemve suffragio eorum, qui cuiusque municipii, coloniae, praefecturae, fori, conciliabuli erunt, habebunt, ne quis eorum in eo municipio, colonia, praefectura, foro, conciliabulo senatum decuriones conscriptosve legito neve sublegito neve cooptoto neve recitandos curato nisi in demortui damnative locum eiusque, qui confessus erit se senatorem, decurionem conscriptumve ibi hoc lege esse non licere. Hoc capite legis Iuliae, quam ad mores totius imperii Romani emendandos latam esse supra demonstratum est, cum caveatur, ne, quod per bellorum civilium tempora factum erat, curiae municipiorum aut nimia multitudine decurionum amplificentur aut turpitudine debenestentur, primum praecipitur, ne quis fiat decurio praeter certum ac lege municipii constitutum numerum. Cui igitur praecipitur, ut id caveat? Si a decurionibus fierent decuriones ad similem rationem, qua magistratus creabantur, oportebat eadem ratione dici, qua deinde in tabula Heracleensi inde a vs. 15 praecipitur, ne quis, quem non liceat esse magistratum, magistratum petat aut capiat aut gerat, eique, qui adversus ea fecerit, poena constituitur. Nunc magistratus vetantur quemquam in senatum legere, quem non liceat esse decurionem, ut a magistratibus prorsus appareat creatos esse decuriones. Deinde ipsa decurionum electio quattuor verbis definitur, siquidem est *legito neve sublegito neve cooptato neve recitandos curato*, quae interpretibus haud paulum difficultatis exhibuerunt. In quibus qui certam aliquam gradationem invenire volet, et frustra laborabit et ipsam dicendi rationem, quae in universa lege est, negliget. In qua etsi quod vs. 16 est *magistratum petito neve capito neve gerito*, ita dictum est, ut gradatio appareat, tamen vs. 22 legitur *senator neve decurio neve conscriptus esto neve sententiam dicito*, in quibus senatoris et decurionis et conscripti nemine eosdem significari homines certissimum est eosque modo re diversos esse, qui sententiam dicant inter decuriones nec sint tamen decuriones. Similiter igitur quattuor illa verba *legendi, sublegendi, cooptandi, recitandi* ita explicabimus, ut nec gradationem nec quattuor diversa genera reperienda esse putemus. Nam certe qui sublegitur decurio, idem legitur non minus quam, qui sufficitur consul, recta dicitur fieri, siquidem sublegere proprie est in locum demortuorum legere. Vide Drak. ad Liv. XXIII, 23. Quare si unam in novis decurionibus faciendis fraudem lex Iulia tollere vellet, satis erat praecipere, ne quis decurio legeretur neve sublegeretur nisi in locum demortui senatuve moti; nam de his proprie dicitur et legere et sublegere. Sed etiam hoc impedire volebat, ne magistratus, qui non essent decuriones, gesto magistratu, nisi locus vacaret, in numerum decurionum asciscerent i. e. ne quis cooptaretur. Nam quoniam decuriones municipales, sicut senatores Romani, nihil decernere poterant nisi referente aliquo magistratu (nam hoc ita fuisse et ipsa rei similitudo docet et coloniae Pisanae decretum in honorem C. Caesaris factum et decretum municipii Augusti Veientis apud Orell. n. 4046), prorsus sufficiebat magistratus municipales impedire, ne quem cooptarent i. e. ne quem magistratum reciperent, ad eandem prorsus ratio-

nem, qua in eadem tabula Heracleensi vs. 26 qui magistratus habent comitia rogandis magistratibus, eum, qui contra legem magistratus factus sit, renunciare vetantur. Atque haec duo, lectionem et cooptationem veterum quasi decurionum lex complecti vellet, eos, qui cum maximam in municipiis potestatem haberent, quibus quinquennalitas sive censorium munus iniungebatur, non ipsos decuriones nominavit. Quod denique quarto loco est *neve recitandos curato*, rursus proprium est censorum, qui ordinem constituunt.

Hoc quod expositum est capite legis Heracleensis cum constet lectionem decurionum municipalium et fuisse et haberi esse solitam a magistratibus, quid erit quod dubitemus, quin a quinquennalibus sit habita? siquidem et censorium eorum fuisse munus intelleximus et ex vetere more Romano censoribus cura legendi senatus iniuncta erat. Nec si habuerunt hanc decurionum legendorum potestatem Augusti tempore quinquennales, video, quid invalescente imperatorum imperio aut potuerit aut debuerit mutari. Nam in Bithynia quidem quam legem senatus legendi olim dederat Cn. Pompeius Magnus, eadem Traiani tempore servata est. Ac cum Canusii imperatore Caracallo decurionum album item a quinquennalibus confici consuevisse constet, sic statuendum esse intelligimus, per tria imperatorum Romanorum saecula, dum ingravescente calamitate publica universi imperii forma a Constantino mutari coepta est, quinquennalium praecipuum fuisse munus decurionum legendorum.

At magna fortasse alicui haec videatur fuisse potestas, eaque, quae illis temporibus non amplius potuerit uni vel duobus hominibus decurionum suffragio factis committi. Quam opinionem ut minuamus, quid licuerit quinquennalibus, quid non licuerit, plenius paulo exponemus, unde eam potestatem honorificam magis quam gravem fuisse intelligemus.

Ratio autem universa legendi senatus haec eadem, quae Romani senatus, erat, ut quinquennales cognitis singulorum causis indicem decurionum conficerent eo ordine scriptum, quo cuiusque locum et dignitatis et sententiae dicendae constituendum esse arbitrarentur. Is index in senatu recitabatur, quo si quem *praeterierant*, is ordine motus erat, deinde in aes incisus publice proponebatur. Quarum rerum documenta in iis, quae supra exposuimus, allata sunt, solamque praetereundi consuetudinem de coniectura a Romano senatu ad curias municipales translulimus, sed iure, ut opinamur, nostro; nam in tanta urbis aeternae municipiorumque similitudine vix alia poterit cogitari ratio, qua quinquennales eos, quos non liceret esse in senatu, eiecerint ac constat eiecisse ipsique, quibus id de causis factum esse videatur, infra explicabimus. Item illud, quod alioquin in tanta et auctorum paucitate et monumentorum taciturnitate certorum hominum exemplis demonstrari non potest, pro certo tamen pono, cum bini semper essent quinquennales, neminem neque legi neque praeteriri potuisse decurionem nisi de utriusque quinquennalis sententia, qua in re, postquam magistratu functis sententiam in senatu dicere licuit, magnam eiiciendi ex senatu difficultatem censoriaeque potestatis deminutionem po-

sitam fuisse acute demonstravit in eo, quem supra laudavimus, libello p. 72 Frid. Hofmannus. Sed hoc similiaque quaedam, ad omnium magistratuum potestatem pertinentia non persequemur. Index autem ille, quem diximus, appellabatur *album* decurionum, cuius conficiendi rationem si exponemus, satis ipsa quinquennalium potestas illustrabitur. De hoc igitur albo sic praecipit Ulpianus lib. III de officio proconsulis in Dig. L, 3: ***Decuriones in albo ita scriptos esse oportet, ut lege municipali praecipitur, sed, si lex cessat, tunc dignitates erunt spectandae, ut scribantur eo ordine, quo quisque eorum maximo honore in municipio functus est: puta qui duumviratum gesserunt, si hic honor praecellat, et inter duumvirales antiquissimus quisque prior is: deinde hi, qui secundo post duumviratum honore in republica functi sunt: post eos, qui tertio et deinceps: mox hi, qui nullo honore functi sunt, prout quisque eorum in ordinem venit. In sententiis quoque dicendis idem ordo spectandus est, quem in albo scribendo diximus.*** Atque idem Ulpianus lib. II Opinionum Dig. l. l.: ***In albo decurionum in municipio nomina ante scribi oportet eorum, qui dignitates principis iudicio consecuti sunt, postea eorum, qui tantum municipalibus honoribus functi sunt.*** Quae Ulpiani verba consideranti occurrit, quam vere idem ille, quem modo laudavi, Hofmannus l. l. p. 104 exposuerit magistratus, dum fungantur munere, iure sententiae ferendae discessionisque faciendae caruisse nec, quamvis in senatu essent, pro senatoribus esse habitos. Quod si Romano in senatu valuit, eum item in curiis municipiorum valuisse oporteat, vide, quam nusquam Ulpianus de iis dicat, qui fungantur munere, sed semper de iis, qui functi sint, ut illos, quorum nomina in album decurionum prorsus non reciperentur, ne fuisse quidem decuriones manifestum sit. Cf. supra p. 117. Ab his igitur magistratibus prorsus discedendum est. Reliquos autem, qui in senatu sint, Ulpianus omnino secundum legem municipalem in albo perscribendos esse ait i. e. non secundum aliquam legem a municipibus ipsis de sua republica latam, sed secundum illam, quae ab eo, cui a senatu populoque Romano permissum erat, constituta erat, quod genus commemoratur in tabula Heracleensi vs. 85. Ea lex municipalis alia erat in aliis civitatibus, ut modo intellectum est ex Frontonis loco in colonia Concordia neminem licuisse esse scribam publicum, quem non eundem liceret esse decurionem, ut alii in aliis civitatibus erant magistratus, vel, si non alii, tamen aliter appellati, ut multae civitates ex duabus vel pluribus partibus constabant, quarum aequalitas in decurionibus servanda erat, sed in plurimis tamen et maximis rebus eadem apud omnes; cuius rei cum alia non pauca, tum illa tabola Heracleensis documento est, in qua extremá singularum civitatum leges ita iubentur mutari, ut cum universa Iulia lege consentiant. Omnium igitur legum municipalium, si ab iis, quae ad lectionem senatus non pertineant, discesseris, haec fere reperio fuisse communia. Primum de aetate decurionum praescriptum erat. Qua de re cum in plurimis civitatibus iam a veteribus temporibus lege provisum esset, ut ann. 95 a. Chr. ex S. C. Halesinis in Sicilia a Claudio lex data

est, ne quis minor triginta annis natu in senatum cooptaretur (Cic. in Verr. lib. II c. 49), ut a Cn. Pompeio in Bithyniae civitatibus eadem triginta annorum aetas praescripta erat (Plin. Epist. X, 83), in omnibus civium Romanorum municipiis aequaliter constitutum est lege Iulia, quae in tabula Heracleensi servata est, ubi vs. 15, sic legitur: *Qui minor annos XXX natus est erit ne quis eorum post K. Ianuar. secundas in municipio colonia praefectura IIvir. IIIIvir. neve quem alium magistratum petito neve capito neve gerito nisi qui eorum stipendia equo in legione III aut pedestria in legione VI. fecerit, quae stipendia in castris inve provincia maiorem partem sui cuiusque anni fecerit aut bina semestria, quae ei pro singulis annis procedere oporteat aut ei vacatio rei militaris legibus plebeivescito exve foedere erit, quocirca eum invitum merere non oporteat.* Minores igitur triginta annis natu prohibentur magistratus gerere eam ob causam, quod quae antecedit aetas militiae obnoxia est, quam qui ante trigesimum aetatis annum absolvit, ei licet prius honores petere. Nam haec stipendiorum merendorum ratio si abesset, Augustum etiam minores ad honores admittendos esse iudicasse hoc ostendit, quod, cum in Bithynia lege Pompeia trigesimus item aetatis annus praescriberetur, ipso edicto ab annis duobus et viginti honores capere permisit (Plin. X, 83), unde sic eum voluisse intelligimus, ut, qui locupletiores essent, ei honoribus gerendis beneficia in civitatem suam conferre vellent, etiam ante legitimam aetatem inter decuriones asciscerentur. Sed mirum tamen, in tabula Heracleensi nullum decurionatus annum definiri, nec id potest aut casu aliquo accidisse aut magistratus nomine etiam decurionatus comprehendi, quia continuo, ubi, quos quaestus victusque genera habere non debeant, qui honores gerere velint, nominatim scribitur, eundem non licere esse senatorem nec decurionem nec conscriptum nec sententiam in senatu dicere (vs. 22. Cf. vs. 24 sqq.). Quare lege Iulia, quam ann. 30 Augustus executus est, nullus decurionatus annus erat praescriptus. At non multo post Augustus ipse, cum multa salubriter de senatu Romano praeciperet, Romae senatoriam aetatem esse iussit annum vicesimum quintum. Sic certe Maecenatem Augusto suadentem facit Dio Cass. LII, 30, eumque ita statuisse ostendit, quod saepius deinde senatoria aetas commemoratur, ut apud Tac. Annal. XV, 28; Hist. IV, 42. Cf. Lips. excurs. D ad Tac. Annal. lib. III, 29. Eademque aetas deinde translata ad decuriones municipales valuit ad extremum, ita quidem ut omni anni trigesimi mentione abolita eadem aetas et ad decurionatum et ad honores adipiscendos suffecisse videatur. Nam in Dig. L, 4 (de muneribus) l. 8 Ulpianus sic scribit: *Ad rempublicam administrandam ante vicesimum quintum annum vel ad munera, quae non patrimonii sunt, vel honores admitti minores non oportet: denique nec decuriones creantur vel creati suffragium in curia ferunt. Annus autem vicesimus quintus coeptus pro pleno habetur, hoc enim in honoribus favoris causa constitutum est, ut pro plenis inchoatos accipiamus.* Cf. ibid. l. 14 et Dig. L, 2 (de decurionibus) l. 6 §. 1 et

I. 11. Atque haec ita lex prorsus servata est; nam qui haud raro commemorantur minores annis triginta nati decuriones, ii aliud et peculiare genus constituunt, de quo postea disputabimus. Deinde quinquennalibus in legendis decurionibus spectandus erat census, de quo cum iam vetustis temporibus in multis oppidis civitate Romana carentibus (nam de municipio ullo aut colonia non magis traditur quam de senatu urbis Romae) cautum esset, ut in Sicilia (Cic. in Verr. lib. II c. 49), nec tamen in tabula Heracleensi quicquam legetur, ubi Augustus Romanorum senatorum censum primo minorem, tum ampliorem constituit (Suet. Oct. c. 41; Dio Cass. LIV, 17 et 26; LV, 13), non dubitandum est, quin etiam in municipiis praescriptum sit, sed necesse est varie pro cuiusque civitatis amplitudine atque opulentia, nec, si Plin. Epist. I, 19 in patria sua Comi censum senatorium fuisse scribit centum milium Hs., eundem in omnibus civitatibus fuisse putabimus. Sed eam ipsam ob rem, quia alius erat in alia civitate, nec communi lege finiri poterat nec usquam commemoratur. Hic autem census ut iis videtur fuisse necessarius, qui legi vellent in senatum, ita casu aliquo amissus non efficiebat, ut decurionatus honor amitteretur. Commemoro propter Walter. in histor. iurisprud. Rom. Vol. 1 p. 341, qui motos esse senatu Romano putat eos, qui eum, quem antea habuissent, censum senatorium amitterent, male ille quidem interpretans Cic. Epist. XIII, 5, ex quo loco rectius Hofmannus in libro saepius laudato p. 172 neminem propter rei familiaris inopiam senatu motum esse collegit, et Tac. Annal. II, 48, ubi quidam propter opes flagitiose dissipatas, et Tac. Annal. XII, 52, ubi propter impudentiam narrantur esse ab imperatore eiecti. Dio autem Cassius LX, 11, cum Claudium nonnullis narret, qui ob rei familiaris angustias senatoriam dignitatem tueri non possent, remisisse, ut excusarentur, aperte eiici non potuisse significat. Atque illustre prorsus in hoc genere est M. Hortensii Hortali exemplum, accurate a Tacito expositum Annal. II, 37. Similiterque in municipiis perpetuum esse decurionis et honorem et nomen nec aptum ex censu demonstrat Divorum fratrum rescriptum in Dig. L, 4 (de muneribus) l. 1. Cf. tit. de decur. l. 8. Verum hac re, quae minus ad propositum nostrum pertinet, praetermissa redeo ad cautiones quinquennalibus adhibendas. Ex quibus tertia erat haec, ne turpem quaestum vitae exerceret, qui decurio legi vellet. Nam Romae cum vetus lex fuisset Claudia, ne quis senator quive senatoris pater fuisset, quaestum ullum faceret (Liv. XXI, 63), postea certe de patre et haud scio an etiam de ipso, antequam senator factus est, remissum est (Cic. in Verr. V, 18), dummodo ne, dum aliquem quaestum facit, senator fierat: in municipiis quod Cicero in Verr. lib. II, 49 apud Halesinos in Sicilia aliquando lege cautum esse scribit, qui praeconium vel similem turpem quaestum fecisset, ne is unquam in decuriones adlegeretur, id ita mitigatum est in tabula Heracleensi, qui praeconium, designationem libitinamve faciat, dum quid eorum faciat, ne adlegatur. Nec censeo hoc postea amplius lenitum; siquidem Callistratum in Dig. L, 2 (de decurionibus) l. 12 praecipere video, ne cibariorum negotiatores, nisi in

magna hominum idoneorum paucitate, ad honores admittantur; inhonestum enim esse personas, flagellorum ictibus subiectas, in ordinem recipi. Denique, etsi nihil eiusmodi in tabula Heracleensi commemoratur, commune prorsus omnium erat municipiorum, ut libertini ex decurionibus excluderentur, ipsumque illius legis silentium videtur demonstrare, veteribus ita legibus fuisse constitutum; nec Cicero in Verr. lib. II, 49, cum in Siculorum civitatum senatibus constituendis a Verre et aetatem et censum et vitae genus et cetera, quae in decurione esse oporteret, neglecta esse scribit, quicquam de libertinis admissis narrat. Atque in Romanum quidem senatum antiquitus non recipiebantur nisi ingenuorum hominum filii, idque ab optimo quoque censore servabatur; quare cum per bellorum civilium discordias libertinorum filii irrepserant, ut respublica convaluit, expulsi sunt et ab Sulla et ab Augusto, senatum a dictatore Caesare et a IIIviris magna pessimorum hominum multitudine refertum purgante. At in municipiis ingenui omnes, etiam qui libertinis hominibus nati essent, admittebantur, libertini vero ipsi arcebantur idque severius sancitum lege Visellia, quae ann. 24 p. Chr. lata esse putatur (Iust. Cod. IX, 21 (ad legem Visell.) l. unic.). Itaque in inscriptionibus nunquam invenitur libertini generis homo, qui honores municipales gessisse dicatur aut in decurionibus fuisse, vel, sicubi inveniri videatur, haud dubium id indicium est, aut corruptum aut ementitum esse titulum. Ut inscriptionem coloniae Hispanicae Astigitanae apud Mur. p. 1102, 3 (p. 1020, 6), ex schedis Farnesiis petitam, prorsus iudico ementitam esse confictamque ex iis, quae sunt apud Grut. p. 1, 5 et p. 101, 8, cum alias ob causas, tum maxime propterea, quod homini libertino honores municipales tribuuntur. Nec magis dubito, quin et in titulo Noviodunensi apud Orell. n. 258, ubi idem videatur fieri, probanda sit Hagenbuchii coniectura, libertinum duabus litteris mutandis tollentis, et in Taurinensi apud Maff. Mus. Ver. p. 214, 3 errore vel eius, qui lapidem descripsit, vel typothetae legatur P. LIVIVS. P. L. MACER. IIVIR. Q(VINQ) pro P. F., cuius hominis avum, qui ibidem appelletur VIvir Augustalis, etsi concedo fuisse libertini generis, iam patrem video fuisse ingenuum. At filii libertinorum admittuntur et ad honores et ad decurionatum, ut Polae Menophili Augustorum liberti ac procuratoris filius M. Aurelius Menophilus fit aedilis apud Grut. p. 263, 7, ut Beneventi apud de Vitam Inscr. Benev. p. 12, 8 L. Lollius L. f. Suavis appellatur *aedilis*, at pater eius L. Lollius Orio *Augustalis Claudialis*, qui quin libertinus fuerit, non potest esse dubium. Ut autem in hac re decurionum municipalium dignitas inferior habebatur senatoribus Romanis, ita illud quoque observandum, cum lege Papia Poppaea ii modo, qui senatorii ordinis essent, vetarentur uxores libertinas ducere, licuisse id decurionibus municipiorum, unde, ut unum exemplum afferam, rectissime se habet, quod apud Grut. p. 345, 2 Augustae Taurinorum decurio appellatur coniux libertinae.

Atque haec quidem, quae exposita sunt, ceteraque, quae cuiusque civitatis erant propria, observantes oportebat quinquennales decurionum lectionem instituere; sin negligebant,

minime tanta eorum erat potestas, ut, quos legissent, ii rite decuriones facti esse viderentur. Nam in Dig. L, 2 (de decurionibus) 10 est: *Herennius Modestinus respondit, sola albi perscriptione minime decurionem factum, qui secundum legem decurio creatus non sit.* Quo quidem maxime in re quod inter veteres liberae reipublicae censores et inter hos quinquennales intercedit, positum est. Illis licebat, prout reipublicae utile esse iudicabant, vel legere in senatum vel eiicere, ipsaque eorum potestas ita erat instituta, ut essent, qui et, quae legibus puniri nequirent, corrigerent et quae contra leges, sed eadem e republica essent, laudarent: hi legibus obstricti nec ulla libere iudicandi facultate relicta, quae praescripta erant, exequebantur. Nam etiam in eiiciendis decurionibus non amplius mores hominum vitaeque consuetudinem sequebantur, de quibus qui iudicare vult, eum nullis legibus teneri oportet, sed leges, in quibus cum singillatim perscriptum esset, quos liceret esse decuriones, si qui contra eas irrepserant, ii movendi erant curia. Id cum ex universa illorum temporum natura intelligatur, tum in hoc genere demonstratur epistola Plinii libr. X, 115, qui interrogatus a censoribus civitatum Bithyniae, num quidam decuriones, utpote contra leges facti, eiiciendi essent, ipse, ne quid contra leges peccaret, imperatorem Traianum consulendum esse putavit. Sic circumscriptis quinquennalibus vetus illa censoria severitas ac disciplina fieri non poterat quin periret.

Sed ut decurionum legendorum ratio etiam accuratius cognoscatur, genera ipsa eorum, quae illo tempore cum legendus erat senatus quinquennales inveniebant, exponam, eaque in re album illud Canusinum, quod supra citatum est, sequar. Tria igitur omnino patet fuisse genera, unum eorum, qui superiore lustro lecti certum locum in curia obtinebant neque eiici poterant nisi certis iustisque de causis, alterum eorum, qui, quia interim honores gesserant, ius sententiae in senatu dicendae certamque adlectionis spem habebant, tertium denique eorum, qui vere adlegi poterant. In duobus illis generibus exigua erat quinquennalium potestas et angustis finibus descripta, in hoc lege liberior, sed ipsa rei natura et quia delectus hominum non magnus erat, coartata, quemadmodum infra dicemus. Nam hoc, in quo plurimum poterant quinquennales, hominum genus totum ex iis fuisse compositum, qui nondum ullos honores gessissent, res ipsa declarat. Iam in albo Canusino primo loco leguntur *patroni clarissimi viri*, qui, si eum, cuius nomen erasum est, comprehendas, numero sunt triginta unus, et *patroni equites Romani*, numero octo, prorsus ad praeceptum illud Ulpiani, quod supra allatum est, qui eos, qui principis iudicio dignitates adepti sint, ante eos collocari iubet in albo, qui municipales solum honores gesserint. Nam clarissimi viri vocantur, qui senatores Romani sunt Romaeque honores gesserunt, equites Romani aut procuratores praefectique Caesarum aut homines locupletes, qui beneficiis civitatem affecerant. In quibus memorabile est quod qui duo extremo loco inter clarissimos viros ponuntur, M. Statius Longinus et M. Valerius Turbo, filii sunt, ille M. Statii Lon-

gini, hic L. Valerii Turbonis, qui item inter patronos clarissimos viros, sed priore loco, commemorantur. Nam patronos constat ex plurimis inscriptionibus et ex veterum temporum consuetudine, non singulos homines esse factos, sed totas gentes, in quibus hereditate quadam patrocinium civitatum a patribus ad filios traderetur. Itaque ex his patronis multos eiusdem nominis esse video, qui pro fratribus habendi sunt. Quo autem ordine in his perscribendis quinquennales usi sint, etsi incertum videri potest, tamen non tam tempus, quo quisque patronus a decurionibus creatus est, quam qua quisque fuerit inter ipsos patronos dignitate et reipublicae honoribus insignis, spectatum esse iudico. Siquidem et iuvenes illos duos, qui ultimi nominantur, minima dignitate fuisse probabile est, et qui princeps patronorum collocatur, eum summa dignitate fuisse video. Vix enim dubium, quin recte Borghes. in Diorn. Arcad. ann. 1824, 2 p. 80 statuerit esse eundem, qui inveniatur apud Grut. p. 32, 6 et 313, 6, cos. II ann. 224, virum et ab illustribus maioribus oriundum, si recte putatur descendere ab ille Claudio Iuliano, qui est apud Tac. Hist. III, 57, ac filius esse Claudii Iuliani Naucellii, cui scribit Fronto Epist. ad amicos I, 3, et clarissimi viri, cos. suffecti ann. 237 (Capitol. vit. Balb. c. 17) pater. Municipales vero honores ex his omnibus patronis duos mode intelligimus administrasse equites Romanos T. Aelios Rufum et Flavianum, quos priore lustro quinquennalitatem gessisse ex eo certum est, quod paulo post eorum nomina inter quinquennalicios repetuntur, et quidem proximo loco ante hos, qui hoc lustrum condiderunt et hoc album perscripserunt, quinquennales.

Nimirum post patronos recensentur, qui iam vere decuriones nominari possunt, quorum sunt duo genera, unum eorum, qui honores in colonia gesserant, alterum eorum, qui nullis honoribus functi decuriones modo erant. Atque illorum quidem honoribus municipalibus functorum antequam eas classes, quae in albo constituuntur, perlustremus, duas res observabimus. Prima est haec, quam iam supra attigimus, cum in Papiniani loco explicando de iis, qui ius sententiae in senatu dicendae haberent, disputabamus. Quid enim esse censemus, quod in hoc decurionum albo nusquam magistratus ipsi commemorantur, sed modo, qui magistratibus functi sunt? Cum enim non essent decuriones, nisi qui in albo scripti essent, album autem per singula quinquennia scriberetur, ubi sunt qui interiecto quadriennio honores gesserunt? Quibus ius sententiae in decurionibus dicendae fuisse p. 118 demonstravi, decuriones non fuisse video, nisi iam ante honores susceptos in curiis fuissent. Nam quinti anni, quo censura habita est, magistratus quinquennales, quoniam exitu potestatis album recitarunt proposueruntque, statim in senatum adlegebant ac suo quemque loco scribebant. Documento est, quod qui album Canusinum perscripserunt, M. Antonius Priscus L. Annius Secundus IIviri quinquennales, sua ipsorum nomina in classe quinquennaliciorum ultimis duobus locis posuerunt, unde intelligendum est, etiam inter quaestoricios et aedilicios inveniri, qui ipso illo anno 223 quaesturam et aedilitatem gesserant. Neque eum morem municipiorum proprium fuisse iudico, sed vete-

ribus temporibus in ipso Romano senatu usurpatum. Unum, sed apertum exemplum afferam censorum ann. 174 a. Chr., Q. Fulvii Flacci et A. Postumii Albini, a quibus Liv. XLI, 27 senatu motum esse scribit L. Cornelium Scipionem *praetorem*, *cuius tum inter cives et peregrinos iurisdictio esset*. Alterum est, ut dicamus de iis qui *adlecti* appellantur. Eos Paul. Diac. in excerpt. Festi p. 7 ed. Müll. dictos esse ait *apud Romanos, qui propter inopiam ex equestri ordine in senatorum sunt numero adsumpti. Nam patres dicuntur, qui sunt patricii generis, conscripti qui in senatu sunt scriptis annotati*. Quae quam non dilucide dicta sint, apparet; sed item manifestum eos dici adlectos, qui supra iustum numerum adiiciantur. Leguntur omnes senatores, cum a censore nominatim recitantur; sublegitur, qui in certum aliquem locum legitur, adlegitur, cuius nomen extremo loco ponitur. Itaque in historia Romana proprie adlecti esse dicuntur, qui senatus explendi causa ex aliis ordinibus adiecti sunt, ut Appius Caecus censor libertinorum filios in senatum *adlegisse* dicitur apud Suet. Claud. c. 24, ut Vespasianus senatum supplevit *honestissimo quoque Italicorum ac provincialium adlecto* (Suet. Vesp. 9). Veteribus id temporibus post magnas calamitates ex lege fieri solebat, ut post cladem Cannensem a dictatore ob eam ipsam rem dicto (Liv. XXIII, 23), postea imperatoribus permissum, qui quotquot vellent in senatum legerent: ac si quem adlegebant, ei simul locum, quo et sederet et sententiam diceret, assignabant paulatimque adeo fieri consuerat, ut qui inferiore loco in senatu essent, ab imperatoribus in superiorem translati adiecti appellarentur inter eos, inter quos sententiae dicendae ius accepissent. Itaque multi saepe et apud scriptores et in inscriptionibus dicuntur adiecti inter quaestorios, inter aedilicios, inter praetorios, inter consulares, quod quibus contigerat, ii eadem prorsus dignitate iisdemque insignibus utebantur, quibus qui vere eos honores gesserant [1]). Cuius rei imitationem ad colonias et municipia propagatam esse nemo erit qui miretur. Quamquam in his nec erat quisquam, qui pari atque imperator potestate praeditus leges, si placeret, mutaret, et certus cuiusque civitatis lege decurionum definitus erat numerus. Multae id res demonstrant. Cum enim post bella civilia Romanus senatus ab Augusto purgatus ad iustum numerum redigeretur, idem in municipiis esse actum docet ipsius tabulae Heracleensis, qui supra allatus est locus, quo nisi in demortui motive senatu locum quisquam vetatur adlegi; nam illuc quoque turpissimorum hominum multitudo irrepserat. Tum ipsum decurionum nomen, qui in quibusdam civitatibus centumviri appellantur, finiti numeri haud obscurum indicium est itemque Canusii certum fuisse numerum infra intelligetur. Sed, quia aut ambitiosorum hominum multitudo superfluebat nec iusto locorum numero expleri poterat aut civitates ipsae hominum locupletum

1) Vide quae ea de re disputavimus in quaestione nostra de honorum gradibus sub imperatoribus in Museo Rhenano ann. 1842 p. 269 sqq.

munificentias allicere cupiebant, remittebatur ab imperatore, quod alioquin vix incommodum esse poterat, ut numerus ille certus decurionum augeretur. Velut Bithyniae civitatibus quibusdam ab imperatore Traiano permissum esse narrat Plin. Epist. X, 113 *super legitimum numerum adiicere* senatores. Iique supra legitimum numerum adiecti appellati sunt *adlecti*. In quibus ipsis rursus gradus sunt servati, ut alii inter quaestorios, alii inter aedilicios, alii inter IIviralès, alii inter quinquennales, alii denique inter decuriones, i. e. inter eos, qui nullos honores gessissent, adlegerentur. Cuius generis, quoniam minus nota res est, pauca exempla afferenda sunt. In inscriptione Cumana, quae nunc Neapoli extat, apud Grut. p. 484, 6 (Orell. n. 2533; Gervas. Observat. de nonnullis inscript. Neapolitanis, Neapol. ann. 1842, p. 12) A. Varatius Severianus, eques Romanus, dicitur *adlectus* IN. ORDIN. DECVRION. Qui cum propter sacerdotium Caeninense, cuius onera susceperat, ab honoribus et muneribus patriae excusaretur, ultro se obtulit et inter decuriones relatus supra iustum numerum aedilitate deinde ac IIviratu functus est. Ostiensis inscriptio supra p. 109 a nobis allata est P. Lucilii Gamalae, qui vocatur *aedilis, dd. allectus gratis decurio, IIvir quinquennalis*, quem item supra iustum decurionum numerum, cum cogi non posset, et quidem propter munificentiam gratis adlectum esse hoc documento est, quod gesta demum aedilitate receptus est. Similis est causa Pompeiani illius hominis, N. Popidii Celsini apud Donat. p. 466, 13 (Orell. n. 3745), qui cum templum Isidis pecunia sua restituisset, quamquam erat annorum sex, ob hanc liberalitatem a decurionibus gratis in ordinem adlectus esse dicitur. Puteolis apud Mur. p. 159, 4 (Orell. n. 1229) M. Nemonius Eutychianus, equo publico honoratus ab imperatore Antonino Pio, appellatur *adlectus in ordinem decurionum Puteolanorum aedilis*, quae cum dupliciter possint intelligi, ut aut primum decurio adlectus, deinde aedilis factus esse existimetur, aut aedilicio loco inter decuriones adlectus esse putetur, illud mihi propter ea quae modo allata sunt exempla videtur esse probabilius. Itemque Puteolis apud Grut. n. 492, 1 M. Falcidius Hipatianus dicitur *adlectus in ordinem decurionum Puteolanorum*. Barcinone in Hispania apud Mur. p. 1032, 1 in titulo parum alioquin integro est *adlectus in numerum decurionum* (nam sic esse oportet pro eo, quod Muratorius habet, *adiectus*), Tarracone apud Grut. p. 355, 4 A. Antbracius Ingenuus *adlectus in ordinem Tarraconensium, aedilis, IIvir*. Veiis in uno ex compluribus titulis Cn. Caesio Athicto positis, quem titulum primus edidit Marin. Act. fratr. Arv. p. 831, ille appellatur *adlectus inter centumviros*. In insigni inscriptione apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 89 C. Curtilius dicitur *adlectus in ordine* (sic enim nonnunquam, vitiose quidem scribitur) *decurionum cum esset annorum quattuor*. Nec tamen eum quis inter decuriones adlegebatur, hoc modo dabatur, ut inter eos decuriones esset, qui nullis honoribus usi essent, sed, quemadmodum in Romano senatu moris fuisse diximus, ita etiam inter ipsos honoribus functos sententia tribuebatur. Quo in genere imprimis memorabilis est titulus Ostiensis, propinquo illius

P. Lucilii Gamalae, de quo modo mentio facta est, positus apud Gor. Inscr. Etrusc. Vol. II p. 308 (Fabr. p. 731, 450; Orell. n. 4109), cuius initium est hoc:

CN. SENTIO. CN. FIL.
CN. Ñ. TER. FELICI
DEC. DECR. AEDILICIO. ADL. D. D. D. ADL
Q. A. OSTIENS. IIVIR. Q. IVVENTV
HIC. PRIMVS. OMNIVM. QVO. ANNO. DEC. ADL. EST. ET
Q. A. FACT. EST. ET. IN. PROXIM. ANNVM. IIVIR. DESIGNAT. EST. cet.

In quibus interpretandis discedendum nobis esse videmus ab Gorii et Orellii sententia, qui, dum vs. 3 explicant *decurionum decreto adlecto quaestori aedili*, et contra consuetudinem epigraphicam et contra rei veritatem peccant. Nemo enim potest adlegi quaestor, nemo aedilis, non magis quam Romae quisquam aut praetor aut consul adlegitur; siquidem adlegendi verbum censorum est proprium et in iis consistit, qui senatoribus ascribuntur. Nec D. D. D. potest esse modo decurionum decreto; nam extremis demum Latinitatis temporibus usu venit, ut substantivorum pluralia duplicatis litteris primis significarentur infinitaque copia inscriptionum, in quibus D. D. sit *decretum decurionum*, nulla, ubi DD appellentur decuriones. Denique in illa vs. 3 interpretatione,' quae vs. 5 et 6 sunt, intelligi non posse manifestum est. Quare cum certa sit inscriptionis lectio a Gorio imprimis diligenter ac cum summa fide expressae, quod bis legitur Q. A., intelligo explicandum esse de *quaestore aerarii*; nam sic cum in aliis multis civitatibus, tum Ostiae appellatum esse eum, qui aerario praeerat, docet inscriptio apud Marin. Inscr. Alb. p. 56 (Orell. n. 2204). Tum D. D. D. ADL. erit *decurionum decreto decurioni adlecto*. Totaque inscriptio haec erit: *Cn. Sentio Felici, decurionum decreto aedilicio adlecto, decurionum decreto decurioni adlecto, quaestori aerarii Ostiensis, IIviro, quinquennali iuvenum. Hic primus omnium qua anno decurio adlectus est, et quaestor aerarii factus est et in proximum annum IIvir designatus est.* Iam omnia aperta nec mirum, si in explicatione honorum Cn. Sentii, quod aedilicius adlectus est, omittitur: nam continetur id decurionatus honore ei delato. Illud autem notabile, quod duo decurionum decreta facta dicuntur, ut inter aedilicios curiae Ostiensis referretur, quibus utrum opus utique fuerit, si quis superiore loco inter decuriones adlegeretur, an interim, postquam decurio factus est Cn. Sentius, tam bene de Ostiensibus meruerit, ut novo honore augendum esse iudicarent, non discernam. Hoc video, in aliis inscriptionibus, cum quis inter functos honoribus adlectus esse narratur, non commemorari nisi unum decurionum decretum. Ut Abellini apud Mur. 743, 7 (Lupul. Itin. Venus. p. 67; Orell. n. 3816) est: *Hunc decuriones gratis in ordinem suum adlegerunt duumviralium numero*; Ferentini apud Grut. p. 461 A. Quinctilius Priscus appellatur *IIIIvir aed. potest. IIIIvir iure dic. IIIIvir quinq. adlectus ex SC.*, quod ita intelli-

gendum, ut A. Quinctilius, postquam vere aedilitatem gessit et iuri dicundo praefuit, ex decurionum decreto inter quinquennales adlectus esse putetur. Apud Amat. Diurn. Arcad. ann. 1828, 3 p. 232 est P. Celerius Amandus, ***decurionum decreto decurio adlectus***; apud eundem ibid. p. 230 C. Silius Nerva ***decurionum decreto decurio adlectus, IIvir***, L. Calpurnius ***decurionum decreto aedilic. adlectus***, alter C. Silius Nerva ***decreto decurionum decurio adlectus, aedilis, IIvir***. Similia plura exempla inscriptiones Latinas qui perquirat, haud difficile inveniat. Sed satis diximus, ut duae illae res, quae demonstrandae esse videbantur, intelligerentur, primum eos, qui adlecti essent, vere fuisse decuriones, diversos ab iis, qui ornamentis decurionum honorati non habentur pro decurionibus, de quo genere infra disputabitur, deinde eosdem tamen supra numerum decurionum lege civitatis constitutum esse adlectos. Quod si cui minus demonstratum esse videatur, habemus hoc documentum ex ipso hoc albo Canusino petitum. Cum enim decurionum numerum in omnibus civitatibus certum fuisse videri supra iam diximus, Capuae constat fuisse centum ex Cic. in Rull. II, 35, totidem Veiis ex multis titulis, totidem Perusiae ex inscriptione apud Vermigliolium Inscr. Perus. Vol. II p. 272 (Orell. n. 3739). Cf. Marin. Act. fratr. Arv. p. 238. Eundemque numerum Canusii fuisse ex hac ratiocinatione perspicio. Si et patronos demas, qui non recte pro decurionibus haberi possunt, et quattuor illos inter quinquennalicios adlectos, denique praetextatos, qui ultimo loco recensentur, quos iure sententiae dicendae caruisse infra exponemus, relinquuntur septem quinquennalicii, triginta tres IIviralicii, undeviginti aedilicii, novem quaestoricii, ii, qui nullis honoribus functi sunt, triginta duo, ut ipse centum decurionum numerus expleatur. Qui cum non casu possit esse effectus, quoniam ea ipsa quinquennalibus cura erat, ut iustam senatorum copiam secundum legem explerent, quem decurionum numerum in aliis civitatibus invenimus, eundem Canusii fuisse statuentes adlectorum naturam plane perspiciemus.

Haec postquam de adlectione decurionum dicta sunt, redeundum est in disputationis nostrae cursum perlustrandique, qui honoribus functi ex dignitatis ordine in albo decurionum recenseantur. Ac primo loco ponuntur quinquennalicii, quia summa est quinquennalium dignitas. Quod si cui dubium videri posset secundum hoc album Canusinum, in quo maximum sane argumentum est, multis rebus demonstraretur. Nam et Romae semper censoriam pro maxima dignitate habitam esse constat, censorumque, quorum potestas alioquin nec cum consulari nec cum praetoria conferri debet, nomen amplissimum, et in Siciliae civitatibus censorum magistratum fuisse maximum testatur Cicero et veterum oppidorum sociorum censores summam in suis civitatibus dignitatem habuisse docent inscriptiones, quae supra p. 80 allatae sunt. In quorum locum cum successerint quinquennales hi, quid mirum, quod, ubicunque decursus aliquis honorum municipalium in inscriptionibus explicatur, ita semper ponitur quinquennalitas, ut culmen quasi ac fastigium ceterorum honorum fuisse videamus, cuius rei et supra a nobis

multis locis exempla citata sunt et alia infra citabuntur. Atque etiam Appuleius Metam. lib. X c. 18 p. 711 ait: ***Oriundus patria Corintho, quod caput est totius Achaiae provinciae, ut eius prosapia atque dignitas postulabat, gradatim permensis honoribus quinquennali magistratu fuerat destinatus***, ut scriptoris etiam apertum testimonium ad tot monumentorum auctoritatem accedat. Denique, si ipsa censoria dignitas, quae quinquennalitate continetur, per se non sit maxima, cum eam et cum eo, qui in quaque civitate maximus sit magistratus, coniunctam fuisse tabula Heracleensis, cuius verba p. 88 explicata sunt, ostendat et cum IIviratu aut IIIIviratu, quem secundum censores maximum magistratum fuisse omnes concedunt, copulatam fuisse aliis argumentis docuerimus, quid censebimus dubii in hoc loco posse relinqui? Animadverte autem ipsam vocem ***quinquennalicius***, cui consimilia ***IIviralicius***, ***aedilicius***, ***quaestoricius***. Ex iis unum ***aedilicius*** bonae latinitatis est et ab optimo quoque scriptore usurpatum, reliqua inferioris aetatis, pro quibus meliores auctores simplicioribus formis usi sunt. Nam qui quaesturam gesserunt, apud Ciceronem vocantur ***quaestorii***, item in inscriptione Britannica apud Grut. p. 411, 4 (Orell. n. 3990) est ***quaestorius*** municipii, nec scio omnino, ubi praeter hunc locum forma haec ***quaestoricius***, quam recte deductam esse fateor, inveniatur. Item, qui IIviratum gesserunt, solent appellari IIvirales, ut Ulpianus in Dig. L, 3 (de albo scribendo) eos ipsos qui hoc loco IIviralicii vocantur, dicit ***IIvirales***, et Appulei. in Metam. p. 447 duumviralem patrem suum fuisse narrat, cf. Vellei. II, 19, et in inscriptione Africana apud Maff. Mus. Ver. p. 462, 5 est ***aedilicius, IIviralis***, et in titulis compluribus coloniae Apulensis, ut apud Grut. p. 346, 2 (Orell. n. 2731) et Grut. p. 346, 5 (Orell. n. 3815; Maff. Mus. Ver. p. 244, 1) et Maff. Mus. Ver. p. 244, 4; Grut. p. 12, 8 (Orell. n. 4138), itemque legendum in inscriptione Taurinensi apud Grut. p. 365, 8 (Maff. Mus. Ver. p. 214, 2). Nec modo substantive id dicitur, sed etiam adiective, ut apud Fabrett. p. 29, 129 est ***duumviralis potestas*** et apud Grut. p. 431, 4 (Orell. n. 4020) ***IIviralia ornamenta***. At rursus duumviralicius haud facile praeter hunc locum legatur, neque inveniatur ***IIIIviralicius***, cum ***IIIIviralis*** reperiatur. Ab ***quinquennalibus*** autem sane eadem causa erat, cur deduceretur ***quinquennalicius***, quae ab ***aedilibus*** deducendi ***aedilicius***; sunt enim et quinquennalis et aedilis proprie adiectiva, eosque qui gerunt, non qui gesserunt honorem significant. Itaque appellatur in Fanestri inscriptione apud Orell. n. 3880 ***quinquennalicius***, qui quinquennalitatem gessit, itemque in Carthaginiensi apud Mur. p. 1059, 1 (Marin. Act. fratr. Arv. p. 400; Orell. n. 526); et quinquennalicius invenitur etiam in indice collegii apud Grut. p. 126. Sed tantum tamen in hac voce valuit adiectivi IIviralis similitudo, ut apud meliores auctores diceretur etiam adiective, velut quinquennalis ordo est in Praenestina inscriptione Augusti tempore posita apud Orell. n. 3874, et quinquennalem magistratum dicit Appuleius eo qui supra allatus est loco.

Secundum quinquennalicios autem recensentur IIviralicii, aedilicii, quaestoricii, eo gra-

duum ac dignitatis ordine, quem in plurimis vel in omnibus municipiis fuisse vel Romanae reipublicae honorum similitudo mihi persuadet, isque cum etiam plerumque in enumeratione honorum gesterum in inscriptionibus servetur, non moveor magnopere, quod aliquando aedilitatem quaesturae praepositam invenio. Nam ii praecipue homines, qui sua sponte decurionum onera subirent magistratusque peterent, ipso munificentiae studio facile fieri poterat, ut ab eo auspicarentur magistratu, qui sumptus plurimum requireret, potestatis minimum praeberet. Cf. quae ea de re in superiore disputatione de fastis Campanis instituta p. 67 diximus, et quae infra, ubi de IIIIviris dissereetur, de quaestura in multis civitatibus omissa dicentur. Verum qui quarto loco inter decuriones recensentur, qui *pedani* appellantur, longiorem disputationem requirunt. In qua primum notabimus singularem prorsus vocem *pedani*, qui nullo alio loco invenitur. Gell. Noct. Att. III, 18, ubi de pedariis senatoribus exponit, in extrema disputatione addit, *hoc vocabulum* (i. e. pedarii) *a plerisque* (i. e. permultis) *barbare dici animadvertimus; nam pro pedariis pedaneos appellant.* Pedanei igitur si hoc loco vocarentur, si non eleganter, at usitate esset dictum; nunc, quoniam auctores prorsus idenei in hoc albo pedanos legi testantur, Canusines quinquennales magis quam barbare dixisse videmus. Sed qui fuerunt hi sive pedarii sive pedani? quod genus hominum? Nam nec leve hoc est nec ad sola municipia pertinet. Commemorantur enim etiam in Romano senatu saepius *pedarii*. De quibus cum olim viri docti varie iudicassent, nuper Becker. in antiq. Rom. Vol. II p. 431, dubitans tamen paululum et veterum auctorum obscuritatem querens, eos dici statuit, qui cum propter segnitiem quandam aut rerum publicarum contemptionem nunquam in senatu sententiam dicerent ac pedibus modo in discessione facienda in alienas sententias transirent, irridendi quasi causa ita appellati sint; at Hofmannus eo qui saepius supra a nobis citatus est libro, p. 19, discedens ab Beckero certum quoddam senatorum genus pedaries appellatos esse credit, qui iure sententiae dicendae carentes pedibus modo in discessione facienda usi sint, idque senatorum genus contineri iis, qui nullis honoribus functi in senatu tamen sint. Equidem video fieri potuisse, ut et paulatim certum quoddam genus nominaretur pedariorum et nominis ipsius origo non ea esset, ut id necessario ad certos modo homines ab initio adhiberetur. Nam Gellius lib. III, 18, cuius imprimis auctoritate tota haec quaestio nititur, qui essent pedarii, ignorare minime potuit, quos et in Romano senatu quotidie commemorari audiret et per omnia municipia vulgo usurpari videret; at originem nominis dum explicare vult, accidit ei, quod plurimis veteribus auctoribus in ratione etymologica usu venit, ut parum probabilia proferret ipseque obscurus fieret. Iam qui senatores pedarii appellati sint, secundum hoc album Canusinum amplius dubitari nequit, in quo cum quinquennaliciis, IIviraliciis, aediliciis, quaestoriciis, pedariis omnes, quibus in decurionibus sententiam dicere liceret, comprehendi supra demonstratum sit, apparet eos dici pedarios, qui nullis honoribus functi sunt. Erat igitur certum in

decurionibus genus pedariorum, ordine inferius reliquis, sed iure, nisi quod posteriore loco interrogabantur, par. Neque enim satis intelligo, quod Hofmannus ait, fuisse quosdam in senatoribus, quibus discessionem facere licuerit, sententiam dicere non licuerit. Quid? homines nos fuisse arbitrabimur in senatu, quibus cum perpetuum silentium lege iniunctum esset, ea tamen potestas data esset, ut multitudine sua id, de quo referebatur, aut accipere aut relicere possent (cf. Cic. ad Att. I, 19)? Ac tantam Romanorum putabimus fuisse in republica moderanda superbiam, ut, si qui ex inferiore ordine homines, senatores tamen, aliquid commode invenissent, id iis proferre licere nollent? Nec quae de sententiis rogandis et perrogandis apud veteres auctores leguntur, rationi nostrae adversantur. Sic enim, opinor, fiebat, ut, qui praeesset senatui, primum quaereret, num quis in eam rem, de qua referretur, quid haberet quod diceret, interrogabanturque omnes, qui aliquid, quod patres sequi possent, se prolaturos profiterentur, sive ii erant honoribus functi sive nondum ullum magistratum gesserant. Hoc erat perrogare sententias. Tum in eam sententiam, quam qui referebat proposuerat, discessio fiebat. Nec si quaestoriorum aliquis aliquando inter postremos sententiam dixisse narratur, ut apud Vellei. II, 35 et Cic. ad Att. I, 19, inde colligendum est infra quaestorios licuisse sententiam dicere nemini. Quoties enim fieri oportebat, ut ex omnibus senatoribus, si res esset aut difficilis aut invidiosa, pauci admodum sententias proferrent, reliqui aut verbo assentirentur aut in discessione demum faciendo quid sentirent significarent! Ac ne quis putet pedariorum nomine indicari senatorum genus reliquis adeo dignitate ac iure inferius, ut ne licuerit quidem iis aspirare ad honores altioramque in senatu locum, quae quidem prope videtur Hofmanni esse opinio, in hoc albo commemorari video inter pedarios C. Lucretium Venustum et Ti. Claudium Onesimianum, quorum utrique nota apponitur IVN. i. e. *iunior*, propterea quod eorum patres, iisdem praenominibus insignes, item erant in senatu, et quidem inter IIviralicios. Addique potest P. Esquilius Silvanus, in quo notam illam errore omissam esse censeo, cuius pater item inter IIviralicios nominatur. Iam hos iuvenes, eorum, qui maximos honores gesserant, filios, ideoque et genere et re familiari honoribus gerendis pares quis existimet ab honoribus tamen esse prohibitos? Hoc igitur constet, pedarios esse appellatos, qui nullis honoribus gestis postremi inter decuriones, sed tamen aequali cum ceteris iure erant, ac tale aliquid videtur etiam Gellius l. l. significare de iis dicens, qui postremi in albo scripti erant. Quamquam minime ab ipso initio, cum primum hoc nomen inveniretur, certum ac genus senatorum indicatum esse censeo. Coepit enim ab iis, qui cum liceret sententiam dicere nec tamen dicerent, a pedibus, qua sola parte in senatu utebantur, irridendi causa vocabantur; deinde propagatum est ad eos, qui, quoniam nullis magistratibus functi exiguum et imperfectum usum reipublicae habebant, peritiorum sententias sequi solebant, quorum silentium propter

pudoris ac modestiae significationem magis laudandum quam vituperandum erat. Cf. Dionys. Arch. Rom. VII, 47.

Iam perlustrato eo, qui proprie dici debet ordo, reliqui fiunt in albo Canusino, qui appellantur *praetextati*, quorum obscurior etiam ratio quam pedariorum; nam eorum in libera republica nulla fit mentio ac ne sub imperatoribus quidem ullum aliud praeter hoc satis apertum superest testimonium. Quare de natura eorum ex coniectura modo, sed tamen admodum probabili, iudicari potest. Etenim cum ipsi ii, quorum nomina album hoc in praetextatis habet, considerantur, quattuor ex iis apposito ıvx. notari videmus, ut appareat esse eos filios decurionum; ac sane unius pater inter quinquennalicios, duorum inter IIviralicios, unius inter pedarios nominatur. Nec tamen eo ordine collocantur filii, quo patres commemorantur in decurionibus, sed primus est IIviralicii filius, secundus quinquennalicii, tertius pedarii, quartus rursus IIviralicii. Hinc satis certe colligitur, eos, qui praetextati in albo nominantur, fuisse adolescentes. Quorum de iure senatorio cum quaeritur, protinus occurrit lepida illa narratiuncula de origine cognominis Praetextati, quo paucae gentes Romanae usae sunt, quae iisdem fere verbis concepta, ut ex eodem apud utrumque auctore referri appareat, invenitur apud Gell. I, 23 et Macr. Saturn. I, 6. In cuius ingressu sic habet uterque: *Mos antea senatoribus fuit, in curiam cum praetextatis filiis introire;* deinde narrant, cum postea eum morem, ubi de re maiore ac tacenda ageretur, perniciosum esse posse intellectum esset, sublatum esse. Nec pugnant cum his, quae Polyb. III, 20 habet, ridens eos auctores, qui in explicandis senatus Romani consultationibus ante bellum Punicum alterum habitis narrent consuevisse senatorum liberos inde a duodecimo aetatis anno a patribus in curiam adduci nec tamen quicquam quod secretum esse oporteret enuntiasse. Nam et illo tempore cum moris erat adducere liberos, quando de secreto ageretur, parum probabile est admissos esse pueros et, qualiscunque fuit mos, sublatum esse ipsi tradunt Gellius et Macrobius. Vero tamen valuisse veteribus temporibus eum morem, vel hoc potest docere, quod restituit Augustus, de quo sic habet Sueton. c. 38 *Liberis senatorum, quo celerius reipublicae assuescerent, protinus a virili toga latum clavum induere et curiae interesse permisit*, neque enim quicquam novi in eo genere invenit Augustus, sed reducendis veteribus institutis suae aetatis mores corrigebat. Hi liberi senatorum cum usque ad annum aetatis sextum fere et decimum pro iure ingenuitatis togam praetextam induerent, postea ex Augusti instituto senatorii ordinis insigne gererent, vere *praetextati* appellari poterant nec dubito, quin in hoc albo dicantur; nam quod Romae fiebat, id per municipia propagari solebat. Itaque hoc ex genere fuisse iudico et illos senum septenumque denum annorum pueros, quos Cicero in Verr. II, 49 a C. Verre queritur pecunia numerata in Siculorum civitatum curias esse ascitos, (nam Verres etsi improbe et avare agebat, aperte tamen leges violare non audebat) et satis magnum eorum numerum, qui, etsi nondum

ea aetate erant, quam legitimam fuisse supra dictum est, decuriones tamen in inscriptionibus appellantur. Uti duo exempla decurionum puerorum iam supra, cum de adlectis disputabatur, allata sunt; duodecim annorum decurio est apud Mur. p. 1028, 6 (Fabrett. p. 184, 401), quattuor annorum apud Mur. p. 715, 7 (Donat p. 256, 7), septendecim annorum apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 94 (Donat. p. 254, 6; Orell. n. 3749), alter apud Orell. n. 2189 (n. 3820), viginti annorum apud Lupul. Itin. Venus. p. 321, infans decurio Aeculani apud Guarin. Aecul. p. 113. Itemque in Dig. L, 4 (ad municipalem) l. 21 §. 6 citatur imperatorum Severi et Antonini Augustorum rescriptum ad Septimium Zenonem: *Pro infante filio, quem decurionem esse voluisti, quamquam fidem tuam in posterum astrinxeris, tamen interim onera sustinere non cogeris.* Quo autem iure hi, qui nondum legitimam aetatem habebant, qui praetextati appellantur, fuerint, significat Papin. in Dig. L, 2 (de decurionibus) 6 *Minores viginti quinque annorum decuriones facti, sportulas decurionum accipiunt: sed interim suffragium inter ceteros ferre non possunt.* Cum quibus conferendus est Ulpiani locus supra p. 120 allatus, qui minores viginti quinque annis natu negat ad rem publicam administrandam debere admitti, ut nec honores (cf. idem Dig. L, 6 (de iure immunitatis) l. 2, 4) nec ea munera obire possint, quae non sint patrimonii. Utuntur igitur hi praetextati omnibus ornamentis decurionum i. e. praecipuo loco in theatro et in epulis publicis, accipiunt sportulas decurionibus constitutas, adsunt in senatu, possunt etiam, si locupletes sunt, munera quaedam, in quibus re familiari, non prudentia aut peritia opus sit, obire (cf. Ulpian. tit. 4 (de muneribus) 3, 10), sed nec sententiam dicere in decurionibus licet nec ad honores admitti. Quare nemo, qui minor legitima aetate aut IIvir aut aedilis aut quaestor fuerit municipiorum, in inscriptionibus invenietur. Memorabile vero est, quod Callistratus Dig. L, 2 (de decurionibus) l. 11 ait: *neque enim minores viginti quinque annis decuriones adlegi nisi ex causa possunt*, unde apparet ipsos hos praetextatos decuriones vel ob munificentiam civitati exhibitam vel propter parentum potentiam vel denique propter reliquorum inopiam esse adlectos. Quamquam enim sententiam iis dicere non licebat, tamen, quia munera sumptusque publicos tolerabant, onera universorum sublevabant. Eaque ratione, quod ex causa adlegebantur hi praetextati, etiam ordinem ipsum, quo in albo Canusino ponuntur, explico. In quo quod pedarii filius antecedit IIviralicii filium, IIviralicii filius quinquennalicii filium, munificentiae potissimum tribuendum esse censeo. Qui autem vel infantes vel pueri vel omnino viginti quinque annis minores adlecti erant, ii, etsi nihil de ea re traditur, ita tamen certam decurionatus ipsius spem habebant, ut, si iustum annorum numerum explessent, continuo ius sententiae dicendae assequerentur et a proximis quinquennalibus in suum quisque locum adlegendi essent.

Verumtamen praeter tria haec hominum in albo scriptorum genera, quae a nobis explicata sunt, quorum primum est patronorum, alterum eorum, qui vere decuriones appellandi

sunt, tertium eorum, qui honorum sententiaeque dicendae iure carentes dignitatem muneraque decurionum habent, est quartum, extra curias quodammodo positum ideoque in albo praetermissum, sed affine tamen, eorum quidem, qui ornamenta decurionum decreto decurionum acceperunt. Id simile iis, qui Romae ab imperatore ornamentis senatoriis, aediliciis, praetoriis donari solebant, de quo item dictum est a nobis in disputatione de honorum gradibus (in Museo Rheoano ann. 1842) p. 269. Atque ut Romae ii, quos non licebat esse senatores Romanos, ut praefecti Caesarum procuratoresque, ornamentis senatorum magistratuumque donantur, ita per municipia, quos lex vetabat adlegi decuriones, iis ornamenta eorum decernebantur, i. e. maxime libertinis hominibus, eaque munificentiae ac liberalitatis eorum praemia erant. Sic Veronae apud Maff. Mus. Ver. p. 86, 3 (Grut. p. 97, 11) P. Falerius Trephimus, haud dubie libertini generis, quia rempublicam Veronensem restituerat, dicitur *ornamentis decurionalibus;* Suessae in memorabili prorsus titulo apud Grut. p. 475, 3 (Orell. n. 4047) C. Titio Chresimo, liberto homini, ab ordine decurionum, quod munus gladiatorium ediderat, primum honor bisellii, deinde ut aquae digitus in domo eius flueret, denique ut commodis publicis ac si decurio esset, frueretur, decretum est, filio autem eius, quem iam legibus licuisse adlegi in curiam supra p. 122 dictum est, *honos decurionatus gratuitus*, ut patri ornamenta decurionalia, filio ipsum decurionatum datum esse intelligamus. Pisauri apud Orell. n. 2675 M. Apuleius Brasidas, homo libertinus, sed tamen gratiosus apud imperatorem, item dicitur *ornamentis decurionalibus honoratus;* Mediolani apud Orell. n. 3942 (Grut. p. 43, 8) Cumas Carpius, rursus libertinus, *ornamentis decurionatus ab ordine splendidissimo municipii Mediolanensis honoratus*, filius autem eius, homo ingenuus, *eques Romanus equo publico, decurio.* Memorabile etiam est exemplum in inscriptione Brixiana apud Orell. n. 3750, ubi libertinus homo Brixiae, Veronae, Cremonae ornamentis decurionatus honoratus dicitur, tum iure quattuor liberorum usuque anulorum aureorum ab imperatore donatus, ut postea quam ornamenta illa acceperat, ingenuitatem adeptus sit. In Gallia apud Mur. p. 1110, 7 est *decurio ornamentarius* Reiis et Nemausi; alii Nemausenses apud Mur. p. 199, 1 (Orell. n. 3751) et Mur. 200, 4 (Grut. p. 428, 8), *ornamentis decurionalibus Nemausi honoratus* apud Maff. Gall. antiq. p. 65 (Grut. p. 409, 7). Iaderae *decurio ornamentarius* est apud Mur. p. 723, 2; libertinus habens ornamenta decurionalia Apuli in Dacia apud Grut. p. 1006, 4 (Orell. n. 3016). Quid quod inveniuntur etiam, qui ornamentis IIviralibus donati appellentur, ut apud Grut. p. 347, 3 P. Aelius Philologus, decurio Capuae, ut Lugduni apud Grut. p. 431, 1 (Orell. n. 4020) aliquis, qui et quaestor fuerat et postea IIvir designatus est, *IIviralibus ornamentis suffragio sanctissimi ordinis honoratus*, cum eos videmus IIvirorum ornamentis donari, quibus liceret esse decuriones. Nec tamen id videtur fuisse necessarium; quare non probe Orellium, cum apud Mur. 742, 2 (Orell. n. 3897) *L. Laberius L. l. Optatus*, *iuvenis viginti duorum annorum or-*

namentis censoriis honoratus dicitur, quem contra atque Orellius *L. f.* corrigens censet, libertini utique generis fuisse iudico.

Exposita est decurionum legendorum ratio, quaeque eorum genera fuerint, a quibus antequam ad potestatem quinquennalium explicandam pergamus, inserenda videtur haec quaestio, pertinens cum ad omnes honores decurionatumque, tum ad quinquennalitatem, de qua haec disputatio universa instituta est, num licuerit iis, qui non essent decuriones, honores adipisci et num certus quidam honorum ordo fuerit, quem observari oportuerit. Atque de utraque re haud dubia sunt testimonia, primum Pauli in Dig. L, 2 (de decur.) 7 §. 2: *Is, qui non sit decurio, duumviratu vel aliis honoribus fungi non potest, quia decurionum honoribus plebeii fungi prohibentur*, cum quo conferendus Modestinus in Dig. L, 4 (de muneribus) l. 11 *Ut gradatim honores deferantur, edicto, et ut a minoribus ad maiores perveniatur, epistola Divi Pii ad Titianum exprimitur*, et Callistrati in Dig. L, 4 (de muneribus) 14 §. 5 *Gerendorum honorum non promiscua facultas est, sed ordo certus huic rei adhibitus est; nam neque prius maiorem magistratum quisquam nisi minorem susceperit, gerere potest, neque ab omni aetate; neque continuare quisquam honores potest.* Ac prius quidem, si ita explices, ut vulgo fit ab iis, qui antiquitates Romanas tradunt, parum convenire intelligo cum iis, quae ex inscriptionum Latinarum monumentis colliguntur. Neque enim urgebo, quod apud Plin. epist. X, 83 est, qui ex edicto Augusti factum esse scribit, ut ab vigesimo altero aetatis anno honores caperent, quos non licebat esse decuriones. Quam etsi quis dicat legem vel consuetudinem Bithyniae fuisse, quid tamen etiam in aliis civitatibus fieri consueverit, significat. Sed primum affero celeberrimum decretum municipale Tergestinum de honore Fabii Severi, qui ab imperatore Antonino Pio narratur impetrasse, ut Carni Catali, *prout qui meruissent vita atque censu, per aedilitatis gradum in curiam admitterentur*, qua re dicunt curiam completam esse. In Tergestina igitur colonia, cui Carni Catali attributi erant, videmus factum esse, ut ex his, qui opibus praestarent, continuo aediles fierent, tum gesta aedilitate ius sententiae in decurionibus dicendae adipiscerentur, denique a quinquennalibus adlegerentur. Item Brixiae apud Mur. p. 97, 4 (Maff. Mus. Ver. p. 89, 6; Donat. p. 51, 12) Sex. Nigidius Primus appellatur AEDIL. BRIX. DECVR. HONORE. GRAT. D. D. EX. POSTVLATION. PLEB. i. e. *aedilis Brixiae, decurio honore gratuito decreto decurionum ex postulatione plebis*, quem equidem existimo prius factum esse aedilem, tum decurionem, qui prius putabit decurionem, tamen, quia decurionis omnino mentio fit, intelliget potuisse esse aedilem, qui non esset decurio. Similis prorsus ratio invenitur in Ostiensi titulo, quem supra bis citavimus, P. Lucilii Gamalae, qui cum appelletur *aedilis, decreto decurionum adlectus gratis decurio, IIvir quinquennalis*, necesse est honorem acceperit, cum nondum esset decurio, idque Ostiae etiam alias factum esse significat altera inscriptio, item supra a nobis citata, L. Licinii Herodis,

qui *decurio*, *quinquennalis duumvir* vocatur. Augustae Taurinorum apud Grut. p. 17, 10 (Orell. n. 3989) P. Metellus dicitur *dec. Taur. et quaestor*, *item decurio Eporediae et IIvir*, ibidem apud Mur. p. 755, 3 (Maff. Mus. Ver. p. 214, 7) M. Vennonius *dec. IIIIvir aediliciae potestatis*. Neque hoc ita in Italicis modo civitatibus erat, verum etiam in externis, ut Aquis Sextiis apud Mur. p. 714, 8 Sex. Samicius Maximus vocatur *aedilis*, *decurio*, *quaestor*, unde, quod Tergostini ab imperatore impetrarunt, idem aliis civitatibus concessum esse videatur. Itaque, quod fieri non posset, nisi quidam etiam decurionatu non accepto honores gessissent, saepe inter honores decurionatum commemorari videmus, ut Aquis Sextiis in titulo apud Millin. Itin. Gall. Vol. II p. 204 L. Allius Verinus vocatur *decurio*, *IIvir*, in inscriptione Dacica apud Grut. p. 346, 3 P. Aelius Dacianus *decurio et aedilis*, in alia apud Grut. p. 345, 8 P. Aelius Flavius *decurio et IIvir*; Salonis apud Spon. Miscell. erud. antiq. p. 58 (Donat. p. 229, 2) T. Vetius Augustalis *decurio, quaestor*, *IIvir iur. dic.*, ibidem apud Orell. n. 502 (Mur. p. 1116, 6; Donat. p. 350, 8) T. Flavius Agricola *decurio, aedilis*, *IIvir iur. dic.* et rursus in alia apud Steinbuech. Annal. Vindob. 1820 p. 20 M. Utted. Sallubianus *decurio, quaestor*. Similiaque plurima passim reperiuntur. Neque magis verum est, quod Callistratus de gerendorum honorum certo ordine et de honoribus non continuandis praecipit, quod utrumque multis monumentis, quae supra a nobis citata sunt, refellitur. Uti quae maxime cum universae reipublicae Romanae institutis videtur convenire lex de honoribus non continuandis, eam non esse observatam ostendit memorabilis Cn. Sentii Felicis titulus Ostiensis, supra p. 127 citatus, qui eodem, quo quaestor fuit anno, IIvir designatus est. Insigne vero eiusdem rei Augusti imperatoris temporibus exemplum est in fastorum Campanorum fragmento, quod superiore commentatione a nobis explicatum est. Cf. p. 68. Quamquam honorum continuationem si ita intelligas, ut non licuisse putes eundem honorem diutius quam per annum gerere, verum est praeceptum; denuo enim ei delatum esse reperietur. Sed de reliquis quid dicemus? Errassene et Paulum et Callistratum, viros iuris et privati et publici peritissimos? Non placet. Nec probem, si quis aliud aliis temporibus moris fuisse censeat; nam multa ex illis exemplis in tertium post Chr. saeculum cadunt. Sed illa, quae praecipiunt, valent in vulgaribus decurionibus, quos oportet inter decuriones legi, antequam ad honores admittantur, tum in honoribus ipsis gradus et ordinem quendam servare. At si quis est vel senator reipublicae Romanae, vel eques Romanus, in eo quia esse constat ea, quae ad decurionatum adipiscendum necessaria sunt, leges ceteris scriptae non servantur. Quare in titulo Aeculanensi, quem p. 111 laudavimus, Ti. Claudius Nepos IIvir quinquennalis nec ullos ante summum hunc honorem alios gessit magistratus nec fuit decurio. Cuius similes haud pauci tituli supra a nobis allati sunt, cum fere totum honorum cursum, quos quisque emensus erat, indicavimus. Unum addo, nusquam aperte apud ICtos praescribi, ne quis in pluribus civitatibus decurio sit honoresque adipiscatur. Cum enim multa apud eos legantur, ex quibus, in qua quisque civitate honores gerere debeat, diiudicetur, hoc modo in-

venio apud Papinianum in Dig. L, 1 (ad municipalem) l. 17 §. 4 *Sed eodem tempore non sunt honores in duobus civitatibus ab eodem gerendi: cum simul igitur utrobique deferuntur, potior est originis causa.* Itaque et Augustae Taurinorum et Eporediae honores gessit P. Metellus apud Grut. p. 17, 10 (Orell. n. 3989), Veronae et Brixiae Q. Minicius Macer apud Grut. 438, 8 (Mur. 723, 5; Maff. Mus. Ver. p. 109; Orell. n. 67), Venafri et Foro Iulii Sex. Aulienus apud Grut. p. 370, 1 (Orell. n. 3426), Aequi et Sarmizegethusae P. Celsenius Constans apud Grut. p. 387, 4, Reiis et Namausi in Gallia apud Denat. p. 349, 1, Tridenti, Brixiae, Mantuae apud Grut. p. 478, 16 (Orell. n. 2183 et 3905), Vicetiae, Saturniae, Suessae apud Grut. p. 1093, 8; ipsamque adeo quinquennalitatem et Hispelli et Casini gessisse narretur C. Alfius Rufus apud Grut. p. 351, 1 (Orell. n. 3885). Quamquam hoc quidem in genere aliud aliarum civitatum ius fuisse censeo; nam Plin. epist. X, 115 in Bithynia, etsi fatetur plurimos in omni civitate esse senatores ex aliis civitatibus, contra legem id factum esse ait imperatorque eum adhortatur, ut provideat, ne idem in posterum accidat.

Ex his, quae de decurionibus coloniarum et municipiorum constituendis disputata sunt, intelligetur, opinor, qualis fuerit quinquennalium in hoc genere potestas. Quae magna sane fuisset, si, ut veteribus temporibus Romae, arbitrio suo agere potuissent, non certis legibus astricti et iis quae cuiusque civitatibus propriae erant et iis, quae omnibus latae erant, ea modo quae praescripta erant exequi deberent. Sed etiam sic, cum leges vel saepe dubiae essent vel aliquando negligerentur, apparet, quantum quinquennalitas decurionum ordinem, apud quem summa omnium rerum potestas erat, constituendo valere debuerit ideoque frequentissime fieri videmus, ut imperatores eorumque filii eum honorem rogati ab civitatibus susciperent, pro quibus qui praefecti ipsum censum curabant, quia potentia eorum, pro quibus erant, sustinebantur, longe maiorem auctoritatem ad turbas, si quae accidissent, componendas curiasque vel, si minus honestae essent, purgandas vel, si parum plenae, supplendas habebant. Nam hanc magis ob causam quam quod summa esset quinquennalium dignitas tot quinquennalitates a principibus gestas esse iudico. Conferantur quae de praefectis iuri dicundo disputata sunt in proxima priore commentatione p. 56. Homines autem municipales cum hunc honorem gerebant, non legibus modo continebantur, quas si violassent, a civibus suis in ius vocari possent, sed etiam imperio praesidum, qui et, si qua res dubia videretur, consulebantur et, si ita utile esse iudicarent, non rogati, quid fieri placeret, statuebant. De provinciis hoc testantur et Cic. in Verr. lib. II c. 49, qui, quantopere Verres Siculorum civitatum censoribus illuserit, exponit, et Plin. epist. X, 83 et 113 et 115, qui quam de parvis in hoc genere rebus et ipse statuerit et imperatorem adierit epistolis, memorabile prorsus est. Sic igitur in provinciis aut Caesarum legati aut praesides a senatu Romano missi, si quid vellent evagari quinquennales, coërcebant. At Italicarum civitatum censores quaeritur quem adi-

erint ante illud tempus, quo iuridicis vel correctoribus institutis etiam Italia quodam quasi provinciali imperio regi coepta est. Senatum Romanum equidem censeo; nam et antiquitus eum civitatum censoribus imperasse supra vidimus et quae tabula Heracleensi praecipiuntur, ea populus iusserat. Quamquam hoc ad omnem censoriam potestatem pertinet; in illo autem, quod proprie ad senatus lectionem pertinet, non alienum erit animadvertere, ipsa temporum tristitia, quae paulatim sub imperatoribus invasit, quinquennalium potestatem esse imminutam. Cum enim magna erat eorum copia, ex quibus curiae legitime suppleri possent, quia magnus erat delectus, magnam apparet fuisse quinquennalium potestatem, quam, ubi minui coepit ea copia, minui item par erat. Iam ne digrediamur ab eo, quod nobis propositum est, non referemus, quae nota esse existimamus, quo modo cum universae civitates, tum earum ordines infrequentia et inopia laborare coeperint, ex quo genere etiam ex inscriptionibus Latinis non pauca afferri possunt. Quae qui uno quasi obtutu comprehendere volet, legat, quae ICterum sententiae collectae sunt in Digestorum titulis ad legem municipalem et de decurionibus, unde iam Antoninorum aetate a tristissima illa decurionatus necessitate, qua postea civitates oppressae sunt, paulum abfuisse intelliget. Quare sic tandem evenisse iudico, ut quinquennalibus legendi senatus onus multo magis quam honos impositus esse videretur.

Atque haec quidem de ea quinquennalitatis parte, quae in senatu legendo versabatur, dicenda erant, quae non vereor, ne iis, qui, quantopere hic locus adhuc fuerit neglectus, norunt, longa esse videantur. Praeterea hoc eorum vel praecipuum vel unum munus fuisse intelligo. Sequitur enim, quemadmodum supra p. 112 proposuimus, ut in reliquis populi municipalis partibus digerendis, quae quinquennalium munera fuerint, videamus. Partes autem cum dico populi fuisse extra decuriones, eorum temporum sequor consuetudinem, quae post Augustum imperatorem fuerunt. Nam Augusto imperante praeter eos, qui senatores aut equites Romani essent, nullum populi municipalis discrimen fuisse imprimis tabulae Heracleensis ille, qui supra p. 88 allatus est, locus docet, quo quae continentur ad universum civium Romanorum censum pertinentia munera, ea, cum census ille ipse sublatus esset, item tolli par erat. Sed Tiberio imperante instituti sunt Augustales, celeriter per omnia non modo Italiae, verum etiam provinciarum municipia ac colonias propagati. In quibus qui erant, quod pro republica munera quaedam atque onera sustinebant ac locupletiores ceteris erant, paulatim etiam honore supra plebem efferri et pro ordine quodam inter decuriones pauperesque interiecto haberi coeperunt. Vide quae de hoc Augustalium ordine disputata sunt in commentatione nostra de Augustalibus et Seviris Augustalibus p. 77 sqq. Ac cum semel haec populi quasi per classes quasdam digerendi ratio placuisset, etiam quae fortasse iam a vetustioribus temporibus alia in aliis municipiis fuerant collegia vel fabrorum vel naviculariorum vel Mercurialium vel aliorum pro cuiusque civitatis commodis artificum, numero ac dignitate aucta et confirmata sunt. Reliqui

cives pro plebe habebantur. In his populi municipalis partibus recensendis ulla fuisse quinquennalium munera nusquam commemorari video, neque ulla omnino vel levissima fuisse Iudico. Nam primum collegia omnia suos ipsa habebant quinquennales, quorum potestas item erat censoria, qua, quae ad ordinem dignitatemque sodalium constituendam pertinerent, intra collegia sua iuberent. Deinde, si quid apud eos erat, quod ipsis administrare non liceret, id non per quinquennia, sed quotannia videtur esse administratum. Etenim, ut Romae equitum Romanorum recognitionem transvectionemque sollemnem non modo eum censu agatur, nae per quinquennia, sed quotannis et quidem a consulibus actam esse constat (Vide Car. Timoth. Zumptii commentationem academicam de equitibus Romanis et ordine equestri p. 38), item per municipia, si quis erat recensus, eum quotannis a IIviris habitum esse censeo. In Augustalium quidem collegio, longa omnium praecipue equitibusque Romanis simillimo, quicquid extra solitum ordinem agebatur, ex decreto decurionum actum esse intellige (vide in commentatione modo citata p. 41), ut, qui inter decuriones princeps erat, merito censoria quadam apud eos potestate functus esse videatur. Plebem vero reliquam nego prorsus esse censam. Quid enim censeretur? Tributo, quod antiquitus a civibus Romanis conferri solebat, sublato censuque omni, quem ultimum prope Augustus habuerat, abolito una haec censendi populi municipalis causa cogitari potest, si in usus civitatum quasi privatos pecuniam collata esset; cum hanc nullam collatam esse constet, ut paulo post docebimus, ne censum quidem ullum actum esse statuimus. Quamquam hoc nolim negare, cum lustrum conditum esse a quinquennalibus supra p. 111 viderimus, relictam esse in hoc negotio speciem aliquam veri census, ut pro saluta populi at sacra fierent et vota conciperentur, quodque propter incolumitatem publicam omitti posse videretur, religionis causa esse observatum.

Iam cum censum oppidorum certe Italicorum demonstraverimus non actum esse videri a quinquennalibus ob eam causam, quod nullum ex eo tributum ad rempublicam Romanam sustinendam conferretur, quaeritur, num quod forte tributum ad privatos quasi oppidorum usus a civibus collatum sit, eiusque cura quinquennalibus delata. Sic enim nostris temporibus fieri solet, ut praeter id, quod ad universam rempublicam opus est, etiam aliud tributum ad sumptus civitatis ipsius tolerandos a municipibus exigatur. Sed veterum civitatum in hoc genere longe erat felicior condicio. Nam primum magistratus non quaestui, ut apud nos, habebantur, quos qui gerebant, adeo honoris loco accipiebant, ut ultro magnam pecuniam et in ambiendo consumerent et cum acceperant, ut illustris sua esset reipublicae administratio, in usus publicos erogarent; quae autem opus erant humiliora ministeria, quia per servos publicos administrabantur, parvo sane constabant. Tum sacra, quae publice fierent, et suos habebant reditus et, si quid deerat, id sacerdotum, qui item honoris causa fiebant, munificentia suppeditabat; scholae, quamdiu floruit imperium, nullae erant publice per municipia institutae

18 *

ac postea etiam magis immunitatibus quam salariis sustentabantur; pauperibus vel nihil vel privata aut magistratuum aut divitiorum gratiam plebis quaerentium beneficentia consulebatur; aedificia publica vel a privatis curabantur vel exiguum sumptum requirebant, ut prorsus plurimas res, in quibus hodie solent maximae impensae publice fieri, nullas in antiquitate fuisse appareat, relinqueturque prope sola ludorum atque epularum publicarum nobis ignota, apud veteres usitatissima ratio, quae partim certe publice sustentaretur. Nam etiam si quae extra ordinem quasi acciderent onera publica, ut legationes obeundae, ut hospites magistratusque publice excipiendi, ea locupletium civium munera erant, non communiter ab omnibus collata pecunia curabantur. Denique, si quid erat, quod publicam pecuniam desideraret, ea ex agrorum publicorum reditibus conficiebatur. Vix enim ulla aut Italiae aut provinciarum civitas erat, nisi quae forte poenae causa agro multata erat, ut Perusia in bello civili ab Octaviano, quae non suos ad rempublicam sustinendam destinatos agros possideret, ex quibus quod quotannis redibat, ad communes omnium civium usus impendebatur. Ac plerumque quidem ii agri prope oppidum siti erant, in coloniis quidem, cum deducebantur, non divisi relinquebantur, sed, si ager vicinus nullus superesset, nonnunquam etiam longinqui et remotis in terris siti agri pro vectigalibus quibusdam publicis erant. Sic Capua, cum primum prope oppidum aliquantum agri ad publicos reditus habuisset, deinde, cum is divisus esset novis colonis, in insula Creta ab Augusto agrum vectigalem accepit; sic Tergestini populum Carnorum Catalorum sibi vectigalem habebant, sic aliae multae urbes Italiae superioris gentes alias Inalpinas, sic Nemausenses in Gallia plurimis populis imperasse dicuntur, non modo ut leges iis darent, quibus viverent, sed ut, quod ex eorum agro vectigalis conficeretur, eo ad suam rem publicam uterentur. Accedebat ad hos agri civitatum quasi proprii reditus pecunia, ad communes civium usus a privatis testamento relicta, cuius usurae vel ad certos quosdam usus vel ad universae reipublicae commoda pertinebant. Magnus est hic locus et is, de quo multiplex quaestio possit institui, sed, quia alienior est a proposito meo, persequi non debui. Denique ne hoc quidem negarim, varia per civitates fuisse vectigalia, quae ad privatos quasi rerum publicarum usus imponerentur, quo de genere in ipso decurionum Veientium decreto apud Orell. n. 4046, quod saepe nobis citandum est, memorabile extat testimonium, alterum apud Grut. p. 464, alia alibi. Sed hoc mihi videtur esse certum, quod proprie vocetur tributum, non esse exactum usquam a municipibus, quod ne potuit quidem recte exigi, quamdiu universa respublica Romana in Italia hanc tributorum rationem aspernabatur. Unde nullum eius rei causa censum a quinquennalibus actum esse colligimus. At vero hoc aliquis recte statuere videatur, redituum, quibus coloniarum ac municipiorum respublicae sustinebantur, curam a quinquennalibus esse administratam. Sic enim veteribus temporibus factum esse videmus, ut censores Romae agros publicos locarent, et ex pecunia, si qua superflua esset, aedificia

publica susciperent. Idemque tum per municipia ac colonias censorii muncris fuisse videtur intelligi posse ex Betilieni Vari, Aletrinatis censoris, titulo, quem supra p. 76 attulimus. Qui certe nunquam tantam aut publice aedificandi occasionem accepisset aut munificentiam ostendisset, nisi ipso quem gesserat honore esset excitatus. Sed imperatore Augusto mutata est haec censoriae potestatis ratio. Qui quantopere hanc eius partem non necessariam esse duxerit, vel illud documento est, quod ipse, cum omnes potestates in se transferret, non censoriam, ut consularem et tribuniciam, sed modo morum legumque regimen recepit (Suet. Oct. 27), similiter ac dictator Caesar praefecturam morum sibi tribui iusserat. Nimirum, quod iam antea per intermissiones censorum fieri consueverat, senatus Romanus in iis provinciis, quas suae potestati subiectas habebat, et in Italia reditus publicos vel per consules et practores vel per eos, qui aerario praeerant (praeerant autem ei usque ad ann. 28 a. Chr. veteri more quaestores, tum bini praetorii (Dio Cass. LIII, 2), tum inde ab anno 23 a. Chr. bini praetores, Dio. LIII, 32. Cf. Suet. Aug. c. 36) administrabat, aedificia publica per curatores, in singula creatos. Atque eandem hanc rationem in municipiis observatam esse intelligo. Nam primum nusquam hoc quinquennalium munus commemoratur, nec, si quando ii aliquid posuisse vel dedicasse narrantur, inde recte colligas, habuisse eos curam aedificiorum publicorum, quod quomodo explicandum sit, paulo post disseremus. Nusquam igitur cum quinquennales haec administrasse dicantur neque in Digestis, ubi multa de operibus publicis praecipiuntur, ulla sit eorum mentio, commemorantur et, qui reditus civitatum, et qui opera publica administrarint. Nam agris et pecuniae publice collocandae qui praefuerint, prorsus demonstrant fasti Campani, de quibus superior nostra fuit commentatio. Ex quibus intelligimus, usque ad ann. 33 a. Chr. cum nulli omnino Capuae quaestores fuissent, redituumque publicorum cura tota ad IIviros incubuisset, postquam coloniae magnus numerus agri fructuosissimi in insula Creta datus est, creari coeptos esse quaestores, unde horum hoc munus fuisse videmus, ut non modo pecuniam, quae in aerarium redisset, ad varios usus erogarent, verum etiam vectigalia ipsa et agros publicos collocarent. Tum opera publica prorsus similiter ac Romae a curatoribus administrabantur, quorum frequens mentio et in inscriptionibus est et apud scriptores. Eadem igitur fieri non potest ut quinquennalium muneris fuerint.

Quae cum ita sint, ex ea censoria potestate, quae olim libertatis temporibus Romae fuerat, quinquennales magnopere coartatos videmus esse. Cum enim totius populi censendi necessitas sublata redituumque publicorum cura ad alios magistratus delata esset, hoc iis relinquebatur, ut, id quod Romae quoque semper maxima censorii muneris pars fuerat, ordines civitatium constituerent et in ceteris collegiis ac corporibus conformandis quaedam magis honoris quam potestatis munera administrarent. Quodcum tantulum iam ex amplissimo olim

omnium magistratu superesset, quis mirabilur, quod non peculiares ei praefecti sunt homines, sed, qui iuri dicundo praeerant, iisdem, cum opus erat, quinquennalitatis munera tradebantur?

Haec postquam de potestate quinquennalium disputata sunt, ad explendam commentationem nostram superest, ut de externa eorum dignitate dicamus, deinde historiam eorum usque ad extrema tempora persequamur. Sunt enim etiam in his partibus nonnulla, quae aut ea, quae supra dicta sunt, confirment, aut aliter atque adhuc viri docti existimarunt, constituenda esse videantur. Ac plurima quidem, quae ad dignitatem quinquennalium pertineant, cum supra commemorata sint, quem locum in decurionibus tenuerint, per quos honorum gradus ad summum quinquennalitatis fastigium pervenerint, unum reliquum est, quibus ornamentis usi sint. Mentio enim eorum fit in insigni titulo apud Mur. p. 712, 2 (Orell. n. 3897), qui positus est *L. Laberio L. l. Optato ornamentis censoriis honorato.* Potest hoc intelligi, tributum esse L. Laberio, ut in theatro et in epulis publicis inter quinquennalicios sederet, ut reliquis commodis eorum, qui decuriones essent aut magistratus fuissent, uteretur; sed quaeritur, an peculiare quoddam vestis genus fuerit quinquennalium, ut fuisse censorum Romanorum constat ex Polyb. VI, 53, qui in pompis funebribus narrat eorum, qui censores fuissent, imagines veste purpurea indutas exhiberi. Cuius auctoritati tantum tribuo, ut Zonaram VII, 19, qui iis maiorum magistratuum ornamenta praeter lictores assignat, et Athen. XIV p. 660, qui praetexta toga indutos sacrificasse ait, aut minus accurate aut alia spectantes dixisse censeam. Ac cum municipales magistratus omnia, quae Romani magistratus haberent, imitatos esse sciamus, non dubito, quin etiam quinquennales, cum publice censorum muneribus fungerentur, purpurea toga usi sint.

Quamquam horum quinquennalium peculiaris prorsus est ratio, propterea quod iidem homines duplicem gerunt quasi personam, siquidem et summo iuris dicundi in municipiis funguntur magistratu et censura. Unde multa, quae facere dicuntur, nescias utrum propter censoriam potestatem an propter IIviralem aut IIIIviralem faciant. Sic cum IIviri quinquennales aliquid, ut consuetum erat in omnibus magistratibus, propter honorem acceptum posuisse narrantur, incertum est, utrum id propter duumviratum an propter quinquennalitatem posuerint. Neque enim semper tam aperta res quam in titulo Aeculanensi, quo iam supra usi sumus, apud Lupul. Itin. Venus. p. 98 (Guarin. Eclan. p. 109), ubi L. Secundus Crescens IIvir statuam Mercurii *ob honorem quinquennalitatis* posuisse narratur, quem intelligimus, cum iam esset IIvir, tum etiam censorem factum et propter additum hunc alterum honorem munificum fuisse, aut in alio Aeculanensi apud Lupul. Itin. Venus. p. 174, ubi quidam *ob honorem quinquennalitatis* viam per XXXXIIII passuum milia stravisse narratur. At cum apud Mur. p. 2021, 1 (Dissert. Isag. in Herc. Volum. Explan. p. 57) L. Annius Mamianus Rufus *IIvir quinq.* theatri orchestram de suo fecisse dicitur, merito dubites, an, si IIvir modo fuisset, idem fuerit factu-

rus; et cum apud Petrin. Mem. Praenest. p. 330 n. 18 duo IIviri quinquennales aedem et porticum D. D. S. (i. e. *de decurionum sententia*) faciendas curasse ac probasse narrantur, vix incertum, idem fuisse facturos, si solum gessissent IIviratum. Item in memorabili titulo apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 527 (Orell. n. 2600) L. Alsius Capito *duomvir quinq. curiam, tabularium, scaenarium, subsellarium loco privato de sua pecunia coloniae Castri Novi facienda curasse, porticus, coenacula ex decurionum decreto de sua pecunia coloniae Castri Novi facienda curasse idemque probasse* narratur; in inscriptione coloniae Caralitanae apud de la Marmoram Itin. Sardin. Vol. II p. 484 n. 47 est T. FLAVIVS. IVSTINVS. IIVIR. Q. A. SVPER. HS. XXXV. QVAE. OB. HON(orem) QVINQVENNAL(itatis) PRAESENTIA. POLLICIT(us) REIP(ublicae) INTVLIT. LACVM. A. FVNDAMENTIS. PECVNIA. SVA. FECIT. cet., ubi non videtur esse dubium, quin ab initio scribendum sit IIVIR. QVINQ. Calatiae in Campania apud Grut. p. 168, 6 duo IIviri quinq. *crepidines circa forum sua pecunia* fecerunt; Ariminenses duo tituli complurésque alii ad eandem rem spectantes iam supra allati sunt. Ludi etiam vel spectacula honoris causa sua pecunia curasse dicuntur Pompeiani illi *IIviri quinquennales* C. Quinctius Valgus M. Porcius, quorum singularis ratio supra p. 107 illustrata est. Aperte autem non propter quinquennalitatem, sed propter IIviratum vel IIIIviratum ei adiunctum fit, ut in actis publicis coloniarum et municipiorum quinquennalium nomina anni significandi causa ascribantur. Nam, ut Romae et vulgo per imperium Romanum anni ex consulum Romanorum serie computabantur eorumque nomina actis publicis praemittebantur, ita et in collegiis constat moris fuisse, ut post consulum Romanorum nomina, quibus quidque magistris actum esset, ascriberetur et in municipiis par erat addi summorum magistratuum nomina. Itaque plerumque quidem IIvirorum vel IIIIvirorum nomina in actis municipalibus perscribi solebant, cuius rei aliquot per inscriptiones Latinas supersunt exempla (vide infra in commentatione de IIIIviris municipalibus), sed, quo anno quinquennales erant, eo IIvirorum vel IIIIvirorum quinquennalium nomina notantur, quod non quinquennalitatis, sed IIviratus vel IIIIviratus causa fieri certum est. Ut in titulo Veliterno, quo libertino alicui homini bisellii honos decernitur, apud Cardin. Inscr. Velitern. p. 45 n. 18, factum id esse dicitur duobus *IIviris quinquennalibus*; in Brixiano apud Mur. p. 297, 4 (Donat. p. 157, 1; Maff. Mus. Ver. p. 109, 1; Orell. n. 1972) item libertinus aliquis homo *votum solvisse C. Asinio Gallo C. Marcio Apro Censorino cos.* (ann. 8 p. Chr.) *L. Salvio Apro C. Postumio Costa IIviris quinquennalibus*; Firmi in Piceno apud Grut. p. 490, 2 statua dicitur posita esse homini alicui bene de republica merito *M. Accio Seneca Manlio Planta IIviris quinquennalibus*, cum quo titulo cf. Grut. 490, 3; itemque prorsus explicandam atque emendandam esse censeo inscriptionem Venafranam apud Grut. p. 114, 8. Haec autem ut habebant IIviri quinquennales, quia IIviratum cum quinquennalitate coniunctum gerebant, ita etiam insignia utriusque magistratus habebant. Nam quos iis Appuleius Metam. lib. X p. 711,

eo quem supra p. 129 iam attuli loco tribuit fasces, cum ait: *Oriundus patria Corintho gradatim permensis honoribus quinquennali magistratu fuerat destinatus et ut splendori capessendorum responderet fascium, munus gladiatorium triduani spectaculi pollicitus latius munificentiam suam porrigebat*, hos igitur fasces ex censoria potestate, qua utebantur, habere non poterant; nam Romanos censores lictoribus ac fascibus caruisse scribit Zonaras VII, 19, recte ille quidem sine dubio; nam item carebant imperio.

Iam antequam quinquennalium historiam persequendo exitum eorum narrem, singularia quaedam aunotanda esse censeo. Primum cum naturam quinquennalitatis eam prorsus fuisse intellectum sit, ut cum eo, qui in quaque civitate summus esset, magistratu coniungeretur, sicubi, qui summo magistratui praeest, non IIvir aut IIIIvir, sed aliquo alio nomine appelletur, item apparet appellari quinquennales. Iam hoc postquam constitutum est imperium Romanum, municipiorum coloniarumque provincialium in nulla factum esse censeo, at in Italia pauca quaedam fuerint oppida, quae antiquum magistratus sui nomen pertinaciter retinerent. Quare in oppidis antiquitus Latinis, in quibus qui ius dicerent, praetores et olim et per prima imperatorum Romanorum tempora nominatos esse constat, si quis appellaretur praetor quinquennalis, ut *praetorem IIvirum censorem* appellatum esse supra p. 81 expositum est, ferrem facile nec a solito more descitum esse existimarem. Quare quid miremur, quod in tabula insigni patronatus, quem praefectura Peltuinatium in Vestinis ann. 242 p. Chr. Nummiae Variae obtulit (apud Grut. p. 443, 6; Orell. n. 4036), cum decretum decurionum de eo offerendo fieret, ordini praefuisse dicuntur T. Avidius Accus Restitutus et Blaesius Natalis AED. QQ. i. e. *aediles quinquennales*, qui iidem homines in extremo decreto ipso appellantur modo QQ. i. e. *quinquennales*? Hinc sic colligemus, cum Peltuini praefectus, non Roma, sed Aveia, opinor, vel ex alia urbe, quacum Peltuinates in unam civitatem coniuncti essent, missus iuri dicundo praeesset, summum atque unum, qui a Peltuinatium decurionibus crearetur, magistratum fuisse aediles, quibus propterea etiam, quae opus esset, quinquennalitas iniungeretur, ut recte et aediles quinquennales et quinquennales dicerentur. Itemque singulare prorsus, quod Caerites, quorum civitatem constat plane peculiari ratione fuisse institutam, fecisse narrantur in titulis, quos supra p. 82 attulimus, quod M. Manlium Pollionem *censorem perpetuum* crearunt, cuius similia exempla in collegiis non paura inveniuntur, in municipiis, quod equidem noverim, nullum. Nam municipiorum qui in inscriptionibus putantur appellari quinquennales perpetui, falsa omnes interpretatione efficiuntur, ut, cum Orell. n. 3677 (Fabrott. p. 463, 93) M. Meconium Leonem Q. P. P. quinquennalem perpetuum dici opinatur, debuit potius dicere *quaestorem pecuniae publicae*, ut colligitur ex ea inscriptione, quam ipse Orell. 3678 habet, ut Tarenti qui apud Mur. p. 910, 7 (p. 2015, 8; Orell. n. 4002) dicitur QQ. P. P, eum, si titulum diligentius perspicias, non coloniae, sed fabrorum collegii quinquennalem perpetuum fuisse intelliges.

Fuerunt autem etiam, qui quinquennales fuisse statuerent flamines et pontifices, quam sententiam, ut praecipuos nominem, persecuti sunt Noris. in Cenotaph. Pisan. Diss. I c. 5 extr., Oliverius in Marm. Pisaur. p. 76, Bimardus ibid. p. 82, Turr. Mon. Vet. Antii p. 362. At rectius Orellius in collectione amplissima, quam instituit, inscriptionum Latinarum ad n. 2215 et 3900 eos vel negavit fuisse vel num fuissent, dubitavit. Cui ita assentior, ut prorsus ullos fuisse negem. Nam qui et pontifices et flamines in certa temporum spatia fiebant, ut confer, quae narrat Cic. in Verr. II, 52, eos annuos fuisse censeo, sicuti reliquos, qui aut magistratum aut honorem accipiebant, ac, si qui eximio honore augendi esse viderentur, eos in perpetuum esse creatos, quorum sane haud exiguus in inscriptionibus numerus invenitur. Nec vero hinc recte cum iis, quos supra diximus, viris doctis etiam quinquennales fuisse colligas. Quorum quae putatur inveniri memoria, ea aut inscriptionibus ementitis nititur aut falsa interpretatione efficitur. Etenim in *flaminibus quinquennalibus* fingendis praecipua fuit sollertia Ligorii, in cuius inscriptionibus sane multi inveniuntur. Ut apud Gud. 1, 7 qui est flamen quinquennalis, eum apparet ementitum esse ex ea inscriptione, quam Grut. p. 397, 3 habet, in qua ipsa quod est *flamen quinquennalis patronus*, si est et recte de lapide expressum et inscriptio ipsa vera (ac potest aliqua moveri dubitatio), quinquennalem de IIviro quinquennali intelligendum esse censeo. Cf. supra p. 103. Ad eandem autem inscriptionem Ligorius fertili sane fraude composuit etiam alteram apud Gud. p. 163, 1. Itemque de flaminibus quinquennalibus ementitae ab Ligorio inscriptiones apud Gud. p. 101, 2 et p. 118, 1, apud Grut. p. 57, 1, quod cum ita sit, vix dubito, quin etiam apud Grut. p. 261, 4, quae inscriptio multa alioquin vera videtur habere, flamen quinquennalis ex interpolatione Ligorii, cuius auctoritate titulus nititur, ortus sit. Parique fraudis sedulitate Ligorius finxit *pontificem quinquennalem* apud Gud. p. 24, 8 et *sacerdotem quinquennalem* apud eund. 91, 1. Nimirum stimulabat hominem antiquitatis studiosissimum insana quaedam cupiditas nova ac mirabilia proferendi; quare, cum, qua erat parum accurata litterarum antiquarum scientia, aliquando in veris inscriptionibus, quas male interpretaretur, pontifices quinquennales sibi invenire videretur, multos similes afferre cupiebat. Ut in inscriptione Dacica apud Gud. p. 46, 10 (Grut. 69, 9; Seivert. Inscr. Dac. n. 116) cum C. Iulius Metrobianus vocatur *pontifex QQ. IIvir coloniae Apuli*, potest imperitior aliquis homo invenire sibi videri *pontificem quinquennalem*, sed tres indicari honores, pontificatus, quinquennalitatis, IIviratus, perspiciet, qui alias inscriptiones Dacicas a nobis ipsis supra allatas conferet, in quibus, qui alias solent appellari IIviri quinquennales, tantum quinquennales vocantur. Eademque ratione explicandus M. Oppii Capitonis titulus Auximas apud Grut. p. 446, 2, qui si verus est (nam cum Pighii solius, non Smetii, ut falso indicat Gruterus, auctoritate nitatur saepe Ligorianis copiis usi, quaedam in eo sunt, quae non levem fraudis suspicionem excitent), non pontifex quinquennalis fuit, sed duos honores pontificatus et quin-

19

quinquennalitatis gessit. Similia non pauca afferre possum, ut confer Orell. ad n. 3901, sed ipsum genus et erroris et fraudis significari satis esse duximus. Hoc plane intelligo, nusquam per inscriptiones Latinas ullum certum pontificum aut flaminum aut sacerdotum quinquennalium deprehendi vestigium.

Iam hos quinquennales, de quorum potestate ac dignitate disputatio nostra instituta est, ex iis ipsis, quae de origine eorum ex Iulia lege, quam tabula Heracleensis continet, repetenda explicavimus, apparet primum intra Italiae civitates constitisse, in qua nullum certe oppidum erat, quod civitatem haberet ac magistratus, quin quinquennalibus ad decurionum lectionem uteretur. Verum iidem in civium Romanorum oppidis extra Italiam erant. Nam primum coloniarum plurimorum extant tituli, in quibus quinquennales commemorentur, supraque a nobis satis multi coloniarum et Gallicarum et Hispanicarum et Dacicarum allati sunt. Britannicarum et Asiaticarum perpauci supersunt tituli, in quibus quinquennalium non fieri mentionem non miror; Africanarum unus vel alter supra citatus est, quibus addo hic Leptitanae coloniae ex nummis apud Eckhel. Doctr. Numm. Tom. IV p. 476, Carthaginiensis apud Donat. p. 255, 5, Curubitanae apud Maff. Mus. Ver. p. 463, 3 (Donat. p. 346, 6; Orell. n. 530), Siciliae unum novi quinquennalem coloniae Catinensis apud Castell. Inscr. Sic. p. 57 (n. 36, Achaicarum Buthroti et Corinthi afferuntur ab Eckhel. l. l., Dyrrhachii supra citatus est. Quae cum comprehendo, nulla prorsus videtur fuisse colonia Romana, quae non quinquennalibus uteretur. Deinde municipiorum etsi propterea quod ignobiliores fere erant ac minus frequentes urbes, longe rariores commemorantur quinquennales, satis tamen multi supra a nobis citati sunt, ut ne municipium quidem ullum fuisse discemus, in quo non quinquennales fuisse videantur. Idque eo magis statuendum, quod nulla res aut a vetere scriptore narratur aut a viris doctis nostra aetate inventa est, quae inter respublicas coloniarum et municipiorum quicquam interesse ostendat. Quae cum ita sint, non dubitandum esse censemus, quin, quatenus per imperium Romanum IIviri et aediles et quaestores (nam haec constat municipalium magistratuum esse nomina) propagati sunt, eatenus quinquennalium magistratus pertinuerit. Quem locum, multis et difficultatibus et fructibus refertum persequerer pluribus, ut, quatenus propaganda civitate Romana etiam IIvirorum aliorumque magistratuum potestas propagata esset, ostenderem, nisi vererer, ne et longius ab eo, quod propositum est, abducerer et de quinquennalitate, quae cum IIviratu coniuncta fuit, sola recte dici nequiret.

Reliquum autem est, ut, siculi originem quinquennalium explicavimus, eorum quasi historiam ad extrema tempora perducamus quique eorum exitus fuerit, indicemus. Quo in re imprimis mihi agendum erit cum viris nonnullis doctis, qui, dum quinquennales eosdem esse statuunt, qui postea curatores appellati sunt, omnem quinquennalitatis naturam videntur evertere. Etenim cum primum Marinius Papir. diplomat. p. 250^{b}, dubitanter tamen atque ita, ut viro anti-

quitatis peritissime parum de ea re constitissa intelligas, quinquennales significasset sibi videri eosdem esse, qui alibi curatores civitatum nominantur, Fr. Car. Savignius in historia iuris Romani per medium aetatem Vol. I p. 41 sqq. hanc opinionem ita amplexus est, ut quinquennalium et curatorum unam fuisse statuat potestatem, unum munus, nomina modo ex temporum vel locorum consuetudine esse diversa. Eumque secuti sunt eum alii, qui antiquitates Romanas in compendium redigere vellent, tum J. Marquardtius in disputatione sane docta de Logistis imperatorum Romanorum tempore (in Annalibus antiquitatis Th. Bergkii et I. Caesaris ann. 1843 n. 118 p. 937 sqq.). Causas autem huius opinionis Savignius, quantum intelligo, affert duas, primum, quod cum quinquennales constet fuisse summos ex magistratibus, item curatores ante reliquos magistratus nominari soleant, nec quisquam fieri possit curator, nisi qui omnes honorum gradus emensus sit, deinde quod nusquam curatores et quinquennales iuxta uno loco commemorentur. Quae quidem causae, si ea quae supra exposita est quinquennalitatis natura teneatur, faciles sunt ad refellendum. Nam cum quinquennalitatem cum IIviratu coniunctam fuisse supra docuerimus, quid mirum est in Theodosiano codice semper appellari *curatorem et magistratus* i. e. IIviros (nam ad hos iam solos tunc magistratus nomen pertinebat), siquidem hac magistratuum appellatione quinquennales comprehenduntur? Vide Theod. Cod. VIII, 12 (de donat.) 3; IX, 2 (de exhib. reis) 5; XI, 8 (de superexact.) l. ult.; XI, 31 (de reparat. appell.) 5. Ac si Constantinus in Theod. Cod. XII, 1 (de decurionib.) 20 quemquam curatorem fieri vetat, nisi qui reliquis muneribus municipalibus functus sit, hoc colligemus, novo tum id esse constitutum ac prius aliam curatorum dignitatem fuisse. Quod autem curatores et quinquennales uno loco iuxta commemorari negat, sit illud verum (etsi non esse verum infra exemplis demonstrabitur); sed et casu accidere potuit et ob eam ipsam rem factum sit, quod quinquennales iidem sunt IIviri sive magistratus. Hoc certe intelligo, etiam extremis imperii Romani temporibus, cum in omnibus civitatibus ordinarium quasi curatorum munus videtur fuisse, commemorari tamen quinquennales. Nam eorum mentio fit in lege Constantini ann. 321 lata in Theod. Cod. XIII, 3 (de medic. et profess.) 1, ubi sic est: *Medicos, grammaticos et professores alios litterarum immunes esse cum rebus, quas in civitatibus suis possident, praecipimus et honoribus fungi: in ius etiam vocari eos vel pati iniuriam prohibemus, ita ut, si quis eos vexaverit, centum milia numorum aerario inferat, a magistratibus vel quinquennalibus exactus*, quae eadem lex, sed cum aliis rebus mutatis, tum magistratibus et quinquennalibus sublatis iudiceque substituto translata est in Iust. Cod. X, 52 (de prof. et med.) l. 6. Qua lege qui commemorantur quinquennales, esse eos ipsos, de quibus disputatio nostra instituta est, ostendit extrema, quae mihi nota sit, quinquennalium memoria, quae reperitur in diplomate Ravennate saeculi quinti apud Marin. pap. diplom. n. 84, in quo *Flavius Proiectus* appellatur quinquennalis et iterum magistratus; itemque et idem homo et

alii *quinquennales et idem magistratus* vocantur in alio diplomate apud eund. n. 74; denique in duobus aliis n. 115 et 116 *defensor, magistratus quinquennalis cunctusque ordo civitatis Faventinae* recensentur. Ubi cum quinquennalitas coniuncta reperiatur cum IIviratu, id quod omnino eius proprium fuisse diximus, quin hic ipse, de quo disputamus, magistratus intelligendus sit, non potest esse dubium.

Equidem curatores et numero et muneribus et potestatis spatio ab quinquennalibus sive censoribus prorsus diversos esse censeo. Primum enim cum quinquennalium praecipuum munus fuisse docuerimus legendorum decurionum, idem habuisse curatores nullo pacto potest demonstrari. Nam quae ea de re disputat Marquardt. l. l. p. 945, levissima esse intellige. Nititur ille inscriptione Tarraconensi apud Grut. p. 389, 2 (Orell. n. 798), in qua Ti. Claudius Candidus, homo nobilis et summis honoribus conspicuus, appellatur *logista civitatis splendidissimae Nicomedensium*, quem Ti. Claudium Candidum cum putet esse eum, qui ann. 105 in fastis vocetur Ti. Iulius Candidus cos. II, quoniam necesse sit aliquanto ante logista Nicomedensium fuerit, colligit ex lege Pompeia, ex qua in Bithyniae civitatibus factos censores lectionem senatus habuisse Plinius in epistolis X, 84 et 113 et 114 narrat, fuisse logistam et quinquennalem et censorem censoriaque potestate legendorum decurionum usum esse. Qua in disputatione et queror sumptum esse a principio, quod demonstrandum erat, logistarum et censorum idem esse munus (poterant enim in eadem civitate diversi magistratus et censorum et logistarum esse) et vix concedendum esse censeo, quod de Ti. Claudio Candido coniicit, cuius titulum qui diligentius consideraverit, quin longe inferioris aetatis esse debeat, non dubitabit. Nec verum est, quod in hac re virorum doctorum opiniones consentire ait; Marinius quidem Act. fratr. Arv. p. 192, ubi de Iuliis Candidis disserit, nihil eiusmodi habet. Aliam autem nullam causam ab eo afferri video; nam quod eo pertinere ait formulam inscriptionis Graecae Ephesiae apud Boeckh. Corp. Inscr. Graec. n. 2987ᵇ δοθέντα λογιστὴν ὑπὸ θεοῦ Ἁδριανοῦ τῇ φιλοσεβάστῳ γερουσίᾳ, id eo potius refero, quod dederit imperator logistam ad ea munera curanda, quae cum senatus Ephesiorum propria essent, difficile tamen ab eo sine maiore auctoritate peragi posse viderentur. Nimirum curator civitatis si non curat senatus lectionem, quid tandem curat? Id arbitror, in quo quinquennales versatos esse supra negavimus, ut reditus publicos tueretur. Docet hoc primum nomen, λογιστής, quo curatores graece appellari solent; sic enim et est prorsus in Iust. cod. 1, 54 (de modo mult.) 3, et multa demonstrant alia argumenta. Vide Marquardt. l. l. p. 938. Latineque idem munus *ratiocinatio civitatis* dicitur in Dig. 27, 1 (de excusat.) 15, 7. Deinde satis multa expressa ea de re sunt ICtorum testimonia. Velut in Dig. L, 4 (de muneribus) 18, 9 est: *Sed et curatores, qui ad colligendos civitatum publicos reditus eligi solent, personali muneri subiunguntur*, velut Ulpian. in Dig. L, 8 (de administrat. rerum ad civ. pertin.) 3, 1 sic ait: *Praedium publicum in quinque*

annos idonea cautione non exacta curator reipublicae locavit, et complura imperatorum Antonini et Veri rescripta ad curatorem civitatis pertinentia, citantur in Dig. tit. eod. l. 9, ex quibus prorsus intelligas, eum et agros publicos ac pecuniam collegisse et bona, quae ordini placuisset, distraxisse. Eodemque referendum, quod Paulus ait in Dig. XXXIX, 3 (de damno infecto) 46: *Ad curatoris reipublicae officium spectat, ut dirutae domus a dominis extruantur.* Pluraque alia legum testimonia et a Rothio de re municipali p. 98, prudenter prorsus de curatoris muneribus disputante, et a Marquardtio l. l. p. 941 afferuntur, ut hoc constet, curatorem reipublicae reditibus publicis praefuisse. Quamquam quantum ei in hac re permissum fuerit, non una universa lege, sed cuiusque municipii propria constitutum erat. Nam memorabilis locus est Ulpiani in Dig. XLIII, 24 (quod vi aut clam) l. 3, 4 *Plane si praeses vel curator reipublicae permiserit in publico facere, Nerva scribit, exceptionem locum non habere, quia, etsi ei locorum publicorum procuratio data est, concessio tamen data non est. Hoc ita verum est, si non lex municipalis curatori reipublicae amplius concedat.* Unde in aliis civitatibus plus, in aliis minus licuisse discimus. Sed commune erat in omnibus, ut, quae ad pecuniam et reditus publicos pertinerent, tractarent.

Nec modo muneribus curator diversus erat a quinquennale, sed etiam numero. Nam quinquennales cum supra demonstratum sit semper fuisse bines, curatorem semper video fuisse unum, idque secundum originem muneris, quam deinde explicabo, consentaneum esse censeo. Cuius rei primum certum est testimonium de logistis, quos eosdem esse constat ac curatores, in inscriptionibus aliquot Graecis. Nam in Boeckhiano Corp. Inscr. Graec. n. 2349 cum Andri, n. 3771 et 3773 cum Nicomediae aliquid actum esse narratur λογιστεύοντός τινος, prorsus contra rationem est, non de uno, sed de duobus curatoribus cogitare. Quare sic etiam curatores singulos in singulis urbibus fuisse existimabimus, itaque ICterum locos, quos modo attulimus, explicabimus. Nec si Ulpianus scribit curatorem permisisse in publico facere, dicere ita potuit, si bini essent, quoniam ex vetusto et semper observato more Romano tum denique aliquid valet, cum non ab altero utro, sed ab utroque magistratu iubetur. Sed etiam in Latinis inscriptionibus satis certa documenta inveniuntur. Ut in illustri tabula, qua clientela coloniae Zamensis ad Q. Aradium Valerium Proculum delata est, apud Grut. 364, 1, egisse narrantur, quorum nomina ipsa adduntur, primum C. Mucius Brutianus, curator reipublicae, deinde decem primi, in quo decreto, si bini essent in singulis civitatibus curatores, utrumque certe nominari oportebat. Itaque etiam opera publica facta esse narrantur ab uno semper curatore, ut in colonia Faliscorum apud Grut. p. 288, 1 aliquid curante Tyrio Septimio Azizo, curatore reipublicae, et duo tituli sunt Pisaurenses apud Oliver. Marm. Pisaur. n. 4 et 22, in quibus Pisaurensis respublica Herculi et Victoriae aliquid posuisse dicitur *curam agente C. Iulio Prisciano, viro egregio, ducenario, curatore rerum publicarum Pisaurensis et Fanestris.* Hic

autem lapis etiam ideo est memorabilis, quod docet in curatore reipublicae licuisse, quod in nullo alio magistratu municipali licuit, ut unus homo posset esse eodem tempore in compluribus civitatibus. Quod etsi etiam ex aliis titulis, qui deinde afferentur, colligi potest, ex hoc tamen est manifestum. Apertior vero etiam est titulus apud Grut. p. 214, ubi cum in municipio Caeritum Vesbinus, Aug. lib., ann. 113 p. Chr. a decurionibus petisset, ut sibi locus publicus daretur, quo loco phretrium Augustalibus aedificaret, decuriones et dare constituerunt et ad Curiatium Cosanum curatorem (i. e. opinor, reipublicae, etsi nihil additur) scripserunt petentes, ut decretum suum confirmaret. Quo tempore etsi nondum perpetuos fuisse puto rerum publicarum curatores, sed ad certa tempora constitutos, unum tamen fuisse et quid ipsa curatoris ratio ferat, apparet. Similiterque prorsus titulus Perusinus tempore Caracalli positus apud Orell. n. 3739 decretus narratur a decurionibus Perusinis *curatore* aliquo, cuius nomen periit, et in titulo Sardiniensi apud de la Marmor. Itin. Sard. Vol. ii p. 479 n. 34 procurator aliquis templum aliaque opera aedificasse *curante L. Magino Fulviano tribuno militum curatore reipublicae;* et in Siculo coloniae Tyndaritanae apud G. Henzen. in Bullett. Inst. arch. ann. 1845 p. 59 in simillima causa unus curator nominatur, et in Asculano apud Mur. p. 468, 6 *balneum vi ignis combustum* dicitur esse restitutum *curante P. Acilio Domoro, curatore reipublicae*, et in Puteolano apud Mur. p. 354, 1 (Orell. n. 3767) locus statuae ponendae *datus ex auctoritate Flavii Longini, clarissimi viri, curatoris reipublicae* [1]. Atque ex ipsis his, quas citavi, inscriptionibus, et Graecis et Latinis, etiam hoc colligimus, annuum fuisse curatorum munus. Videtur enim aliquid addi debuisse, si aliud ac ceteri magistratus muneris spatium haberent curatores. Accedit, quod, cum infra multos homines nobiles allaturi simus, quorum in mediis honoribus etiam hoc ponatur, quod curatores fuerint, vix videntur tantum habuisse otii, ut plus quam annum in tam exiguam rem conferre possent. Itaque potuit etiam fieri, ut aliquis hunc magistratum repeteret, idque factum esse docet Grut. p. 381, 1.

Superest, ut curatores a quo fieri consuoverint, explicemus, quod ut recte instituamus, pauca de origine eorum praemittenda sunt. Segregandi primum ab his, de quibus dicturi sumus, curatoribus illi, qui a civitatibus ipsis certae alicuius rei curandae causa fiebant. Ut enim Romae constat curatores plurimos a senatu vel ab imperatore lectos et aedificiis et viis et aliis operibus publicis vel extruendis vel tuendis praefuisse, sic etiam in municipiis multi erant multarum rerum curatores a decurionibus lecti. Ex quo genere pauca significare satis

1) C. Hegelius vero in historia rerumpublicarum Italiae Vol. 1 p. 46 fallitur cum ex Dig. L, 8 (de admin.) 9, 8, ubi de *collega curatoris* dicitur, colligit plures fuisse curatores; ibi enim non de his, de quibus nunc disputatur, rerumpublicarum curatoribus, sed de operum publicorum curatoribus agitur, de quibus paulo post dicemus.

erit. Nam si Allifis apud Grut. p. 417, 3 (Orell. n. 3887) M. Granius Cordo appellatur *IIvir tertium quinquennalis, aedilis, quaestor, curator aquae ducendae*, quia hominem apparet, antequam honores adeptus est, curatorem fuisse, nemo certe, quin a decurionibus factus sit, dubitare potest. Itaque etiam homines nullis honoribus functos tales curatores fuisse invenimus. Ut Mediolani apud Grut. p. 43, 11 et 12 (Orell. n. 4000) L. Geminius Messius VIvir dicitur *curator aerarii*, quae cura non multum a quaestura videtur diversa fuisse, Casini apud Mur. p. 1036, 6 (Orell. n. 4001) M. Rubrius Proculus Augustalis *curator annonae*. Atque hi quidem, quos dixi, ingenui certe erant, sed aliquando etiam libertinum tali munere functum esse reperio, ut apud Orell. n. 4491 *Q. Obsequentius Severinus*, quem nomen ipsum coloniae Pisanae libertum fuisse ostendit, vocatur *Augustalis Pisis, curator kalendarii Florentinorum*, quem honore longe superabat, qui in civitate aliqua Marsorum apud Orell. n. 3940 vocatur *curator kalendarii, omnibus oneribus honoribusque perfunctus*. Imprimis autem in hoc genere memorabilis est titulus Sutrinus apud Orell. n. 3807. Sed plerumque tamen vel post honores expletos vel inter bonorum cursum talia munera administrari solebant. Sic apud Grut. p. 435, 8 (Fabrett. 368, 130; Orell. n. 2155) L. Marculeius Saturninus, veteranus ex cohorte VII praetoria, IIIIvir iuri dicundo et quaestor, dicitur *curator pecuniae reipublicae alimentariae, curator annonae plebis, curator operum publicorum, curator apud Iovem Statorem*, apud Orell. n. 3265 Telosiae C. Minucius Thermus *pr. IIvir bis aquae curator q. II. quinq.* cet., apud Mur. p. 181, 7 (Orell. n. 2391) Praeneste ann. 243 p. Chr. P. Acilius Paullus *VIvir Augustalis, quaestor coloniae, aedilis, IIvir, flamen Divi Augusti, curator annonae, curator muneris publici, curator kalendarii*, in eademque civitate apud Grut. p. 483, 9 D. Velius Trophimus *sevir Augustalis, curator muneris publici*, quam titulum ideo attuli, ne quis Scaligero male interpretanti credat, apud Grut. p. 355, 3 Sutrii M. Anteius Restitutus *aedilis, augur, curator pecuniae publicae*, apud Grut. p. 1092, 7 (p. 386, 4; Orell. n. 3908) Ameriae L. Casurius Speculator *aedilis, IIIIvir iuri dicundo, quaestor arcae publicae et pecuniae alimentariae, defensor reipublicae, curator annonae publice praebitae*, apud Marin. Inscr. Alb. p. 56 (Orell. n. 2204) Ostiae L. Licinius Herodes *decurio, quinquennalis IIvir, curator operum publicorum, quaestor aerarii, aedilis*, apud Mur. p. 700, 8 Neapoli C. Fictorius Firmus *aedilis, quaestor, IIvir, curator operum publicorum, curator . . . .*, apud Grut. p. 489, 12 (Orell. n. 2532) Praeneste Cn. Voesius Aper *quaestor, aedilis, IIvir, VIvir Augustalis, curator annonae triennio continuo, curator muneris publici gladiatorii III*, cui statua ponitur, quod tempore honorum *curarumque* maximam munificentiam in coloniam suam exhibuerit. Maxime memorabilis etiam titulus ille Ostiensis est saepius a nobis supra citatus P. Lucilii Gamalae, qui, postquam reliqui honores municipales commemorati sunt, appellatur *curator pecuniae publicae exigendae et adtribuendae*. Ex his alios in aliis civitatibus cu-

ratores fuisse intelligimus, prout cuiusque ratio postulabat; nam qui Venusiae apud Lupul. Itin. Venus. p. 322 commemoratur L. Paccius Priscus ***aedilis, IIvir quinquennalis, curator muneris Catiniani***, aut Diae Vocontiorum apud Grut. p. 484, 2 (Orell. n. 3725) Sex. Vencius Iuventianus ***flamen et curator muneris gladiatorii Villiani***, aut qui Tibure ***curatores fani Herculis Victoris*** (ut apud Mur. p. 176, 4 (Orell. n. 2206), apud Orell. n. 2761, apud Grut. p. 1097, 7, apud Grut. p. 424, 8), aut qui Aquis Sextiis apud Mur. p. 741, 8 ***tabularum publicarum curator***, aut qui in Curubitana colonia Africae apud Maff. Mus. Ver. p. 463, 3 (Donat. 346, 6; Orell. n. 530) ***curator alimentorum distribuendorum***, aut qui Mediolani complurium rerum curatores appellantur apud Grut. 393, 7, hos earum, in quibus commemorantur, civitatum proprios fuisse apparet. Haec sunt ***munera*** illa, de quibus praecipitur in Digestorum titulo de muneribus et honoribus (L, 4), in cuius lege 1 satis dilucide genera ipsa munerum recensentur, hi curatores illi, de quorum nonnullis dicitur in titulo Dig. de operibus publicis (L, 10), omninoque per totum illum librum plurima, quae ad hos pertineant, commemorantur. Hoc curatorum genus a decurionibus creari consuevisse certissimum est vel eo, quod reliquis magistratibus municipalibus in Digestis prorsus aequantur. Spatia munerum ipsa res ferebat, ut alia essent in alia re et in alia civitate. Nam qui munus gladiatorium aut certum aliquod opus publicum aedificandum curabat, eum apparet tamdiu fuisse curatorem, dum perfecto eo, cui praefuerat, rationem reipublicae reddidisset; reliquos curatores fere annuos fuisse existimo; ea enim plurimorum apud veteres munerum ratio erat. Verumtamen, ut, cum turbae aliquae et contentiones civiles incidissent, praefectos nonnunquam pro IIviris et quinquennalibus ab imperatoribus datos esse superiore commentatione exposuimus, sic etiam fieri poterat, ut curator talis aliquando non solita ratione a decurionibus crearetur, sed ab imperatore daretur. Primum eiusmodi exemplum, quantum equidem inveni, est in inscriptione Nolana apud Grut. p. 1092, 4, ubi ***Q. Caesius Fistulanus*** vocatur ***curator operum publicorum datus a divo Augusto Vespasiano, aedilis, quaestor, IIvir.*** Quem hominem videmus, cum honores omnes municipales gessisset, ab imperatore operibus publicis Nolae esse praepositum. Nimirum praecessit Vespasiani imperium triste illud bellum civile, quo magna pars Italiae vastata est, quo cum etiam Nola afflicta esset, imperator, ut nobilem ac vetustam coloniam recrearet, ipse videtur aliquem misisse, qui suo loco operibus publicis restituendis praeesset. Magnam enim Vespasiani liberalitatem in municipiorum calamitatibus adiuvandis fuisse et legimus apud Sueton. Vesp. c. 17 et ex aliis multis rebus constat; atque ipsam adeo Nolam ab eo auctam et ornatam esse inde colligi licet, quod Frontin. de coloniis apud Lachm. Gromat. veteres p. 236 Nolam ab eo deductam esse narrat. Munere autem tam diu functus est hic curator quam diu placuisset imperatori, nullo, opinor, certo spatio praefinito. Nec dubium est, quin hoc exemplum alii imperatores imitati sint. Nam apud Grut. p. 441, 5 (Lupul. Itin. Venus. p. 318;

Orell. n. 3263 et 4006) C. Neratius Proculus, qui in Aeculanensi colonia omnibus honeribus functus ipsam etiam quinquennalitatem gesserat, vocatur *curator operum publicorum Venusiae datus ab Divo Hadriano*, *curator kalendarii reipublicae Nolanorum datus ab imperatore Antonino Augusto Pio.* Qui homo, si tunc certus et erdinarius esset Aeclani curator reipublicae eenstitutus, sine dubie in patria potius sua, in qua reliquos honeres gesserat, curator esset factus; nunc, qued fidem ei haberent imperatores pater et filius, ab illo operibus publicis Venusiae, ab hoc kalendario Nolae extra ordinem praefectum esse video, vel quod rogati erant imperateres, ut per certos bomines eas reipublicae partes emendandas curarent, vel quod, ques ipsi in eas sumptus fecerant, recte collocari volebant. Etenim, qued sane memerabile, ipso Antonine Pie imperante Aeculani fuisse curaterem kalendarii scimus ex inscriptione apud Grut. p. 446, 7, ubi P. Otacilius Rufus, bomo municipalibus honoribus ornatus et ab Hadriano equo publico donatus, appellatur *curator kalendarii reipublicae Aeclanensium electus a Divo Pio.* Eiusdemque generis est ille inferieris paulo temperis *curator kalendarii Amerinorum*, *datus* ab aliquo imperatore, homo item municipali modo dignitate insignis apud Grut. p. 1091, 7.

Diversi autem ab bis curatoribus, qui partes reipublicae tuebantur, sed ab simili tamen origine deducendi erant *curatores reipublicae*, quorum primum exemplum Traiane imperante invenitur. Nam si qua in civitate imperater redituum publicorum rationem, quae imprimis calendario et eperibus publicis, ut supra demenstratum est, continebatur, emendare vellet, curatorem extra erdinem eligebat, qui reipublicae dicebatur, municipalem fero heminem, qui ratienes eius civitatis, cui praefuturus erat, usu nesset. Sic apud Grut. 392, 7 P. Clodius Sura, qui Brixiae cum alios honores gesserat, tum IIviratum quinquennalem, *curator reipublicae Bergomatium datus ab imperatore Traiano*, *curator reipublicae Comensis datus ab imperatore Hadriano* appellatur. Hec titule rectissime uti possunt, qui quinquennales a curatoribus diverses esse demonstrare manifesto argumento cupiunt; etenim ille si in tribus tam vicinis civitatibus, in prima IIvir quinquennalis erat, in duabus reliquis curater, non video, quo pacto quinquennalitas nen diversa esse debeat a curatoribus. Similis est Beneventanus bomo C. Octavius Modestus apud Grut. p. 444, 5, qui gestis in patria sua boneribus fuisse dicitur *curator reipublicae Aecanorum*, *item honoratus ad curam kalendarii reipublicae Canusinorum a divo Traiano Parthico et ab imperatore Hadriano Augusto*, itemque Beneventanus C. Ennius Firmus, municipalis bomo, *curator operis thermarum datus ab imperatore Caes. Hadriano Aug.* apud Orell. n. 3264 et 4011, et Histeniensis apud Grut. p. 332, 3 (Mur. p. 653, 4; 1109, 4) L. Valerius Pudens *curator reipublicae Aeserninorum*, *datus ab imperatore optimo Antonino Aug. Pio*, et M. Oppius Secundio apud Donium p. 155, 4 *curator municipii Numanotis — curator reipublicae Attidiatis*, *curator Casuentinis ad agros dividen-*

dos datus ab imp. Caes. Antonino Aug. Pio. Ad eandemque civitatem Attidiatem pertinet inscriptio in Bullett. Inst. arch. ann. 1845 p. 132, in qua C. Caesius Silvester, equestris dignitatis homo, dicitur *curator..... Umbriae et Piceni datus* (ab Imp. An)*tonino Aug. Pio.* Imperatorem M. Aurelium Capit. c. 11 tradit *curatores multis civitatibus, quo latius senatorias tenderet dignitates, a senatu dedisse* i. e. cum antea imperatores equestris, ut intelleximus, dignitatis homines curatores dedissent civitatibus, illum senatoribus saepe eam curam detulisse. Ac cum hoc a Capitolino narretur inter alia multa, quae M. Aurelius ad emendandam urbis et municipiorum condicionem instituerit, ab hoc primum imperatore frequentius usurpatum esse iudico, quod rarius priores fecerant principes, praesertim cum Aurelio imperante ingentes calamitatas et bellorum et pestilentiae Italiam totam vastarent. Quamquam quod ait, non semper observatum esse intelligo. Nam etsi et senator et summis honoribus conspicuus est P. Aelius Coeranus *curator civitatium Antiatium et Aquinatium* apud Marin. Act. fratr. Arv. tab. 60, item M. Flavius Proculus *curator reipublicae Aquinatium* apud Passion. Inscr. Cl. II n. 4, item illi curatores civitatium, qui sunt apud Mur. p. 364, 2 et p. 768, 8, item denique fortasse avus Pescennii Nigri, quem Spartian. c. 1 tradit curatorem fuisse Aquini, equestri tamen dignitate erat C. Veianius Rufus, *curator reipublicae Plestinorum*, apud Mur., p. 755, 1, et L. Postumius Fuscinus, *curator reipublicae — datus ab Augustis Severo et Antonino* apud Grut. p. 306, 3 (p. 458, 8), et L. Dentusius Appoculenus *curator Tif. Mct. datus ab imperatoribus Severo et Antonino Augustis* apud Maff. Mus. Ver. p. 362, 9 (Orell. n. 3902).

Atque haec quidem fuit origo curatorum reipublicae, quam secundum eas potissimum inscriptiones persecuti sumus, in quibus additur, a quo imperatore civitatibus dati sint. Ex qua ipsa re, quod datos esse ab imperatore adiicitur, colligendum esse existimo, quamdiu hoc adiectum inveniatur, non consuetum et ordinarium fuisse curatorum magistratum, sed extra ordinem ad certas aliquas calamitates sublevandas institutum. Etsi enim intelligo, quo pacto accidere possit, ut omittatur mentio imperatoris, qui curatorem dederit (ao sic videtur fieri in illustri titulo apud Grut. p. 457, 2 M. Pontii, qui imperante M. Aurelio dicitur fuisse *curator civitatis Arausionis provinciae Galliae Narbonensis*, itemque iudicarem de altera inscriptione apud Mur. p. 1099, 6, in qua imperante M. Aurelio commemoratur *curator civitatis Romulensium Maurensium, curator coloniae Ariensium*, si eam inscriptionem satis fida dignam esse arbitrarer): verum quamquam hoc videtur potuisse praeteriri cum aliam extraordinarius esset curatorum magistratus, postquam solebant per certa temporis spatia mitti in civitates ab imperatoribus curatores, nego potuisse in singulis addi, datos eos esse ab hoc vel illo imperatore. Quod qui legit, necesse est inducatur, ut peculiare hoc genus curatorum fuisse putet. Accedit, quod ultimus imperator, a quo curatores civitatibus dati esse inveniantur in inscriptionibus Latinis, est Septimius Severus, cum constet postea et plures etiam fuisse ac per omnia

municipia reipublicae curatores et ab imperatoribus consuevisse fieri. Quare sic statuo, postquam ordinarius coepit esse curatorum reipublicae magistratus, desisse notari, a quo imperatore dati essent. Nimirum placuit novus hic magistratus, qui et quia ab imperatore constituebatur, maiore quadam potestate praeditus facilius, quae laborare intellexisset, emendare posset, nec necessario ex decurionibus esset eligendus. Illa autem pars reipublicae, cui praeerat, id est redituum et operum publicorum ratio, quo magis vires universi imperii labi coeperunt, eo gravius corrupta ac perdita est, ut a veteribus atque usu quasi detritis magistratibus vix amplius satis praesidii peti posset. Itaque vel Septimius Severus, cum superatis imperii aemulis, quae vi atque armis subegerat, pace componere conaretur, vel Alexander Severus, a quo plurima salubriter in administranda republica constat esse inventa, ordinarium ac per certa annua spatia eligendum instituit curatorum magistratum. Nam infra Alexandrum Severum ideo non potest curatorum reipublicae perpetuitas detrudi, quia Ulpianum constat scripsisse librum de officio curatoris reipublicae, ex quo libro haec supersunt fragmenta in Dig. XXII, 1 (de usuris) l. 33, qua de pecuniis publicis a curatore recte collocandis praecipitur, L, 10 (de operibus publicis) 10, quae de cura operum publicorum est, L, 12 (de pollicitationibus) 1, quae est de operibus privato sumptu faciendis, L, 9 (de decretis ab ord. fac.) 4, quae praefuisse curatorem decurionibus docet. Quem librum ideo ille videtur scripsisse, ut novum tunc necdum ex vetustis temporibus traditum magistratum constitueret, et quae res ad officium eius pertinerent, definiret. Nec vero praeceptum, ut aut senatorii modo ordinis viri aut soli equites Romani quique municipales honores gessissent, curatores fierent, sed ut veteribus temporibus municipales honores saepe ad summos et principes in imperio viros deferri videmus, sic etiam curatores invenimus esse aut viros summis Romae honoribus conspicuos, aut equestris dignitatis viros, sui municipii honoribus contentos. Sed in his tamen observari videmus, quod cum coeptum esset negligi, rursus sanxit imperator Constantinus ann. 331 (in Theod. Cod. XII, 1 de decurion. l. 20), ut is demum crearetur reipublicae curator, qui reliquos civitatis suae honores explesset. Ex illo genere, ut exempla nonnulla afferam, fuerunt M. Marius Titius Rufinus, vir consularis, qui apud Grut. 436, 7 *curator coloniae Claudiae Augustae Agrippinensium*, deinde *curator Amerinorum* appellatur; Sex. Aurelius Terentianus, vir clarissimus, *curator Graviscanorum et Interamnatium Nartium*; L. Ranius, vir consularis, curator reipublicae Nolanorum apud Grut. p. 463, 3 et 4; L. Iulius Iulianus, item summis honoribus conspicuus, qui apud Grut. p. 422, 7 *curator civitatis Interamnatium Nartium* vocatur; T. Claudius Candidus, vir consularis, inter cuius honores apud Grut. p. 389, 2 etiam hic ponitur, quod *curator civitatis Teanensium* fuerit; P. Aelius apud Grut. p. 347, 4, senatorii ordinis vir, *civitatium Volmerii et Petovii curator*; C. et L. Caesonii Macri, summa dignitate viri, apud Grut. p. 381, 1 et 2, quorum prior imperatore Severo Alexandro *curator*

reip. Lanivinorum II, tum *cur. reip. Teanensis*, tum *cur. reip. Tarricinensis* fuisse narratur, alter *cur. reip. Tusculanorum* et *cur. reip. Suessanorum*; L. Fabius Cilo, cos. II ann. 204 p. Chr., qui apud Grut. p. 407, 1 *cur. reip. Nicomedensium, Interamnatium Nartium, item Graviscanorum* dicitur; Q. Rufius Lollianus, cos. ann. 211 p. Chr., qui *curator splendidissimae coloniae Puteolanorum et Veliternorum* vocatur apud Grut. p. 404, 6 (p. 417, 5; Cardin. Inscr. Velit. p. 84); T. Clodius, vir consularis, qui in titulo Tiburtino, quem edidit Lud. Grifius in Diurn. Arcad. ann. 1846, 4 p. 275, vocatur *curator reip. Beneventanorum, cur. reip. Leptitanorum et Tripolitanorum, cur. reip. Catinensium*, quas omnes curas ante praeturam administravit; M. Rubrenus Verius Priscus, consul anno incerto, qui apud Mur. p. 360, 2 (p. 1110, 6) *curator coloniae Minturnensium, curator coloniae Formianorum* appellatur; Comestius Paulinus, qui apud Mur. p. 1057, 2 *curator reip. splendidissimae civitatis Mars. Marr.* videtur vocari; L. Marius Maximus, vir consularis, qui apud Mur. p. 397, 4 *curator reip. Faventinorum*; C. Passienius Cossonius, vir clarissimus, qui apud Mur. p. 728, 2 *curator reip. Sutrinorum*; C. Luxilius Sabinus, vir clarissimus, *curator rerum publicarum Pisaurensis et Fanestris* apud Grut. p. 433, 1 (Orell. n. 3143); C. Caelius Censorinus, qui apud Mur. p. 1029, 8 *curator splendidae Carthaginis*; Servius Calpurnius Domitius Dexter, cos. ann. 225 p. Chr., qui (*curator*) *reipublicae Minturnensium, Hispellatium, item Calenorum* appellatur in titulo, quem Kellerm. in Bullett. Inst. ann. 1833 p. 64 edidit; duo viri clarissimi, *curatores reipublicae Beneventanorum* apud de Vitam thes. antiq. Benev. I p. 139; Q. Petronius Melior, consul imperante Alexandro Severo, qui *curator rerum publicarum Tarquiniensium et Graviscanorum* dicitur apud Car. Feam in Bullett. Inst. arch. ann. 1830 p. 198. In altero genere curatorum, qui equestri dignitate essent, pono haec exempla, L. Lucceium Hiberum *curatorem reipublicae Interamnatium Lirinatium*, apud Grut. p. 431, 7, qui IIvir quinquennalis in patria sua Casini fuerat; Q. Spurinnam Quintianum, equitem Romanum equo publico, apud Grut. p. 1039, 7 (Mur. 1094, 2), *curatorem calendarii plebis Arretinae, curatorem reipublicae Vetulonensium*; C. Vibium Gallum Proculeianum, qui anno 205 *curator reipublicae Vettonensium* dicitur apud Vermigl. Inscr. Perus. p. 404 n. 12 (Orell. n. 95; Grut. 464, 1 et 487, 2 et 1102, 7) et incerti aliquem nominis apud eund. l. l. p. 394 n. 6 (Orell. n. 3739); C. Faesellium Rufionem, equitem Romanum, apud Grut. p. 1094, 2, *curatorem reipublicae Forodruentinorum*; C. Galerium Iulianum, item equitem Romanum, apud Grut. 1095, 2, *curatorem Sarsinatium, curatorem Solonatium*; C. Urbium Proculeianum apud Grut. 1102, 7, *patronum et curatorem reipublicae Veronensium*; P. Acilium, *curatorem reipublicae Asculanorum* apud Mur. p. 468, 6; Caecilianum, *curatorem reipublicae* apud Mur. p. 472, 8; Vesenum Frontinianum, *curatorem reipublicae Sestinatis* ann. 375 p. Chr. apud Mur. p. 386, 5; L. Alfium Valentinum, apud Mur. p. 1104, 7, *curatorem reipublicae coloniae Casinatium*; Veratium Severianum, equitem Romanum, *curatorem reipublicae Tegianensium* apud Grut. p. 484, 6; M.

Bassseum Axium, incertae *reipublicae curatorem* apud Grut. p. 374, 5 (Gervasium Osservaz. intorno alcune antiche iscrizioni p. 2); P. Turcium Severum, *IIvirum* et *curatorem reipublicae Interamnatium Lirinatium*, apud Mur. p. 1104, 8; C. Clodienum Serenum, equitem Romanum, *curatorem reipublicae Foro Corneliorum*, apud Mur. p. 1047, 4; Q Albinium Secundinum, equitem Romanum, *curatorem reipublicae Parmensis*, apud Mur. p. 1067, 4; M. Antonium Pelagianum, *curatorem reipublicae et patronum Petellinorum*, apud Mur. p. 1069, 4; L. Tullium Verum, *curatorem reipublicae Sestinatis* apud Mur. p. 860, 3 (cf. p. 1094, 1); P. Vegellium, *curatorem reip. Trebanorum* apud Mur. p. 652, 1; *curatorem reip. Privernatium* apud Mur. p. 1115, 2; L. Licinium Valentem, *curatorem reip. Nolanorum* apud Grut. 469, 9 (Orell. n. 3903); C. Valerium Marianum, *curatorem reip. Mantuanae* apud Grut. p. 479, 6 (Orell. n. 3905); aliosque complures, quibus et statim utemur, cum diversos eos fuisse a quinquennalibus dicemus, et supra usi sumus p. 149 [1]).

1) Poteram multos alios reipublicae curatores afferre, si omnibus, quos inscriptiones Latinae suppeditant, uti voluissem, sed exempla quaedam ipsorum generum citare satis videbatur. Sunt autem quaedam etiam fraudulenter ementita, in quibus numero etiam Mur. p. 368, 3, ubi Iunius Priscillianus, curator Laurentium Lavinatium est. Ea consulto omisi: sed hoc addo insignem mihi fraudem visam esse apud Gud. p. 40, 5, ubi Ligorius cum alia quaedam quinquennalium genera, tum curatorem quinquennalem invenit. Nonnunquam etiam alia cautio adhibenda, ne decipiamur. Nam, quos sibi in quattuor titulis Helveticis invenire videbatur curatores coloniae Orell. Collect. Inscr. n. 366, 368, 369, 370, ii magnopere dubito an potius curatores collegii intelligendi sint. Quodsi quis tantam iis, qui descripserunt, fidem habendam esse putet, ut de curatore coloniae, qui in tribus titulis commemoretur, credat, qui certo bini curatores nominantur n. 368, eos libertini generis cum fuisse videam, ad honores municipales admitti non potuisse certum est. Et quoniam semel hoc agimus, ut, quae minus recte ab aliis constituta esse videamus, emendemus, etiam Marin. Act. fratr. Arv. p. 786 falli arbitramur dicentem curatores reipublicae eosdem aliquando appellari procuratores. Ii omnes, quos affert Marinius, aut minus recta interpretatione efficiuntur aut parum certis vel aperte ementitis inscriptionibus nituntur. Nam apud Grut. p. 371, 8 *adiutor procuratorum civitatis Senonum*, *Tricassinorum*, *Meldorum*, *Parisiorum et civitatis Aeduorum* erat adiutor potius procuratorum Caesaris, qui sicut modo provinciarum modo regionum sunt, ita in Galliis veteri more appellantur ex civitatibus, in quibus reditus imperatoris administrant. Nec certe unus aut curator aut eius adiutor omnium rerum publicarum, quae in tot civitatibus Gallicis erant, esse potuit. Tum apud Grut. 445, 8, qui titulus sola Panvinii auctoritate nititur, et apud Grut. p. 485, 5 et apud Spon. p. 58 et apud Mur. 1100, 2 fraus satis aperte proditur; nam ultimus ascriptum habet Ligorii auctoris nomen. Relinquitur apud Fabrett. p. 689, 108 (Grut. 1066, 9), ubi quod PROC. K. est, iam Fabrettius interpretans de procuratore calendarii singulare prorsus esse dixit. Equidem cum item in inscriptione Romana apud Mur. p. 889, 8 (ex Malvas. Marm. Fels. p. 522; Orell. n. 1008) esse videam *Aurelius Hermas Aug. lib.* PROC. K., primum hoc prorsus perspicio non dici de illo curatorum reipublicae genere, ad quod libertini homines non admittuntur,

Iam haec cum erigo fuerit curatorum reipublicae, ut primum cum aliquando epus esset, electi ab Imperatoribus ad levandas civitatum calamitates mitterentur, deinde paulatim ordinarii fierent magistratus, a que coepti sunt creari, in eiusdom potestate perpetue manserunt. Nam semper ab imperatoribus factos esse docuit Marin. Aot. fratr. Arv. p. 781, primum Philostorgii loco Hist. Eccl. III, 28, ubi Montius quidam Galle Caesari ait ne curatorem (λογίστην) quidem licere creare, nedum tollere praetorii praefectum, deinde ex Constantini lege in Theod. Cod. XII, 1 (de decur.) l. 20, ubi epistola vel codicilli imperatorii auferri iubentur, cum quis contra legem curator factus sit; tum ex Procopie bell. Goth. III, 6, qui aliquem ab imperatore procuratorem Neapolis factum esse narrat, deniquo ex Cassied. Var. VII, 12, qui aperte curatorem principis aucteritate delegatum esse commemorat.

Ex his, quae a nobis disputata sunt, quia curatorum reipublicae et eriginem et munera et nnmerum et muneris denique spatium alia esse intelleximus ac fuerunt quinquennalium, iam, quin diversi fuerint magistratus, vix video posse dubitari. Quodsi cui aliquid relinquatur dubitationis, omne eximotur, si eundem hominem in eadem civitate primum IIvirum quinquennalem, tum curatorem reipublicae fuisse inveniemus. Nam in Hispellati lapide apud Fabrett. p. 105, 250 (Mur. p. 155, 3) C. Matrinius Aurelius appollatur *aedilis*, *quaestor*, *duumvir iterum quinquennalis iuri dicundo huius splendidissimae coloniae*, *curator reipublicae eiusdem coloniae*, quo quid potest esse apertius? Item in titulo Potentiae reperto apud Mur. p. 173, 2 M. Helvius Clarus dicitur *aedilis*, *IIvir quinquennalis*, *flamen Romae et Divi Augusti*, *curator reipublicae Potentinorum*. Quare intelligemus a Constantino ea, quae supra allata est, lege, quinquennalitatem comprehendi honoribus ac muneribus, quibus in sua quemque patria functum esse iubet, qui curator reipublicae fieri velit. Constitit uterque iuxta bonos, alter quinquennalium a veteribus temporibus traditus ae mutato imperio universo paulatim imminutus, alter recens inventus ideoque, quia minus usu detritus erat, validior.

---

deinde ne de calendario quidem dici inde colligo, quod Romae inventus est lapis. Quare vere procurator aliquis imperatoria dicitur, nisi fallor, is, qui apud Fabrett. p. 198, 480 (Orell. n. 2972) *procurator castrensis* appellatur. Ita quod alioquin per ipsam significationem vocabuli procurator probari non posset, ne inscriptionum quidem Latinarum recte adhibitarum fide commendari videmus.

De
Quattuorviris municipalibus.

Duabus commentationibus superioribus cum eos municipiorum ac coloniarum magistratus illustravissemus, qui aut in necessitatibus quibusdam civitatum aut ad certa ac quasi extraordinaria munera obeunda fieri solerent, ut plena quodammodo magistratuum municipalium recensio exhiberetur, non videbatur esse praetermittendum, quin de iis quoque, qui perpetuis annuorum spatiorum vicibus summa cum potestate in civitatibus essent, diceremus. Neque enim de his non videntur quaedam posse disputari, quae ad universam Romanorum rem municipalem rectius intelligendam pertineant. Etenim summos municipiorum et coloniarum magistratus appellari constat aut IIviros aut IIIIviros, qui nulla re nisi numero ac nomine inter se differre putantur. Quare de potestate eorum qui disputaverunt, cum utrosque una ratione complecti consuessent, quod de alterutris invenerant, id ad utrosque referebant. Itaque Cai. Marinius in Act. fratr. Arv. Tom. II p. 780 de utrisque aequaliter, cum de potestate ac natura, quam a Bimardo in Murat. novo thesaur. Tom. I p. 115 et a Mazoch. in commentario ad Tab. Heracleens. p. 401 satis illustratam esse arbitraretur, disputare nollet, hoc breviter pronuntiavit esse certum, eos, qui IIviri vel IIIIviri simpliciter appellarentur, diversos esse ab iis, quorum nomen esset IIviri iuri dicundo vel IIIIviri iuri dicundo. Cuius iudicium tantum valuit, ut ea sententia, quamvis fere ambigue loquantur viri docti eaque maxime re laborent, quos esse dicant illos IIviros et IIIIviros, qui non appellentur iuri dicundo, nunc pro vulgari habenda sit. Cur autem numerus summorum magistratuum in aliis civitatibus fuerit binarius, in aliis quaternarius si quaeras, nihil fere certi apud eos, qui de re municipali veterum Romanorum scripserunt, reperias. Nam quod primus, quantum inveni, P. Manutius ad Cic. p. Sext. c. 8 et epist. VI, 18 quattuorviros municipiorum, duoviros coloniarum proprios esse significavit, id,

etsi a multis repeti solet, qui tamen diligentius veterum municipiorum monumenta perscrutati sunt, non prorsus verum esse statuerunt, quo in numero imprimis est Ever. Otto de aedilibus coloniarum et municipiorum ed. alt. p. 277 [1]). Quare artioribus quasi finibus constitutis Mazoch. ad tab. Heracl. p. 401 hoc sibi intelligere videbatur, in municipiis, quae aliquid sui iuris ac suae consuetudinis retinerent, aut IIviros aut IIIIviros summo magistratui praefuisse, in coloniis, quarum respublicae totae ad effigiem Romanae componerentur, sive appellarentur ex numero modo, sive aediles vel praetores nominarentur, binos semper summam potestatem obtinuisse, id quod ne ipsum quidem satis verum esse ex exemplis, quae infra afferentur, apparebit. Ac quoniam saepius etiam hoc fieri videbatur, ut in eadem civitate modo IIviri modo IIIIviri iuri dicundo commemorarentur, id, qui primus plurima optime in re municipali explicavit, Cardinalis Norisius de Cenotaph. Pisan. diss. I. c. 3 ita demonstrabat, ut initio IIviros creatos esse statueret, tum, ut civium ambitioni satisfieret, quae potestas antea binis hominibus commissa fuisset, eam per quaternos divisam esse arbitraretur. Quae quidem ratio minime mihi probatur. Nam si tanta erat in civitatibus ambitio, ut propter eam numerus summorum magistratuum amplificaretur, certe, quoniam eo maiorem esse oportebat ambitionem, quo quaeque civitas esset maior atque opulentior, hanc rationem esse necesse est, ut maioribus civitatibus IIIIviri, minoribus IIviri praefuisse inveniantur, id quod contra prope esse perspicio. Nam quae maxima et frequentissima per Italiam sunt oppida, in iis prope omnibus IIviros appellari reperimus. Denique nuper F. M. Avellinium, summum apud Italos rerum antiquarum arbitrum, nescio quo loco opusculorum variorum sic de municipiorum magistratibus statuere vidi, ut quot in quaque civitate sint, qui iuri dicundo praesint, totidem aediles esse existimet, quae observatio, etsi multum veri habere intelligetur ex iis quae infra disputabuntur, vix tamen ita probari poterit.

Sic igitur cum a viris magnis ac peritis, raro id ipsum agentibus, plerumque argumentorum explicatione omissa iudicantibus, disputari videremus de summis municipiorum et coloniarum magistratibus, ut eorum ratio intelligeretur, dudum de IIIIvirorum natura quaerere coepimus, non ut potestatem qua usi essent exponeremus (nam ea quaestio coniunctim de II

---

1) Quamquam parum cautionis etiam recentissimi de hac re scriptores adhibuerunt, ut Car. Hegelius in historia rerum publicarum Italiae Tom. I p. 8 novum nec a quoquam animadversum documentum, quo IIviros coloniis proprios fuisse intelligeretur, reperisse sibi videtur apud Cic. in Rull. II, 34 *Cum ceteris in coloniis IIviri appellentur, hi se praetores appellari volebant.* Quasi Cicero aut in municipiis item esse IIviros negarit aut non hoc voluerit, in quibus coloniis bini magistratus iuri dicundo praesint, in iis ex numero, non specioso aliquo titulo ex Romanae reipublicae more sumpto appellari.

viris et IIIviris suscipienda est), sed ut genus eorum ipsum atque originem inveniremus. Quare cum multis tentatis vix ullam viam inexpertam reliquissemus, qua, quae IIIvirorum monumenta extant, cum virorum doctorum de iis iudicio conciliarentur, hoc tandem devenimus, ut novam et veram rationem nobis invenisse videremur. Eam hac commentatione exponere statuimus.

Quam antequam persequamur, paucis refutanda est Cai. Marinii illa, quam supra citavimus, IIviros a IIviris iuri dicundo diversos esse statuentis opinio, quae a nullo satis explicata nec fere distincte aut clare pronuntiata in plurimorum tamen iudiciis haeret, quam qui amplectetur, tantam magistratuum municipalium multitudinem efficiet, ut ad certam eos rationem redigere ac sua cuique munera assignare nequeat. Quamquam erat quod falleretur. Etenim quin propria et vetustissima haec fuerit appellatio, ut, qui in quaque civitate summum magistratum gererent, IIviri iuri dicundo, qui deinceps aedilicia munera obirent, IIviri aediles dicerentur, dubium non est servataque ea est dicendi consuetudo diu in monumentis publicis, ubi plene ac cum quadam sollemnitate dici opus esset. Documento sunt complures tituli Pompeiani, in operibus a ministris Augustalibus positis inscripti. In quibus constans haec est formula, posita ea esse *ex decreto decurionum iussu duumvirorum iuri dicundo et duumvirorum aedilium*. Sic est in eo, quem accurate descriptum exhibet Avellinius Opuscul. Tom. II p. 202: *Iussu M. Allei Lucci Libellae M. Stlabori Frontonis IIvir i. d. quinq. Q. Pompei Maculae M. Fulvini Silva(ni) du. v. a. s. pp.* i. e. duumvirorum aedilium sua pecunia posuerunt. Cf. alios similes titulos apud Avell. l. l. p. 189 et 191 et 192 et 194 et deinceps. Sed in his tamen etiam vetusto more scriptis titulis paulatim mutata est dicendi consuetudo. Nam in eo, quem Avellinius habet p. 213, quem anno 61 p. Chr. tribuit, cetera eadem ratione, sed haec de magistratibus sic scripta sunt: *Iussu L. Iuli Pontici P. Gavi Pastoris d. v. i. d. Q. Poppaei C. Vibi aedilium*, similisque est alter ibid. p. 214, quem Borghesius in Diurn. Arcad. ann. 1825, 1 p. 104 ad extrema Tiberii imperatoris tempora refert. Itaque in reliquis titulis Pompeianis *aediles* quidem semper sic invenio simpliciter nominari, ut in titulo M. Allei Lucci Libellae apud Romanell. Itin. Pompei. I p. 44, et in titulo T. Terentii Felicis in Dissert. Isageg. in Herc. Volum. Explan. p. 62, at eos, qui iuri dicundo praesunt, saepius *IIviros iuri dicundo*, nonnunquam modo *IIviros*, ut in compluribus inscriptionibus in amphitheatri arena inventis, quas collegit Avell. Opusc. T. II p. 247. Eaque omnino ratio est in inscriptionibus, ut, qui aedilicia potestate sunt, aediles, qui iuri dicundo praesunt, vel IIviri iuri dicundo vel IIviri nominentur. Nam hos IIviros et IIviros iuri dicundo esse eosdem dupliciter maxime potest demonstrari. Primum enim cum in albo Canusino et fragmentis fastorum Nolanorum et Praenestinorum et Campanorum, de quibus dictum est in commentationibus superioribus, si a quaestoribus, quorum nemo hic rationem habendam esse putabit, discedas, duo commemoren-

tur magistratus, duoviri et aediles, qui IIviros iuri dicundo referre nolit ad IIviros, non intelligo, quo tandem velit. Certe non ad aediles, quorum potestas cum iuris dictione nihil habet commune. Quare ipsa aliorum magistratuum inopia eo deducimur, ut IIviros non diversos esse intelligamus ab IIviris iuri dicundo. Deinde quae munera commemorantur IIvirorum, eadem inveniuntur IIvirorum iuri dicundo. Cuius rei longam hoc loco iniremus recensionem, nisi in iis, quae paulo post disputabuntur, perlustranda nobis essent potissima summorum magistratuum munera, quorum exempla IIviros et IIviros iuri dicundo pariter ostendent. Itaque et apud reliquos scriptores et apud ICtos Romanos cum maxime de iuris dictione disputantes IIviri solent simpliciter appellari (vide H. E. Dirksen. Manual. latin. font. iur. civ. Rom. s. v.), duumviratusque et duumviralis cum dicuntur, munus IIvirorum iuri dicundo iique, qui IIviratu iuri dicundo functi sunt, intelliguntur.

Sed cum IIvirorum et IIvirorum iuri dicundo eandem dignitatem, eademque munera esse appareat, fallaturque Marinius, qui discrimen aliquod, quod nullum est, reperiri posse putarit, eandem rationem qui ad IIIIviros et IIIIviros iuri dicundo transferre velit, errare videatur. Est enim vere quod inter eos intersit ac recte prorsus quasi divinatione quadam ductus iudicasset Marinius, nisi cum IIviris coniunxisset. Quam rem in inscriptionum potissimum monumentis positam dum demonstramus, simul et origo IIIIvirorum explicanda erit et cur alia oppida IIviros, alia IIIIviros habuerint, et cur illa in plurimis civitatibus magistratuum numeri variatio, de qua viri docti queruntur, acciderit, ostendetur.

Quamquam autem plurima ac maxima disputationis nostrae argumenta ex inscriptionibus Latinis quaerenda nec sine earum studio eam rem recte cognosci posse censemus, aliqua tamen IIIIvirorum etiam apud scriptores invenitur commemoratio, a qua proficiscendum esse putamus. Saepius enim eorum mentionem facit Cicero. Omittam quod p. Cluent. c. 18 narrat ex vetustis temporibus Larini fieri solere quattuorviros et quod epist. X, 32, 2 Gadibus in Hispania eundem magistratuum numerum creari scribit; neque hoc loco illustrabo, quod ad Att. V, 2 habet: *Eratque rumor de Transpadanis eos iussos IIIIviros creare*, etsi de eo et multa ab aliis viris doctis disputata esse et pauca a nobis disputanda esse videmus. Sed ad Att. X, 13 de Antonio sic scribit: *Evocavit litteris e municipiis decem primos et IIIIviros. Venerunt ad villam eius mane. Primum dormiit ad horam tertiam, deinde cum esset nuntiatum venisse Neapolitanos et Cumanos* cet. Cur, quaeso, evocavit Antonius IIIIviros? Qui si ii sunt, qui iuri dicundo praesunt ab eaque re nonnunquam appellantur, et extra eos sunt alii vel IIviri vel IIIIviri, qui aedilicia munera obeant, iure quaeritur, cur alteros hos omiserit. Etenim cum municipia prorsus in potestate sua habere vellet, omnes, quotquot aliqua in iis auctoritate erant, evocavit, siquidem decem primos constat esse decuriones nullo honore ornatos. Sin secernas IIIIviros ab iis, qui iuri dicundo praesunt, et tantam magistratuum mul-

titudinem efficias, quantam nulla vetus civitas passa est, et perverse egisse statuas Antonium qui non eos evocarit, qui cum summa potestate essent; nam summos in civitatibus fuisse eos, qui ius dicerent, constat. Quare nomine IIIIvirorum Cicero videtur omnes magistratus, qui in illis municipiis erant, comprehendisse et hoc velle, ab Antonio omnes magistratus et decurionum etiam principes esse avocatos, quibuscum de republica ageret. Idque eo magis fit probabile, si epistolam Ciceronis 76 lib. XIII conferas scribentis ad *IIIIviros et decuriones Fregellanorum*, cum qua comparandae imperatoris Severi Alexandri litterae (Iust. Cod. XI, 39) datae ad *IIIIviros et decuriones Fabraternorum*. Atque hic quidem certi IIIIviri, incerti in duabus epistolis Frontonis (ad amicos lib. II, 6 et 7), quae in B. G. Niebuhrii editione dicuntur scriptae esse *III viris et decurionibus* urbis Cirtae in Africa. Etsi enim fallitur Niebuhrius et cum magistratum iuri dicundo destinatum dici putat et cum IIIviros aliquando iuri dicundo praefuisse ex incertis aut corruptis quibusdam inscriptionibus colligit [1]), fieri tamen potest, ut coloniae Cirtae peculiaris aliqua ratio fuerit nec pro IIIviris, id quod placeat fortasse alicui, IIIIviri substituendi sint. Verum in illis epistolis, ubi certa est IIIIvirorum mentio, cum praeter eos decurionibus modo scribatur, quia, si qui alii essent magistratus aut aediles aut quaestores, eos, qui nec essent decuriones et maiore honore uterentur, nominari oportebat, necesse sane est, IIII virorum nomine comprehensi sint omnes magistratus. Ipsaque id ratio aliarum similium epistolarum, quae in inscriptionum monumentis supersunt, postulat. Nam apud Mur. p. 1091, 1 (ibid. p. 2004, 2; Orell. n. 4031; Haubold. mon. legal. p. 228) imperator Vespasianus scribit *magistratibus et senatoribus Vanacinorum*; apud Orell. n. 2263 (Haubold. l. l. p. 266) Pontius Gavius Maximus *praefectis et magistratibus Cumanorum*, de quo loco cf. quae supra disputata sunt p. 54, ubi cum decuriones omittantur, praeter eos tamen, qui iuri dicundo praeerant, etiam reliquos magistratus commemorari videmus. Atque ut occupemus, quae similia ex inscriptionibus afferenda, eadem ratione explicandae duae epistolae imperatoris Vespasiani, prior apud Grut. p. 164, 1 (Haubold. l. l. p. 226) *ad IIIIviros et decuriones Saborensium*, altera apud Grut. p. 1081, 2 (Orell. n. 3118; Haubold l. l. p. 230) ad *IIIIviros et decuriones Faleriensium ex Piceno*.

Ex his, quae de scriptorum locis, quibus IIIIvirorum mentio fit, disputata sunt, hoc intellectum esse arbitramur, nonnunquam omnes municipales magistratus IIIIvirorum nomine comprehendi. Sequitur, ut imprimis inscriptionum monumenta secuti quae quaternarii huius nu-

1) Citat enim Grut. p. 415, 6, quae inscriptio sine dubio mala descripta; Gud. p. 135, 7 Vicetinae civitatis, in qua utique fuisse IIIIviros infra compluribus titulis docebimus; Mur. p. 92, 9, quae Ligoriana est; Mur p. 678, 7 Sestinatis oppidi, in quo item IIIIviros fuisse ex certissimis inscriptionibus constat.

meri divisio fuerit, investigemus. Quo in genere hoc tamquam certum neque ulli dubitationi subiectum ponere licebit, eorum, qui in municipiis ac coloniis summum magistratum obtinent, qui plerumque IIviri sive IIviri iuri dicundo appellari solent, tria praecipua fuisse munera, primum, ut ius dicerent, unde nomen habent, deinde ut eadem ratione, qua in Romano senatu consules praesident, decurionibus praeessent, denique ut ex eorum nominibus in actis municipalibus anni significarentur. Quae munera si in iis civitatibus persequemur, quarum IIIIviri commemorantur, a quibus administrentur, de ipso IIIIvirorum genere colligi poterit.

Iam de primo munere, quod ius dixerint summi municipiorum magistratus, nihil nec reperitur in inscriptionibus nec potest reperiri, quia nulla monumenta de iure dicundo ad nos pervenerunt omniaque in eo consistunt, ut aut IIviri aut IIIIviri iuri dicundo fuisse narrentur. Sed de scriptoribus hoc tamen mihi visum est memorabile, quod nec in digestis nec in codice aut Theodosiano aut Iustinianeo unquam commemorantur IIIIviri, sed soli IIviri. Ut apud Ulpianum in Dig. II, 3 (si quis ius dicenti non obtemperaverit) sic est: ***Omnibus magistratibus, non tantum duumviris, secundum ius potestatis suae concessum est iurisdictionem suam defendere poenali iudicio.*** Cuius sententia haec, opinor, est, vulgo existimari IIviris modo licere poena cogere homines, ut iudiciis suis pareant, quia IIviri soli ex magistratibus eam, quae proprie dicitur, iurisdictionem habeant, sed oportere etiam reliquos magistratus i. e. aediles et quaestores, quatenus omnino imperandi potestatem habeant, eatenus habere etiam puniendi, si quis non obtemperarit. Quo loco si IIIIviri eadem ratione qua IIviri iuris dicundi potestatem haberent, eorum nomen non erat omittendum. Simile est fragmentum Papirii Iusti in Dig. L, 1 (ad municipalem) 38: ***Imperatores Antoninus et Verus rescripserunt gratiam se facere iurisiurandi ei, qui iuraverat, se ordini non interfuturum et postea duumvir creatus esset.*** Quamquam hoc quidem non ad iurisdictionem, sed eo pertinet, quod IIviri senatui praeerant. Universe imperatores praescripserunt, si quis decurionatum moleste ferens iurasset, se nunquam in senatum venturum esse, ei remittendum esse iusiurandum, si deinde IIvir creatus praesidere cogeretur in decurionibus. Item Paulus in Dig. L, 2 (de decurionibus) 7, 2: ***Is, qui non sit decurio, duumviratu vel aliis honoribus fungi non potest,*** sic intelligendus, ut, qui non sint decuriones, eos non modo ab duumviratu, qui summus esse solet honos, verum etiam a minoribus, ab aedilitate et quaestura, prohibendos esse dicat. Cf. Dig. L, 3 (de alb. scrib.) et Cod. VII, 63 (de temp. et repar.) 1. Sic igitur cum aedilium et quaestorum municipalium fiat apud ICtos mentio, quod IIIIviri, qui si eodem iure eademque ratione uterentur qua IIviri, commemorari debebant, nusquam appellantur, nonne multum debet valere? Nam ne hoc quidem potest dici, paullatim desitos esse fieri IIIIviros pro iisque introductos IIviros; siquidem in monumentis etiam ultimorum temporum IIIIviros inveniri videbimus.

De altero autem summorum magistratuum munere, quod in decurionibus eos praese-

disse diximus, compluria in inscriptionibus Latinis supersunt testimonia, ex quibus de IIIIvirorum natura colligi posse censeamus. Quo in genere maxima memorabilis est tabula illa apud Grut. p. 456, 1, qua imperante Traiano Ferentinates T. Pomponio Basso, curatori alimentorum, patrocinium municipii sui obtulerunt. Cuius tabulae initium hoc est: *L. Arruntio Stella L. Iulio Marino cos. XIIII. Kal. Nov. M'. Acilius Placidus L. Petronius Fronto IIIIviri iuri dicundo senatum consuluerunt Ferentini in curia aedis Mercuri. Scribendo adfuerunt Q. Segiarnus Maecianus T. Munius Nomanlinus.* Simile est decretum decurionum Tiburtinorum apud Marinium Act. fratr. Arv. p. 6 temporum iniuria ita truncatum, ut unius modo IIIIviri nomen supersit omniaque initia versuum perierint, quae si ope sollemnis formulae, a qua incipere solent decurionum decreta, expleas, non plus quam duos IIIIviros (sic enim ibi, non IIIIviri iuri dicundo videntur appellari) decuriones consuluisse reperias. In quo monumento si posset dubitari, nihil tamen dubii relinqueretur in decreto decurionum Aquileiensium, facto in honorem C. Minicii Itali, quod primus idem ille Marinius Act. fratr. Arv. p. 5, tum Carlius in Antiq. Italic. Vol. II p. LXI, nuper Steinbuechel. in Annal. Vindob. ann. 1820, 4 p. 29 ediderunt. Quod cum ita sit mancum, ut media tabulae pars perierit, spatii in medio relicti exiguitas, de qua ex consulum nominibus certo colligitur, non plus perisse docet, quam quod ad duorum IIIIvirorum nomina supplenda satis sit. Iam Romae nisi aut absunt consules atque in eorum locum praetor succedit, aut alter aliqua re impeditur, uterque consul senatum consulebat atque utriusque nomen in senatus consulto perscribebatur, ut in nobili S. C. de Bacchanalibus principium est hoc: *Marcius L. f. S. Postumius L. f. cos. senatum consoluerunt*, ut in sex illis senatus consultis, quae de aquarum ductibus facta sunt, apud Frontin. de aquae duct. §. 100, 104, 106 sqq., ut in alio Senatus consulto ann. 56 p. Chr. facto apud Spangenberg. mon. legal. p. 197. Item in municipiis, quorum summus magistratus est IIvirorum, utriusque IIvirorum nomen in exordio decretorum decurionum poni solet. Sic in celebri decreto Tergestinae civitatis de honore Fabii Severi, etsi cognomina modo IIvirorum supersunt, utrumque tamen *IIvirum iuri dicundo verba fecisse* intelligitur; sic in decreto decurionum Perusinorum apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 6, cum alter IIvirorum forte videatur abfuisse, scriptum tamen est P. Casinerium Clementem IIvirum suo et L. Petilii Nepotis collegae sui nomine verba fecisse; sic apud Grut. p. 444, 2 (Orell. n. 4135) in decurionibus Neapolitanis postulante aliquo Cn. Papirius Sagitta et P. Aelius Eudaemon IIviri retulisse narrantur; sic in Puteolano senatu item duoviri verba fecisse apud Orell. n. 5037; sic in titulo Sorano, quem Th. Mommsen. in Bullett. Inst. arch. Rom. ann. 1846 p. 42 exhibet, decuriones decrevisse dicuntur, *quod A. Lucernius Decrianus L. Tullius Cerialis IIviri verba fecerunt;* sic denique apud Grut. p. 363, 3 in colonia Thaenitana Africae decretum de hospitio patrocinioque deferendo a decurionibus factum est *agentibus curiam Q. Valerio Marullo et C. Hortensio Concilio duoviris.* Quare

quod in cenotaphio quod dicitur Pisano de honore L. Caesaris defuncti unus modo IIvir C. Canius C. f. Saturninus verba fecisse narratur, vix est dubium, quin aut propter calamitatem aliquam publicam unus modo illo anne IIvir Pisis fuerit aut alter, cuius nomen non commemoratur, necessaria aliqua de causa in subito illo casu abfuerit. Qui si adesset, quia de honore imperatoris agebatur, certe et cum collega consensisset et consensum suum publico civitatis suae monumento inscribi voluisset. Quae cum ita sint, fero, quod aliquando unus IIIIvir dicitur in decurionibus verba fecisse vel decuriones consuluisse (idem enim saepius accidere potuit, quod semel Pisis accidisse videmus), ut in decreto decurionum municipii Attidiatis in Bullett. Inst. arch. Rom. ann. 1845 p. 132 decuriones decrevisse narrantur referente *L. Vario Firmo IIIIviro*. Sed cum nunquam plus quam bini in hoc genere commemorentur, faciendum esse intelligo, ut binorum de IIIIviris hoc in decurionibus referendi munus proprium fuisse statuamus.

Pervenimus ad tertiam rem, quam supra posuimus, quae non tam in munere quam in honore summis magistratibus proprio sita est. Romae enim annorum vel temporis omnino numerationem atque appellationem fieri constat ex consulibus, quem morem imitata municipia et coloniae actis publicis vel consulum Romanorum et summorum apud se magistratuum vel horum solorum nomina praescribere solent. Sic Puteolis celebris legis de opere faciundo apud Grut. p. 207, 4 initium est hoc: *Ab colonia deducta anno XC, N. Fufidio N. f. M. Pullio duovir., P. Rutilio Cn. Mallio cos.* (i. e. ann. 105 a. Chr.); sic in titulo Firmano apud Grut. p. 490, 3 positum aliquid esse dicitur *Q. Licinio Crispino C. Herennio Maximo IIviris*, et in inscriptione coloniae Pacensis Lusitaniae apud Grut. p. 261, 12 imperatori Commodo aliquid dedicatur a colonis *Q. Petronio Materno C. Iulio Iuliano IIviris*, pleniusque adiectis consulum nominibus in titulo Pompeiano apud Avell. Opuscul. T. II p. 197 aliquid positum esse narratur *M. Numistrio Frontone Q. Cotrio Q. f. duoviris iuri dicundo M. Servilio L. Aelio Lamia cos.* (ann. 3 p. Chr.). Neque aliter explendum et intelligendum fragmentum Praenestinum apud Grut. p. 483, 9 (Orell. n. 3923). Similiter denique explicandum, quod apud Orell. n. 3314 extremo titulo, formula paululum mutata, sed eadem sententia, via nova facta esse dicitur *IIviratu* . . . . . .; nam nomina IIvirorum, qui tum Falerione fuerant, perierunt. Cf. titulum Gabinum, quem in superiore de fastis Campanis commentatione p. 65 laudavimus, ubi eadem prorsus ratione dicitur *praefectura*. Singulare autem, etsi non abhorret a reliquo more, est quod reperitur in inscriptione Eburina, quam exhibet Th. Mommsen. in Bullett. Inst. arch. Rem. ann. 1847 p. 119, ubi statua dicitur *dedicata V. Kal. April. (an)no IIvir(orum) C. Stlacci Va . . . . Cn. Brinnii Steiani*. Compluresque in proxima antecedenti commentatione p. 143 a nobis allati sunt *IIviri quinquennales*, eadem ratione annorum significandorum causa usurpati, quos cum demonstraverimus fuisse proprie IIviros, qui praeter IIviratus munera

quinquennalitatem administrarent, rectissime in idem hoc genus adhibere poterimus. Iam eandem ad rem usurpari IIIIvirorum, quos summam dignitatem obtinuisse omnes consentiunt, nomina non mirum, sed quomodo id fiat, est memorabile. Primum affero Casinatium fastorum fragmentum apud Fabrett. p. 485 (Mur. p. 309, 3; Guascum Mus. Capitol. Tom. I p. 157), quo in superioribus commentationibus saepius usi sumus, in quo etsi dolendum quod ab altera parte initia, ab altera exitus versuum tam sunt mutili, ut ipsa magistratuum nomina restitui nequeant, vix tamen, si secundum probabilitatem, imprimis in Guasci exemplo, quod accuratissimum est, expletorum versuum spatia metiare, dubium relinquitur, quin bini IIIIviri iuri dicundo singulis annis ponantur. Accedit quae confirmet rem, haec similitudo. Nam cum anno 68 p. Chr., quo C. Silius Italicus M. Valerius Trachalus consules fuerunt, sic scribatur:

. . . . . IVS. TIRO QVINQ

. . . . PAVLVS

quoniam supra p. 98. etiam in iis civitatibus, in quibus IIIIviri appellarentur summi magistratus, binos tamen quinquennales fuisse certissimis documentis demonstravimus, consentaneum erit, ut duorum quinquennalium nomina scripta fuisse existimemus. Itaque anno 67 p. Chr., L. Fonteio C. Iulio Rufo cos., ubi sic superest:

. . . . . . VSPRISCVS IIIIVIRI. D

. . . . . AVFVS

item duorum IIIIvirorum nomina fuisse erit statuendum. Atque ut in his fastis binos modo ex quaternis, qui quotannis fiebant, tamquam summi magistratus scribuntur, ita in Teatinae civitatis insigni inscriptione, quam edidit Gir. Amatius in Diurnia Arcad. ann. 1827, 3 p. 69, sic est: *Criobolium et aemobolium movit de suo Petronius Marcellus sacerdos VI. Kal. Dec. IIIIviris Primo et Iusto*, ubi duorum IIIIvirorum nomina anni signandi gratia posita esse videntur. Similis est municipii Veientis titulus apud Nibbium in libro Italice scripto: Viaggio antiquario ne' contorni di Roma Vol. I p. 49 (Clem. Cardinalem in Mem. Rom. Vol. I p. 53; Orell. n. 3737), quem titulum infra in alia re iterum afferemus, qui dedicatus esse dicitur *Kalendis Apriles* (sic) *Maximo et Glabrione cos.* (i. e. ann. 256 p. Chr.) *Clo. Fortesio Felici et Nemonio Servano IIIIviris Veientium.*

Accedunt ad haec duae res, in superioribus commentationibus a nobis demonstratae, una, quod, si quando IIIviri, qui iuri dicundo praeessent, non potuerant fieri (vide p. 60), bini pro iis eligebantur praefecti iuri dicundo; altera quod quinquennalitas, quam summis cuiusque civitatis magistratibus deferri oportebat, binis IIIIviris mandari solebat. Cf. supra p. 98.

Iam duas has res disputatione nostra effectas esse arbitramur, primum ex scriptorum cum inscriptionibus coniuncta memoria, IIIIvirorum nomine totum quod in quaque civitate

quattuor hominibus constet magistratuum collegium significari, deinde ex scriptorum quidem silentio et inscriptionum explicato testimonio, quae praecipua sint in civitatibus summorum magistratuum munera atque ornamenta, in iis quidem oppidis, quae habent IIviros, horum II virorum, in iis, ubi IIIIviri inveniantur, binorum modo ex IIIIviris fuisse propria. Haec si vera sunt (nec videtur iusta dubitatio posse moveri), consequetur deinceps, ut, cum bini homines in omnibus civitatibus summorum magistratuum munera obirent ac iuri dicundo praeessent, nunquam nec tres nec quattuor eodem tempore *IIIIviri iuri dicundo* esse potuerint, sed modo *IIIIviri*. Atque ita in inscriptionum monumentis invenitur. Nam, ut primum quattuor IIIIviros simul commemoratos afferam, apud Grut. p. 167, 10 (Mur. p. 480, 1) in titulo sane vetusto vici prope Brixiam siti, *C. Mutius Sex. f., P. Popilius M. f., Q. Mutius P. f., M. Cornelius P. f. IIIIviri ex decreto decurionum* narrantur turrem faciendam locasse, apud Grut. p. 168, 8 (Mur. p. 474, 1) Vulsiniis *L. Cominius L. f. A. n., C. Canuleius L. f., T. Tullius T. f. Kanus, L. Hirrius L. f. Latinus IIIIviri theatrum et proscaenium de sua pecunia*, apud Grut. p. 172, 3 Tibure rursus quattuor IIIIviri porticus et exedram et alis senatus consulto faciunda curasse; Cabelliona apud Mur. p. 481, 7 (Orell. n. 4028), etsi unum nomen prope periit, certum tamen est quattuor IIIIviros dici fecisse aliquid. Itaque non dubitandum, quin in inscriptione Veronensi apud Grut. p. 187, 2, quae quattuor supersunt nomina in aliquo monumento, IIIIvirorum sint, qui id aedificarunt, neo miror de inscriptione Neapolitana apud Mur. p. 174, 4, ubi sic est: . . . . *Cuspius T. f., M. Loreius M. f. IIIIvir, L. Septumius L. f. D. Claudius D. f. IIIIvir. ex pequnia publica d. d.* Quoniam enim est aliquod discrimen inter ipsos IIIIviros, bis posse eam appellationem poni consentaneum est. Ac cum ne tres quidem IIIIviri possint appellari *iuri dicundo*, dubium non debet videri, quin in inscriptione apud Mur. p. 474, 8 (Orell. n. 3730), quae in ponte vetere prope Vulcos, Lucaniae oppidum, reperta esse dicitur, aliud aliquid versatum sit. In qua cum *C. Dexius C. f., P. Vellius P. f., M. Accius M. f. IIIIviri iuri dic. ex S. C. ex pecunia publica et conlaticia, quam municipes et incolae sua voluntate contulerunt, faciundum curasse eidemque probasse dicantur*, nec de annorum diversorum IIIIviris recte potest cogitari nec hoc statui, cum de pecunia publica aedificaretur, non totum IIIIvirorum collegium, sed tres modo ex iis curam egisse. At frequentissime fit, ut duo IIIIviri iuri dicundo aliquid vel aedificasse vel posuisse dicantur. Sic Tibure in Bullett. Inst. arch. Rom. ann. 1838 p. 107 horologium lapideum restituisse narrantur *T. Herennius L. f. T. Herennius T. f. IIIIviri iuri dicundo*, Assisii apud Grut. p. 167, 9 *Cn. Fuficius Laevinus T. Allius IIIIviri i. d.* murum reficiundum curasse, Spoleti apud Grut. p. 194, 6 (cf. p. 167, 12) *P. Marcius P. f. Hister C. Moenius C. f. Rufus IIIIviri i. d.* incertum aliquod monumentum condidisse; in incerta civitate apud Grut. p. 194, 4 *L. Afullinius L. f. Fronto, C. Vibullenus C. f. Pollio IIIIvir. i. d.*, Casini

in vetere admodum titulo apud Grut. p. 194, 5 *Cn. Agrius Cn. f. Pollio*, *L. Saufeius L. f. Apotheca IIIIeirei iour. deic.*, Vibone Valentia apud Th. Mommsen. in Bullett. Inst. arch. ann. 1846 p. 144 *Q. Vibullius L. f. Q. n. C. Cincius C. f. Paulus IIIIvir. i. d.* signum Proserpinae reficiundum curasse, Carseolis apud Enn. Quir. Viscontium in Monum. Gabin. p. 123 *Q. Avillienus Felix M. Olius Secundus IIIIvir i. d.* parietem basilicae refecisse; Signiae in Annal. Inst. arch. ann. 1829 p. 87 *C. Volumnius C. f. Flaccus A. Volumnius Q. f. Marsus IIIIviri iuri dicundo* cryptam et locum, ubi crypta est, et alia dederunt; nec dubium est, quin altero titulo Signino apud Mur. p. 477, 2, qui emendatior exhibetur in Annal. Inst. arch. ann. 1829 p. 88 duae inscriptiones contineantur, quarum priore aliquid Herculi dedicatur, altera *M. Caecilius M. f. Rufus Claudius Caepriscus C. f. IIIIvir. i. d.* nonnulla ponenda curasse dicuntur. Nec adversatur nostrae rationi, si quando bini etiam IIIIviri, qui non appellantur iuri dicundo, vel fecisse vel posuisse aliquid dicuntur, cuius generis exempla infra ubi singularum civitatum magistratus recensebuntur, multa afferentur; nam, ut in aliis oppidis qui iuri dicundo praesunt, modo IIviri modo IIviri iuridicundo nominantur, sic etiam, qui bini ex IIIIviris summi sunt, possunt simpliciter dici IIIIviri; ac tamen IIIIvirorum nomine significantur etiam qui inferiorem locum inter collegas suos obtinent. Ut in inscriptione theatri Interamnatis apud Donium p. 75, 35 opus perfecisse narrantur *T. Albius C. f. Pansa IIIIvir. i. d. pont(ifex) C. Albius T. f. Pansa filius IIIIvir aug(ur)*, ubi cum filius IIIIvir exadverso ponatur patri IIIIviro i. d., non dubium est, quin ille intelligendus sit aedilis, hic iuri dicundo praefectus.

Quodsi bini ex IIIIviris iudicia administrabant, quaeritur, quae munera reliqui bini, qui quodam quasi inferiore gradu erant, obierint. Quos plerumque quidem video fuisse aediles. Nam cum per municipia nullus omnino reperiatur magistratus ordinarius praeter IIviros, aediles, quaestores, hos quaestores in plurimis deesse intelligimus. Non urgebo, quod in tot inscriptionibus Pompeianis quae supersunt, nulla certa invenitur quaestoris municipalis mentio, ut Pompeiis quidem nullus fuisse videatur, sed Capuae nullos fuisse usque ad coloniam ab Augusto auctam, nec Nolae usque ad Tiberium ullos ex certissimis fastorum monumentis supra demonstratum est, ac si in his frequentissimis ac florentissimis civitatibus Italiae nulli fuerunt, in plurimis sane nullos fuisse probabile est. Quamquam, ut Capuae videmus imperante Augusto institui, ita in multis municipiis factum esse existimo, ut quaestoriis muneribus proprii homines destinarentur. In quibus valuit tamen, quod Arcadius Charisius in Dig. L, 4 (de muneribus et honoribus) 18, 2 ait: ***Calendarii quoque curatio et quaestura in aliqua civitate inter honores non habetur, sed personale munus est.*** De qua re ne longam hoc loco disputationem ineam, tria documenta afferam. Primum in titulis hominum municipalium quaesturae locus modo, ut par erat, si vere inter honores haberetur, ante aedilitatem, modo post aedilitatem, aliquando

post IIviratum aliosque honores commemoratae tam varius est, ut facile intelligas, non certum ab ea at ad eam gradum consuevisse fieri, sed sumptam cum opportunitas aliqua incidisset. Cf. quae in superiore commentatione, ubi de albo Canusino disputavimus, dicta sunt p. 130 et quae infra paulo de singularum civitatum honoribus dicentur. Deinde huc refero, quod in nobilissimo decreto municipali Tergestino est, in honorem Fabii Severi facto, in quo decreto commemoratur edictum Antonini Augusti Pii, qui permiserat, ut ex Carnis Catalis in rempublicam coloniae Tergestinae attributis, qui vita ac censu meruissent, per aedilitatis gradum in curiam Tergestinam admitterentur ac per hoc civitatem Romanam adipiscerentur. Quo edicto non dubium est, quin hoc significetur, infimam ex magistratibus Tergestinis fuisse aedilitatem; nam et semper id ius fuerat Latinitatis, ut eam qui haberent, magistratibus municipalibus gerendis civitatem Romanam acciperent, et pugnabat inter se, esse aliquem magistratum nec esse posse decurionem. Nec vero infimum modo Tergeste eum honoris gradum fuisse censeo, sed unum reliquum, ut quaestores, si ulli in colonia erant (nam leve modo eorum invenitur et obscurum vestigium), non honorem, sed personale munus, ut ait Charisius, sustinere viderentur. Denique etiam illud debet multum valere, quod, postquam municipiorum reditus vel negligi vel minui coepti sunt, qui eorum curandorum causa constituebantur quaestores, fere quaestores aerarii vel quaestores pecuniae publicae vel similiter appellabantur. Unum hoc loco exemplum afferam inscriptionis Eburinae, quam iam supra p. 168 laudavi. Ea posita est *T. Flavio Silvano, patrono municipii Eburini, IIviro II quinquennali, quaestori arcae*, atque ut intelligas hanc quaesturam non pro iusto honore esse habitam, in dedicatione statuae cum pro gradu cuiusque municipibus iubetur pecunia dividi, primum *quinquennalicii, IIviralicii, aedilicii*, tum *decuriones* recensentur. Cuius municipii si aut fasti aut decurionum album, quale de colonia Canusina superest, extarent, neque inter honores quaesturam neque inter decuriones quaestoricios inveniremus. Atque in quibusdam adeo Galliae civitatibus, quae alioquin parem cum Italicis haberent rempublicam, prorsus non quaestores, sed IIviri ab aerario nominabantur, cuius rei infra compluria exempla citabuntur. Quamquam autem in plerisque longe oppidis inferiores illi bini ex IIIIviris aediliciae potestatis erant, aliquando tamen etiam factum, ut essent quaestoriae potestatis, id quod Veiis accidisse dicemus.

Iam si bini illi ex IIIIviris, qui non erant iuri dicundo, erant aediliciae potestatis, quomodo appellabantur? Primum universum illud habebant nomen aedilium, quo, cum breviter et minus sollemniter dicebatur, omnes, qui aedilicia munera administrabant, significabantur. Deinde proprium quasi nomen gerebant *IIIIviri aediliciae potestatis*, quod male saepe ab interpretibus intellectum, est tamen frequentissimum. Atque ut eas hoc loco civitates afferamus, de quibus infra non dicetur, prope Uriam repertus lapis ann. 1833 recte sic expletur a Borghesio in Bullett. Inst. archaeolog. Rom. ann. 1836 p. 151: *Ti. Cla(udius T. f.) IIIIvir ae(d.*

pot.) IIIIvir iur. (dic.), quam hominem iudico primum aediliciam potestatem, deinde duumviratum, qui proprie dicitur, gessisse. Apud Grut. p. 463, 5 in monumento agri Tarvisiani C. Rapidius Rufus dicitur IIIIvir AP, quod Gudius in altera Gruteriani corporis editione de IIIIviro aediliciae potestatis intelligendum esse recte observavit. In Sulcitano oppido Sardiniae apud de la Marmoram Itin. Sardin. Vol. II p. 479 n. 33 (cf. Bullett. Inst. arch. Rom. ann. 1830 p. 172) honos Marcorum Porciorum Felicis et Impetrati IIIIvirorum aedilicia potestate designatorum commemoratur, propter quem honorem eorum libertus templum Isidis et Serapidis restituit; et Carali, eiusdem insulae urbe, alius *IIIIvir a. p.* est apud de la Marmoram l. l. p. 482 n. 40 (Mur. p. 738, 8); Assisii, apud Mur. p. 671, 5 (Donat. p. 245, 6), item est C. Allius Crispus *IIIIvir aed. pot.* (at in eiusdem urbis certiore titulo apud Mur. p. 469, 9 C. Alfius Clemens Maximus *IVvir i. d. aedilis q*(uaestor) *pecuniarum publicarum*, at alius IIIIvir i. d. apud Mur. p. 756, 7. Cf. Donat. p. 255, 8 et p. 263, 5); in Marsis apud Mur. p. 679, 5 Q. Avillienus Bassus *IIIIvir aed. pot. IIIIvir iur. dic.*; Barii apud Mur. p. 729, 5 Petronius aliquis *IIIIvir aedil. potest. praef. iur. dic.*, et Sex. Petronius *IIIIvir aed. pot.* Nursiae apud Mur. 730, 3; Vibone Valentia apud Mur. p. 742, 5 Satrius Ingenuus *IIIIvir aed. pot.*; in inscriptione agri Novariensis apud Fabrett. p. 624, 210 (Donium p. 55, 168: Spon. Miscell. p. 91) est *C. Gemetinus IIIIvir a. p. praef. i. d.* Nec vero mirum, quod appellati etiam sunt *IIIIviri aediles*, cuius rei apertissimum exemplum est in inscriptione Ferentinati apud Grut. p. 461 posita in honorem A. Quinctilii Prisci *IIIIvir. aed. potest. IIIIvir. iure dic.*, qui cum municipibus suis testamento pecuniam legasset, ascriptum est in lapide, ad quas res esset legata et ut impenderetur *arbitratu IIIIvirorum aedilium*, ut in eodem monumento eosdem homines utroque modo appellatos esse videas. Notabilis etiam est titulus Faleriis repertus, quem exhibet G. Henzen in tabula aliment. Baebian. p. 16, ubi commemoratur C. Iulius Severus *IIIIvir aed. IIIIvir i. d. IIIIvir quinq.*, qui *ob honorem aedilitatis porticum* restituit, in quo rursus honos ipse dicitur *aedilitas*, homo *IIIIvir aedilis*. Duo sunt manifesta de Ocriculanorum aedilibus monumenta, unum apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 576, in quo sic est: C. VOLVSIO. VICTORI. QVAESTORI. R. P. OCRICVLANORVM. IIII. VIRI. (pro IIIIVIRO vitiose) AEDILES (item vitiose pro AEDILI) IIIIVIRI (rursus mendose) IVRE (i. e. iuri, ut saepe) DIC (i. e. DIC vel DICundo) IIII. QVIN. Q. (i. e. *quinquennali*), in altero longe emendatius scripto apud Grut. p. 422, 8 L. Iulius Iulianus dicitur *IIIIvir aed.*, *IIIIvir i. d.*, *IIIIvir quinq.* In municipio Pitino Mergente apud Grut. p. 417, 6 C. Hedius Verus appellatur *IIIIvir quinquennalis*, *IIIIvir aedilis*, ubi non assentior Orellio ad n. 4039 aedilitatem ab IIIIviratu dirimenti; nam etsi potest et IIIIvir dici et aedilis nulla apposita alia significatione, secundum ea tamen, quae modo exposita sunt, rectius interpretabimur de *IIIIviro aedili*. Aquilae incerti aliquis nominis apud Mur. p. 715, 6 (Don. 254, 1) nominatur *IIIIvir aed. IIIIvir i. d. quinq.*, itemque nomina perierunt eorum duorum

IIIIvirorum aedilium, qui Cortonae apud Mur. p. 722, 6 commemorantur. Nec dubium quin in titulo Volaterrano apud Donatum p. 261, 4, ubi Q. Poena Aper dicitur *IIIIvir aed.*, unus honos intelligendus sit; et in Napesino apud Grut. p. 395, 1 (minus emendato apud Orell. n. 3991 et Donium p. 182, 83) legendum sit Cn. Copellio . . . . IIIIVIR[O] AEDIL. [IIIIVIR] I. D.

Sed satis hoc esto exemplorum huius generis, quae augebuntur ex iis, quae infra disputabimus. Hoc autem apparet, cum IIIIviri duplices essent, aut ii qui aedilitatem gererent aut ii, qui iuri dicundo praeessent, ubi neque *aediliciae potestatis* aut *aedilis* neque *iuri dicundo* adiiceretur, incertum fuisse, utrius generis IIIIviri dicerentur. Quare saepe aut nihil aut de coniectura modo potest statui. Nam ne sic quidem res sese videtur habere, ut IIIIviri i. d., quoniam maiore quadam dignitate sunt, semper addant se esse iuri dicundo, quique relinquantur IIIIviri, sint aediles. Neque potest ubique illud *iuri dicundo* recte adiici, ut cum in inscriptione Aesernina, quam Th. Mommsen. in Bullett. Inst. arch. ann. 1846 p. 182 exhibet Q. Pescennius Gallus *IIIIvir i. d. pro cena IIIIvirali* dicitur aedem aliaque refecisse, IIII virale diei videmus, quod pertineat ad IIIIviros iuri dicundo, nec potuit dici aliter. Quare ille IIIIvir Aeserninus, qui apud Grut. p. 1029, 4 (Murat. p. 295, 3) reperitur, incertum est, utrius generis fuerit; nec minus duo Canusini homines, P. Curtius Salaxus et P. Titius IIIIviri, qui *de munere gladiatorio* i. e. ex parte pecuniae ad munus gladiatorium destinatae Vertumno aliquid posuerunt, apud Murat. p. 616, 2 (eund. p. 1988, 12; Orell. n. 1619), aut illi duo *IIIIviri* P. Aburtennii Priscus et Restitutus, quibus curam agentibus cives municipii alicuius Fortunae Reduci aliquid dedicarunt apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 191; aut Assisiatis municipii *IIIIvir T. Elufrius Melior* apud Marin. l. l. p. 402, qui *anno IIIIviratus sui annonam sufficientem civitati pecunia sua* praestitit, quem qui propter Romanorum aedilium similitudinem aediliciae potestatis fuisse putet, probabilitatem aliquam sequatur, sed nihil certum afferat. Dubito etiam de M. Calvio Clemente IIIIviro Urbisalviensi apud Amadut. Anecd. Litt. Vol. IV p. 523 n. 8 (at alius IIIIvir eiusdem oppidi apud Donat. p. 246, 5, quia libertini generis fuisse narratur, sine dubio potius IIIIIIvir fuit; item Naronenses IIIIviri duo apud Donat. p. 256, 8 in seviros mutandi), et de C. Passerio Afro IIIIviro Viennensi in Gallia apud Gir. Amatium in Diurn. Arcad. ann. 1832, 3 p. 343, et de Q. Iulio Catullo IIIIviro Vicentino apud Grut. p. 421, 9 (cf. alios IIIIviros Vicentinos apud Mur. p. 686, 5 et 699, 4 et 710, 7 et 739, 7 et Donat. p. 254, 5), et de Bergomate homine, qui IIIIIIvir IIIIvir dicitur apud Mur. p. 761, 7, quem tamen, cum antea modo sevir fuisset, aedilem IIIIvirum fuisse malo, et de C. Clinio Varo, IIIIviro Anconitano apud Mur. p. 688, 3, et de M. Cornelio, IIIIviro Tridentino, apud Mur. p. 694, 6, et de aliis permultis. Vide Mur. p. 696, 4 et 745, 4 et 758, 2 et 761, 4 et 688, 3; Donium p. 261, 221; Donat. p. 245, 3 et 250, 2.

Persecuti hucusque sumus genera magistratuum, ut IIIIvirorum nomen doceremus gene-

rala quodammodo esse eorumque, qui in civitatibus honores gererent, commune; verum ineunda etiam est haec ratio, ut municipiorum ac coloniarum res publicas examinando quomodo in singulis oppidis magistratus et distribui et appellari consueverint, demonstremus. Qua in re hoc imprimis agendum nobis videtur esse, ut in nomine atque appellatione non raro variatum esse doceamus, naturam ipsam ac rationem eandem esse servatam. Etenim ut hoc tamquam fundamento quodam disputationis nostrae utamur, omnibus temporibus Romanorum proprium fuisse constat, ut, quae in quaque civitate semel constituta esset respublica, ea, quam maxime posset fieri, conservaretur nec temere mutaretur. Quodsi ipsis municipiis licuisset, prout placeret, res suas subito mutare, maior fortasse fuisset variatio; nunc, quae legibus aut a senatu populoque Romano aut ab imperatore constituta erant, ea nisi lege tolli non poterant. Omnes autem coloniae, cum deducerentur, omnia municipia, cum vel conderentur vel augerentur vel denique in civitatem Romanam reciperentur, certas quasdam leges accipiebant, ex quibus rempublicam suam gererent. Quibus in legibus non de decurionibus modo, de comitiis, de potestate magistratuum, sed etiam de numero eorum scriptum erat, quot esse oporteret, qui iuri dicundo praeessent, quot aediles, quot quaestores. Neque eas leges mutari facile erat. Documento possunt esse epistolae aliquot a Plinio de civitatibus Bithynicis ad Traianum scriptae, quas qui legerit, quin summa religione quae semel sancita essent, servata sint, dubitare non poterit. Itaque incredibilis quaedam Romanorum ut in omnibus rebus, ita in re municipali invenitur constantia, quae tanta erat, ut non modo magistratus ipsi, id quod supra in quinquennalibus et praefectis expositum est, diutissime servarentur, sed etiam nomina eorum, quae ex vetustate recepta essent, retinerentur. Unde fit, ut in Graecis Italiae inferioris civitatibus cum alia vetera instituta, veluti phetriae (vide Grut. p. 418, 6; Orell. n. 3720), tum Neapoli demarchorum nomen etiam Hadriani temporibus usurparetur, ut in oppidis antiquitus Latinis praetores et dictatores et censores appellarentur, ut Carthagine sufetes, ut alia multa in aliis urbibus servarentur. Nec minus constanter leges, quae provinciis scriptae erant, tenebantur, ut eae, quibus Sicilia, Africa, Asia, Bithynia compositae erant. Quae cum ita sint, vix videtur fieri posse, ut eos viros doctos probemus, qui cum in eadem civitate modo IIviros modo IIIIviros commemorari vident, non hoc quaerant, quomodo hos inter se concilient atque utrosque ex veteribus institutis deducant, sed mutatam esse rempublicam opinentur, qua gravissimarum rerum inconstantia nihil a Romanorum moribus alienius, nihil omni bene compositae civitati perniciosius potest cogitari.

Percenseamus autem primum eas civitates, quarum p. 164, cum scriptorum de IIIIviris testimonia exposita sunt, mentio est facta, i. e. Cumanorum, Neapolitanorum, Fregellanorum, Fabraternorum, Faleriensium, denique Saborensium, apud quos IIIIviros Ciceronis et Vespasiani et Septimii Severi temporibus ita vidimus commemorari, ut eo nomine omnes magistra-

tus comprehenderentur. Ac *Saborensium* quidem etsi vix puto aliam superesse memoriam in inscriptionibus, memorabile tamen est, quo modo in ipso tabulae, quam citavimus, exitu dicatur. Postquam enim imperatoris Vespasiani epistola scripta est, haec sequuntur: *C. Cornelius Severus M. Septimius Coelius IIviri p(ecunia) p(ublica) f(aciendum curaverunt*, a quibus paululum discedens alius inscriptionis auctor Io. Mariana de rebus Hispan. lib. IV tradit *publica pecunia in aere inciderunt.* Cuius verba diversa, sententia eadem; nam etiam quod est *faciendum curaverunt*, eo pertinet, quod IIviri epistolam imperatoris in tabula scribendam ac publice proponendam curarint. Sed qui tandem, quaeso, illi sunt IIviri, cum modo IIIIviros Saborensium et quidem vel eodem vel proximo antecedente tempore (nam certe epistola non multo postquam scripta est, aeri videtur esse incisa) fuisse viderimus? Hoc nisi IIviros eos fuisse statuamus binos, quos inter IIIIviros praecipuo iure ac potestate fuisse diximus, explicari non posse video. Deinde *Cumanorum* magistratuum, ne Ligorienum titulum apud Mur. p. 39, 5 numerem, tria, quantum novi, certa monumenta in inscriptionibus extant, primum A. Veratii Severiani apud Gervasium Observat. de nonnullis inscript. Neapolit. p. 13 (Grut. p. 484, 6; Orell. n. 2533), qui aedilitatem et duumviratum gessisse narratur, alterum apud Orell. n. 2263, in quo duo praetores et magistratus i. e., ut opinor, duo aediles commemorantur, tertium apud Grut. p. 96, 4 (Reines. p. 246, 296; Orell. n. 1857), quod sive male descriptum sive fraude interpolatum putabitur, certe IIvirum praestabit: quaestorum nulla Cumis mentio. Quare sic censeo, quos Cicero IIIIviros appellat, iis comprehendi binos IIviros, qui iuri dicundo praeerant, et binos aediles. Sed quia veteranos eo ab imperatore Augusto constat esse deductos coloniamque Iuliam factam, simul fortasse aliquis dicat reipublicae formam esse mutatam, quod etsi minime equidem credo, monumentis tamen eius coloniae tamquam certis testimoniis uti nolo. Similiter *Neapolitani*, cuius IIIIviros Cicero commemorat, imperante Claudio condicionem suam ita mutarunt, ut ex municipibus fierent coloni. Ac cum plurimae, quae Neapolitanorum magistratuum mentionem habent, inscriptiones ad illud tempus, quo colonia fuit, pertinere videantur, ut apud Grut. p. 444, 2 (Orell. n. 4135), ibid. p. 172, 11 et p. 445, 5 et p. 1085, 7 (Mur. p. 954, 1; Orell. n. 4219); apud Grut. p. 376, 2 et 1092, 5 (Orell. n. 3813), in quibus semper IIviri, ut apud Mur. p. 700, 8; Grut. p. 447, 2; Donat. p. 251, 9, in quibus aediles et quaestores commemorantur, illam tamen, quam Grut. p. 152, 2 habet, quae item duoviros exhibet, propter nominum simplicitatem ex imperatoris Augusti aetate esse iudico. Quare quod omnibus aequaliter temporibus duoviri narrantur iuri dicundo praefuisse, conciliari id cum Cicerone non potest, nisi IIviros et aediles uno nomine IIIIvirorum comprehendi ac quaestorum munus postea propter auctam coloniam adiectum esse existimemus. Idque eo magis statuimus, quod quaesturam fere inter aedilitatem et IIviratum interiectam invenimus; ut apud Grut. p. 447, 2; Mur. p. 700, 8. Sequuntur *Fregellani*, quae cum fuisset olim

colonia Latina, Ciceronis tempore municipium, quantum quidam traditum est, condicionem suam non videtur mutasse. Eorum una inscriptio, quae certe eo pertineat (nam apud Grut. p. 491, 9 quo referendum sit, parum liquet) mihi nota est apud Grut. p. 369, 4, in qua C. Avidius Clemens *aedilis, IIvir*, avus eius L. Fufidius Proculus *IIvir, aedilis, quaestor* vocatur, unde eandem ac Neapeli condicionem fuisse conlici licet. Omissis *Fabraternis*, de quorum magistratibus nihil ex inscriptionibus traditur, pervenimus ad *Falerienses*, quorum respublica post imperatorem Vespasianum nullam certe mutationem subiit. Eorum complures et aediles et IIviri commemorantur ex inscriptionibus a Caiet. de Minicis in Annal. Inst. arch. Rom. ann. 1839 p. 36 sqq., sed maxime memorabiles duo tituli, prior p. 36 M. Fabii Maximi, qui vocatur *remissa aedilitate IIvir*, alter p. 42 T. Cornasidii Sabini *aed. IIvir qq. q. p. p.* i. e. aedilis, IIviri quinquennalis, quaestoris pecuniae publicae; minus enim probo Orellium n. 3888 extrema *p. p.* de patrono plebis interpretantem. In quibus etsi IIIIvirorum nulla fit mentio, recte tamen ab Vespasiano ad IIIIviros scriptum esse intelligo. Nam quas tres res supra attulimus, ut IIII virorum nomine omnes municipiorum et coloniarum magistratus contineri demonstraremus, eae in his conveniunt. Siquidem et quaestor dicitur pecuniae publicae, ut non eum qui propria sit honos significari videas, et quaestura collocatur post aedilitatem et IIviratum, ut extra consuetum honorum gradum fuisse videatur, et denique aedilitas narratur esse remissa. Neque enim hoc ita explico, ut Romae constat sub imperatoribus saepe aedilitatem propter sumptus magnitudinem a candidatis pauperioribus esse praetermissam, sed ad id refero, quod lapis Tergestinus supra citatus significat, quod honorum municipalium cursus ab aedilitate incipi debuerit.

Atque haec quidem de earum civitatum magistratibus videbantur esse disputanda, quarum IIIIviros a scriptoribus commemorari diximus. Sed cum etiam inter inscriptionum ipsarum monumenta dissensio saepe quaedam videatur existere, ut aliae IIIIviros, aliae IIviros exhibeant, de his deinceps videndum est. In *Casinati* colonia ann. 315 a. Chr. condita ex certissimo fastorum monumento supra p. 169 citato imperatoris Vespasiani tempore constat fuisse IIIIviros. Itemque *IIIIviri iuri dicundo* duo, qui aliquid vel aedificarint vel dedicarint, in inscriptione satis vetere commemorantur apud Grut. p. 194, 5. At *duoviri iuri dicundo* duo ann. 40 a. Chr. *signum concordiae ex senatus consulto restituendum* curarunt apud Grut. p. 100, 8 (Noris. Cenotaph. Pisan. II, 6), et altero p. Chr. saeculo L. Lucceius Hiberus sive Hibernus appellatur *IIvir iterum quinquennalis* in duobus titulis apud Grut. p. 431, 7 (Orell. n. 2357) et Grut. p. 432, 1 (Orell. n. 2797). Quare cum eadem aetate ut praesides decurionum iurique dicundo praefectos et IIIIviros et IIviros nominari videamus, quid statuemus? Nonne hoc necesse erit, IIIIvirorum nomine contineri et IIviros et aediles ac promiscue summos magistratus et IIviros dici et IIIIviros? Tum quid de *Veientium* republica existimabimus, quae cum

antiquitus municipii iure usa esset, ab imperatore Augusto aucta et constituta nomen accepit municipii Augusti? Eius quam supra p. 169 citavimus inscriptionem, nunc plenius describamus. Est autem haec de statua Cn. Caesio Athicto posita, *ex aere collato, quam municipes, omnis ordo ei contulit in orchestra ludis, quos fecerunt P. Memmius Apulus praefectus* (ita enim litteram *P.* interpretandam esse expositum est in superiore commentatione p. 63) *et C. Poppaeus Priscus IIvir, dedicata Kalendis Apriles* (nam sic vitiose scriptum est pro *Aprilibus*) *Maximo et Glabrione cos.* (ann. 256 p. Chr.) *Clo. Fortesio Felici et Nemonio Servano IIIIviris Veientium.* Similis igitur hic titulus Saborensium titulo, quem supra citavimus. Nam inter pecuniam statuae causa collatam et statuam positam non multum spatii videtur intercessisse. Reliqui Veiis commemorantur IIviri, ut eodem tempore, quo proximus superior titulus positus est, *Vergilius Cogitatus Iulius Senecio IIviri* apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 831 (Orell. n. 3706), ut anno 249 p. Chr. *P. Sergius Maximus L. Lollius Sabinianus IIviri quinquennales* apud Grut. p. 103, 10 et 11 (Fabrett. p. 434, 14; Orell. n. 109), ut incerta aetate *M. Apustius Sabinos, duumvir Veios* apud Grut. p. 359, 1 et *Merula IIvir* apud Clem. Cardinal. Memor. Roman. Vol. I p. 52. Quare Veientium magistratuum ratio similiter videretur esse constituenda atque earum, de quibus modo dictum est, civitatum, nisi accuratior notitia ex nobilissimo illo decurionum Veientium decreto peti posset, facto ann. 26 p. Chr. de honore C. Iulii, Augusti liberti, Gelotis apud Fabrett. p. 170, 324 (Mazoch. tab. Heracl. II p. 450; Haubold. mon. legal. p. 188; Guasc. Mus. Capit. n. 118; Orell. n. 4046; Göttling. in libro Germanice scripto: Funfzehn Römische Urkunden p. 72). In eius decreti exitu solito more scribuntur nomina eorum, qui decurionum decreto scribendo adfuerint, quorum primi sunt *C. Scaevius Curiatius L. Perperna Priscus IIviri*, tum sequuntur *M. Flavius Q., T. Vettius Rufus Q.*, neque has notas *Q.*, qui inscriptionum Latinarum peritior est, fieri posse intelliget, quin de *quaestoribus* explicemus. Unde, si titulos modo citatos assumemus, ex quaternis, qui quotannis Veiis fierent, magistratibus discemus binos fuisse iuri dicundo, binos quaestores. Nam aedilium mentio nec in illo decurionum decreto, si ulli fuerunt, recte praeteriri potuit, nec in alia ulla Veientium inscriptione reperitur. Cur autem Veiis quaestores modo, non aediles ulli fuerint si quis quaerat, sic equidem coniicio, cum oppidum adeo vicinum esset urbi Romae, ut vix ab ea posset discerni (cuius quidem rei vel illud videtur esse documentum, quod decretum, quod modo diximus, a decurionibus cum Romae in aedem Veneris Genetricis convenissent narratur esse factum) propter eam igitur causam qui securitati urbis providerent, eosdem Veientium civitatem esse tuitos. Sed quaestorum magistratus ad reditus, quibus civitatem a se conditam Augustus instruxerat, fuerit necessarius.

Imprimis autem municipii *Tiburtini* inscriptiones ad naturam quattuorviratus cognoscendam pertinent. Cuius cum supra attulerimus titulum, in quo duo IIIIviri, decurionum praesi-

des commemorantur, quid ex aliis inscriptionibus efficitur? Primum satis vetusta videtur illa, quae est apud Grut. p. 172, 3 (Orell. n. 3383), in qua *C. Luctius Aulianus*, *Q. Plausurius Varus*, *L. Ventidius Bassus*, *C. Octavius Gracchinus IIIIviri* porticum et exedram aliaque senatus consulto facienda curasse narrantur, in quo hoc praecipue animadverto, quod p. 170 observatum est, quod non *IIIIviri iuri dicundo*, sed modo *IIIIviri* appellantur; tum apud Marin. Act. fratr. Arv. tab. LX (Donat. p. 245, 2; Orell. n. 3851) *P. Aelius Caeranus*, vir consularis, dicitur *IIIIvir iuri dicundo*, itemque *Q. Aper* quidam apud Murat. p. 675, 8, et in Bullett. Inst. arch. Rom. ann. 1838 p. 107 horologium restituisse narrantur *T. Herennius L. f. T. Herennius T. f. IIIIviri iuri dicundo*. At in titulo iam intereuntis libertatis apud Donat. p. 263, 1 sunt *M. Scaudius C. Munatius aediles*, item aedilis alius in lapide ann. 1831 reperto apud S. Violam in Diurn. Arcad. ann. 1832, 2 p. 325, et *C. Maenius* sive *Naenius Bassus aedilis IIIIvir* apud Gir. Amat. in Diurn. Arcad. ann. 1825, 4 p. 345 (Nibbium in Memor. Roman. Tom. IV p. 16). Memorabilier etiam inscriptio apud Grut. p. 473, 5 (Orell. n. 2240), in qua *C. Terentius Valens* dicitur *IIIIvir aediliciae potestatis*, *praefectus quinquennalis* cet., ex qua altera apud Mur. p. 173, 5 sic supplenda:

APP. I . . . .
L . . . .
IIIIVIR. {AED. POT.
IIIIVIR. [IVR. DIC.
ITERVM [QVINQVEN
SALIVS. C[VR
TRIBVNVS. [MILIT. CVR
FANI. HERC. [VICT. DE
SVO. EX. {S. C. P.

Hinc igitur cum appareat eam fuisse magistratuum Tiburtinorum rationem, ut ex quaternis, qui quotannis crearentur, bini iuri dicundo et decurionibus praeessent, alteri bini aediliciam potestatem administrarent, qui vel aediles vel IIIIviri aediliciae potestatis appellarentur, nihil me movent duae inscriptiones, in quarum priore apud Grut. p. 1025, 12 (Orell. n. 113) senatus populusque Tiburs L. Caelio Victori *IIviro iuri dicundo* narratur nescio quid posuisse, in altera apud Grut. p. 485, 6 (Mur. p. 756, 4) M. Vesenius Iucundianus vocatur *IIvir designatus*. Quia enim bini de quaternis erant, qui ius dicerent, poterant recte et IIviri et IIIIviri iuri dicundo appellari. Quaestores autem magnopere dubito num Tibure ulli fuerint; nam in inscriptione multis de causis insigni, ann. 16 p. Chr. posita, apud Amadut. Anecd. Litter. Vol. IV p. 519 n. 6, qui T. Coccei videantur fortasse alicui dici *quaestores tertium*, quia in ipso titulo Titi patroni liberalitas et beneficia commemorantur, vereor ne alio pertineant neque ad

quaesturam municipalem referendi sint. Tum *Nolanae* civitatis, quo ab imperatore Augusto deducta colonia est, respublica cognoscitur ex fastorum fragmento, quod saepe a nobis citatum est, quod ad extremam Augusti aetatem pertinet, apud Grut. p. 1087, 1 (Orell. n. 4033). in quo cum IIviri modo et aediles recenseantur, non erit dubitandum, quin nec quaestores ulli fuerint et qui erant magistratus, quaternarium numerum effecerint, unde, qui iuri dicundo praeerant, vel IIIIviri vel IIviri, qui aedilicia munera obibant, item vel IIIIviri vel IIviri aediles vel denique aediles appellari potuerint. Itaque in inscriptione apud Grut. p. 109, 4, quam, quod homo, cui posita est, cognomina caret, satis veterem, ex coloniae mentione non supra Augustum, a quo conditam esse coloniam constat, ascendere discimus, C. Catius, qui multa aedificavit, *IIIIvir* vocatur, quem hominem liberalitate insignem iuri dicundo potius praefuisse, quam aedilitati iudico. At in titulo Puteolano apud Grut. p. 44, 2 (Orell. n. 3855), qui item satis apertas vetustatis notas habet, C. Cluvius nominatur *IIIIvir iuri dicundo* (i. e. in alio municipio), *IIvir Nolae, IIIIvir quinquennalis* (rursus non Nolae), ut eadem aetate eundem magistratum modo IIvirum, modo IIIIvirum appellatum esse intelligamus. Verum postea huic quattuorviratui additi sunt quaestores, quorum primum vestigium est tempore Vespasiani in inscriptione apud Grut. p. 1092, 4 Q. Caesii Fistulani, qui *aedilis, quaestor, IIvir* videtur dici. Atque imperante Hadriano apud Lupul. Itin. Venusin. p. 6 (Orell. n. 3312) Ti. Claudius Bithynicus appellatur *quaestor, IIvir aedilis* (haec enim coniungenda), *IIvir iuri dicundo, IIvir quinquennalis*, et *aedilis* Nolanus reperitur apud Maff. Mus. Ver. p. 353, 7. Nolanae coloniae simile est *Hispellum*, quo item ab imperatore Augusto coloniam deductam esse constat. Etsi enim plerumque appellantur *IIviri iuri dicundo, aediles, quaestores*, ut apud Grut. p. 351, 1 (Orell. n. 3885), Mur. p. 155, 3 (Fabrett. p. 105, 250; Orell. n. 2170 et 3866), Vermigliol. Inscript. Perus. (edit. altera, qua uti consuevimus) T. II p. 146 (Orell. n. 90), est tamen etiam *Sex. Calpurnius Iuventianus IIIIvir quinquennalis* apud Grut. p. 24, 15; *T. Laterius IIIIvir iuri dicundo* apud Mur. p. 713, 5; *L. Furius IIIIvir aed.* apud Mur. p. 704, 3, quos cum nulla causa sit, cur aut omnes mendosos esse aut ad aliam civitatem pertinere existimemus, nisi ea qua dictum est ratione intelligas, explicare nequeas.

Constituimus in hac parte commentationis nostrae de trium aliarum civitatum, Campanae, Perusinae, Beneventanae magistratibus dicere, ut, quanta IIIIvirorum et IIvirorum varietas fuerit, perspiciatur. Ac Capuae quidem magistratus superiore commentatione, qua fastos eius explicavimus, fuisse imperante Augusto didicimus primum binos IIviros, qui iuri dicundo praeessent, et binos aediles, tum anno 34 a. Chr. additos esse quaestores, qui antequam instituti sunt, magistratuum numerus erat quaternarius. Iam IIviri commemorantur apud Grut. p. 390, 6; Donat. p. 78, 4 (Orell. n. 129 et 2333 et 2396); Mur. p. 723, 3. Quid igitur faciamus titulo, quem Donius p. 200, 151, Mur. p. 486, 1, Orell. n. 3732 habent: *L. Sora L. f. L. Arrius M.*

f. IIIIvir D. V. D. S. S. *terminos constituerunt*, quo loco nec Hagenbuchio assentior apud Orell. coniicienti I. D., i. e. *iuri dicundo*, pro eo quod est D. V., nec Gorio interpretanti *de voluntate decurionum singulorum*, quae explicatio ab consuetudine inscriptionum recedit. Quas notas si recte intelligere velis, comparandi erunt *Perusinae* civitatis magistratus, quam, auctam et restitutam ab imperatore Augusto, semper municipii iure usam esse constat. Nam in Perusinis inscriptionibus invenitur P. Volumnius Violens *IIIIvir IIvir* apud Vermigliol. Inscr. Perus. (ed. alt.) p. 423 n. 15 (Orell. n. 3707) et L. Proculeius *IIIIvir IIvir* apud eund. l. l. p. 557 n. 211, quae inscriptiones satis vetustae videntur esse Vermigliolio. Ac rursus confero cum his inscriptionem Placentinam apud Mur. p. 679, 1, in qua P. Aufidius vocatur *IIIIvir IIvir*, quod etsi per se possit de duobus ac diversis honoribus intelligi, quia tamen Placentiae IIviri modo appellari solent, velut vide Petr. de Lamam Inscript. antiq. collocat. in muro scalae Farnes. p. 69 (Orell. n. 3805), ad unum referre malo. Ut enim IIIIviros aediles dici, qui ex quattuorviris aedilitatem gerant, supra demonstratum est, ita quidni eos, qui ex IIIIviris duumviratus munera obeant, IIIIviros IIviros appellari aliquando putemus? Reliqui municipii Perusini sunt aediles et IIviri, ut *Vedius Crescens aedilis, IIvir iuri dicundo* apud Vermigl. l. l. p. 479 n. 65 (Orell. n. 5005), eadem fere aetate *M. Granius Sex. Lollius IIviri quinquennales* apud Vermigl. l. l. p. 363 n. 5 (Mur. p. 122, 3), paulo post imperatorem Antoninum Pium C. Egnatius Festus apud Vermigl. l. l. p. 378 n. 3 (Orell. n. 2531), ann. 179 p. Chr. in decurionum decreto duo IIviri, decurionum praesides apud Vermigl. l. l. p. 384 n. 4 (Marin. Act. fratr. Arv. p. 6; Orell. n. 4038), incerto tempore *C. Betuus Cilo aedilis IIvir quinquennalis* apud Vermigl. p. 418 n. 14 (Orell. n. 97), alius aliquis IIvir apud Vermigl. p. 425 n. 17, *aedilis* denique ineunte saeculo tertio, ut videtur, C. Vibius Gallus ibid. p. 404 n. 12 (Orell. n. 95). Quaestorum nulla in tot inscriptionibus, quae supersunt, invenitur mentio neque ullos Perusiae fuisse censeo eam ob causam, quod bello Perusino confecto oppidum omni agro poenae causa spoliatum esse narratur. Quoniam autem magistratuum numerus erat quaternarius, dubium videtur, an etiam *C. Acilius Glabrio IIIIvir quinquennalis*, quem Vermigl. l. l. p. 438 n. 5 exhibet, ad Perusiam referendus sit. *Beneventanae* denique coloniae antiquissimae magistratus etsi habent singulare aliquid, in IIIIviris tamen a consueta ratione non recedunt. Nam in eo titulo, qui et propter literarum elegantiam et propter nominum rationem videtur esse antiquissimus, apud de Vitam Inscr. Benev. p. 11 n. 7, commemoratur *L. Acidius L. f. Ste. IIIIvir aedilis*, neque multum ab eo vetustate absunt ii, quos habet de Vita l. l. n. 4 et 13, in quibus item supplendum est: *P. Cinc(ius. P. f.) IIIIvir (aedilis)* et *(IIIIvir) aed.*, eodemque haud scio an pertineant *C. Ennius M. f. C. Bergonius Q. f. aediles*, qui *viam straverunt et lacuus fecerunt*, apud de Vitam l. l. p. 11, 5 (Gud. p. 72, 5). Cum quibus videntur quodammodo cohaerere, qui inferiore aetate Beneventi repetiti sunt *aediles iuri di-*

cundo apud de Vitam Inscr. Benevent. p. 12 n. 10 et 11 (Grut. p. 415, 9) et *Cereales iuri dicundo*, quorum tres tituli supersunt apud de Vitam p. 13 (Orell. n. 3992 sqq.). De quibus cum res nondum satis explorata esse videatur, iudicare tamen non audeo. At Traiani et Hadriani temporibus soliti prorsus appellantur honores; nam apud de Vitam l. l. p. 24, 17 (Grut. p. 444, 15; Orell. n. 4007) est C. Octavius Modestus, qui in Traiani bellis stipendia fecerat, *IIvir i. d. quaestor II*, eiusdemque aetatis videntur esse L. Laeticius Rufus *aedilis, quaestor, IIvir i. d.* apud de Vitam p. 29, 1 (Grut. p. 428, 1), C. Ennius Firmus *aedilis, IIvir i. d., quaestor* apud Lupul. Itin. Venus. p. 150 (Orell. n. 4011 et 3264; Bullett. Inst. arch. ann. 1847 p. 170), L. Lollius Suavis *aedilis* apud de Vitam p. 12, 8, M. Gavius Bassus *aedilis* ibid. p. 12, 9 (Grut. p. 439, 7), C. Vibbius Stephanus *aedilis* ibid. p. 12, 12 (Grut. p. 487, 4); A. Vibbius Proculus *aedilis, IIvir i. d.* apud de Vitam l. l. p. 11, 6 (Mur. p. 758, 1), denique duo IIviri apud de Vitam l. l. p. 11, 1 et 2. In qua honorum Beneventanorum commemoratione hoc est notabile, quod quaestura, cuius ter modo mentio fit, semel inter aedilitatem et inter IIviratum, semel post IIviratum adeo ponitur, unde videtur colligi posse, quaesturam non fuisse Beneventi in numero honorum ac magistratuum, qua dempta cum bini fuerint, qui ius dicerent, et bini aediles, reliqui fiunt quattuor magistratus.

Persecuti sumus magistratus aliquot civitatum eius partis Italiae, quae, si a paucis oppidis discedas, lege Iulia, deinde Plautia Papiria in civitatem Romanam recepta est; in peculiarem locum eam quae proprie Gallia appellata est, coniicere statuimus, ut intelligatur, quid Cicero voluerit, cum ad Att. V, 2 scripsit rumorem esse de Transpadanis, *eos iussos IIIIviros creare*. De qua voce ut aliter iudicarunt alii, ita in hoc consentiunt omnes viri docti (cf. C. F. Savignium in Annal. iurisprud. histor. IX p. 325). hoc significari de civitate Transpadanis danda tum esse actum. Sed cur hoc Cicero ita dixerit IIIIviros esse creates, iudicant varie. Age igitur ipsos illarum civitatum Italiae superioris, quae hodie est, magistratus consideremus.

Ac primum quidem de *Patavio* dicamus, quod semper constat fuisse municipium. Ibi, si inscriptionem apud Mur. p. 87, 8 (Orell. n. 3987), in qua qui commemorentur magistratus, coloniae potius Atestinae videntur esse, et alteram apud Grut. p. 96, 1 (Mur. p. 40, 5), quam Furlanett. in Mus. Estens. p. 4 rectius ad Salonam pertinere docet, et denique tertiam apud Grut. p. 445, 2, item ad Ateste pertinentem (vide Ursat. Mon. Patav. p. 263) excipias, IIIIviri modo inveniuntur. Nam apud Grut. p. 360, 4 (Orell. n. 2231) est C. Asconius Sardus, *IIIIvir iuri dicundo*, apud Grut. p. 440, 5 T. Mutius Gracilis, apud Grut. p. 472, 7 C. Terentius Cetronianus, apud Grut. p. 486, 1 (Mur. p. 756, 6; Orell. n. 3863) T. Vettidius Valens, apud Mur. p. 171, 2 incerti aliquis nominis, item omnes appellati; tum M. Iunius Sabinus *IIII vir aedilliciae potestatis e lege Iulia municipali* commemoratur in celebri inscriptione apud Fabrett. p. 485, 160 (Orell. n. 3676), quam accuratissime exhibet C. F. Savignius l. s. l. p.

370. Quaestoris nulla, ut videtur, mentio reperitur. Quare sic statuendum esse censeo, cum ex lege, qua Patavium constitutum est, quaterni quotannis fierent magistratus, binos fuisse iuri dicundo, binos aedificiae potestatis, qui aut IIIIviri aedilicias potestatis dicerentur aut IIIIviri; nam M. Allenius sive M. Menius apud Grut. p. 351, 3 (Mur. p. 834, 9) et P. Osidius apud Mur. p. 80, 5 magis aediles quam duumvirali potestate videntur fuisse. *Brixiae*, quo ab Augusto colonia videtur esse deducta, imperatorum temporibus inveniuntur *IIviri iuri dicundo*, ut Q. Largennius Sagitta *praefectus iuri dicundo quinquennalis*, *IIvir quinquennalis* apud Orell. n. 66, ut duo *IIviri quinquennales* apud Orell. n. 1972 (Maff. Mus. Ver. p. 109, 1; Donat. p. 157, 1; Mur. p. 297, 4), P. Clodius Sura *IIvir quinquennalis* apud Grut. p. 392, 7, L. Acutius Primus *IIvir iuri dicundo* apud Grut. p. 344, 12; duo *IIviri* apud Grut. p. 447, 10 (Orell. n. 3875), tum *aediles* et *quaestores*, ut C. Pladicius Casdianus *aedilis*, *quaestor*, *praefectus iuri dicundo* apud Mur. p. 1035, 5 (Orell. n. 3789), Q. Cornelius Fronto *aedilis*, *quaestor* apud Grut. p. 396, 3, Sex. Nigidius Primus *aedilis* apud Mur. p. 97, 4 (Maff. Mus. Ver. p. 89, 6), Q. Minicius Macer *quaestor* apud Orell. n. 67, M. Poblicius Sextius *quaestor aerarii* apud Grut. p. 455, 2 (p. 460, 5; Orell. n. 3909). At in eadem civitate apud Grut. p. 169, 10 in titulo minime, ut videtur, dubio quattuor nominantur IIIIviri, qui turrem aedificarint. Quid igitur putabimus? Sic equidem, fuisse Brixiae ab initio IIIIviros, deinde, incertum an eo tempore quo colonia deducta, attributis in civitatem gentibus quibusdam Inalpinis (Plin. nat. hist. III, 20), quaestores additos auctoque ita magistratuum numero mutata eorundem esse nomina. *Mutinae*, quam veterem coloniam civium fuisse notum est, primum reperitur Ti. Atius *IIIIvir iuri dicundo* in inscriptione quae superest apud Celest. Cavedon. Explicat. marm. Mut. p. 220, deinde T. Vettius Nepos *IIvir quinquennalis* apud Mur. p. 168, 1 (Cavedon. l. l. p. 121), tum L. Faianius *aedilis* apud Grut. p. 1160, 3 (Mur. p. 1112, 5; Cavedon. l. l. p. 120), denique P. Vettius Sabinus *IIIIvir aediliciae potestatis* apud Caved. l. l. p. 130 (Orell. n. 3790), in qua inscriptione etsi quaedam sunt obscuriora, honos tamen ille a Cavedonio ad Mutinam refertur. Nonne igitur idem de magistratibus Mutinensibus statuemus, quod in aliis civitatibus intelleximus? *Augustae Taurinorum*, quam coloniam Augustus aedificavit, duplicem appellandorum magistratuum morem invenimus, primum saeculo primo exeunte C. Valerium Clementem *IIvirum quinquennalem* apud Grut. p. 478, 7 (Orell. n. 748), P. Livium Macrum, item *II virum quinquennalem* apud Maff. Mus. Ver. p. 214, 3; C. Leuconium Velocem, *decurionem IIvirum* apud Maff. Mus. Ver. p. 214, 4 (Mur. p. 713, 8; Marm. Taurin. II p. 95), Q. Appium *quaestorem*, *IIvirum* apud Maff. Mus. Ver. p. 218, 7 (Donat. p. 246, 4; Marm. Taurin. II p. 45), *quaestores* P. Metellium apud Grut. p. 17, 10 (Orell. n. 3989) et P. Fadienum in Marm. Taurinensibus II p. 74, tum P. Aebutium *aedilem II IIvirum II* apud Grut. p. 345, 1 (Marm. Taurin. II p. 131), T. Vetium *aedilem* apud Grut. p. 486, 2 (Marm. Taurinens. II p. 109) et

Cimbrum aliquem *aedilem IIvirum* apud Maff. Mus. Ver. p. 214, 5 (Marm. Taur. II p. 70). At C. Minnius *IIIIvir* est apud Grut. p. 439, 1 (Marm. Taurinens. II p. 112) et C. Cusius *IIIIvir aed. potestatis* apud Grut. p. 400, 3 (Marm. Taurin. II p. 132). Duo reliqui, qui citantur IIII viri aedilicìae potestatis, sunt incertiores, unus apud Maff. Mus. Ver. p. 214, 7 (Mur. p. 755, 3), alter apud Grut. p. 495, 5 (Maff. Mus. Ver. p. 214, 1; Mur. p. 1103, 5); nam utriusque tituli imaginem accurate, ut videtur, factam in Marmoribus Tauriuensibus II p. 51 et 69 si consideres, priorem IIIIvirum aed. pot. de coniectura modo a Maffeio suppletum esse invenias, cum in lapide modo supersit I . . VIR. A. P., alterum, si recte exhibuerunt auctores marmorum Taurinensium, mutandum esse in *IIvirum aediliciae potestatis*. Iam ut *IIviros aediles* saepe dici scio, ita *IIviros aediliciae potestatis* nondum a me inventos a me memini, etsi nihil est, quin ita dici potuerint. Quare in illa apud Grut. p. 400, 3 inscriptione vereor ne Pingonio, qui eius auctor est, idem acciderit, quod Maffeio, viro inscriptionum peritissimo, qui quod saepissime legerat, id in lapide etiam cum non legebat, quia ita esse oportere putabat, silentio restituit. Hoc certe video, nihil causae esse, cur Taurinenses magistratus aliter constitutos esse putemus ac reliquarum civitatum, ut bini iuri dicundo, bini aedilicìis muneribus praeessent, qui si comprehenderentur, IIIIviri appellarentur. Fortasse etiam colonia postquam aucta et restituta est ab Vespasiano (Tacit. Hist. II, 66), quia quaestores magistratibus addiderat, eorum qui iuri dicundo praeerant, nomen paulatim mutavit.

Reliquorum, quae in Italia superiore sunt, oppidorum magistratus simpliciorem habent rationem, ut ab eo, quam semel invenias, non fere desciscatur. Nam *Veronae* semper commemorantur IIIIviri, ut T. Flavius Noricus *IIIIvir iuri dicundo* apud Grut. p. 187, 1 (ibid. p. 411, 5; Maff. Mus. Ver. p. 193), incerti aliquis nominis *IIIIvir iuri dicundo* apud Grut. p. 1103, 3; T. Flavius *IIIIvir iuri dicundo* apud Grut. p. 410, 5; Turpilius *IIIIvir iuri dicundo* apud Grut. p. 852, 9 (Mur. p. 751, 8; Maff. Mur. Ver. p. 119, 2); tum Cn. Arrius Caetronius *IIIIvir iuri dicundo*, *aediliciae potestatis*, *quaestor aerarii* apud Grut. p. 359, 7 (Mur. p. 676, 2), in quo adnoto, quod quaestor aerarii dicitur, M. Gavius Squillianus *IIIIvir iuri dicundo, IIIIvir aediliciae potestatis* apud Maff. Mus. Ver. p. 116, 2 (Orell. n. 3219), Cassius aliquis *IIIIvir aediliciae potestatis* apud Maff. Mus. Ver. p. 119, 3. Eae inscriptiones, in quibus *aediles* modo dicuntur, incertum est num ad Veronam pertineant, Maff. Mus. Ver. p. 129, 1 (Mur. p. 2015, 6), Maff. Mus. Ver. p. 95, 4 (Orell. n. 690); Mur. p. 22, 8. Sed hoc certum dici simpliciter IIIIviros, qui intelligendi videntur esse *iuri dicundo*. Nam apud Maff. Mus. Ver. p. 119, 6 (Orell. n. 3438) P. Baebius Tuticanus *IIIIvir*, qui tribunus militum et praefectus equitum pro legato fuerat, non videtur non summum magistratum gessisse, et apud Orell. n. 2177 Q. Gavius Princeps *IIIIvir* item certo equum publicum habebat. Quare etiam Q. Minicium Macrum *IIII*virum apud Maff. Mus. Ver. p. 199, 1 iuri dicundo fuisse iudico, de L.

Domitio apud Mur. p. 698, 5 et alio, cuius nomen periit, apud Maff. Mus. Ver. p. 119, 1 certe dubito an fuerint. *Comenses* magistratus semper appellantur IIIIviri (nam qui est IIvir apud Grut. p. 423, 2, rectius oppellatur *VIvir* apud eund. p. 1095, 9), P. Petronius Crescens *IIIIvir aediliciae potestatis IIIIvir iuri dicundo* apud Grut. p. 449, 2, M. Mansuetius Crescens *IIII vir aediliciae potestatis IIIIvir iuri dicundo* apud Donat. p. 257, 1, L. Minicius Exoratus *IIIIvir aediliciae potestatis II IIIIvir iuri dicundo* apud Orell. n. 3669 (n. 4906), P. Horatius Florus *IIIIvir aediliciae potestatis IIIIvir iuri dicundo* apud Grut. p. 419, 5; C. Calpurnius Fabatus *IIIIvir iuri dicundo* apud Grut. p. 382, 6 (Donium p. 160, 5); L. Caecilius Cilo *IIIIvir aediliciae potestatis* apud Grut. p. 376, 5. Quaestoris in civitate, quam satis magnam fuisse novimus, nullam inveni memoriam, sed, quod miror, apud Grut. p. 427, 4 (Donat. p. 255, 6) M. Iuventius Marcianus dicitur *IIIIvir aediliciae potestatis IIIIvir*, ut, qui IIIIvir simpliciter dicatur Comi, semper videatur fuisse *IIIIvir iuri dicundo*. *Vercellae* item habent IIIIviros iuri dicundo (Grut. p. 1096, 10), et *Ravenna* (ut in inscriptione apud Caved. Explic. Marmor. Mutinens. p. 165 et apud Mur. p. 10, 1, ubi *IIIIvir quinquennalis* est) et *colonia Altinas*, cuius *IIIIvir T. Helvius Scamarinus* reperitur apud Mur. p. 1022, 7, et *Anconitana*, cuius *IIIIvir* C. Clinius Varus certus apud Mur. p. 688, 3, incertus IIvir, qui in inscriptione Auximati apud Grut. p. 459, 9 invenitur. Nec minus duo maxima oppida, quae coloniarum ius, si non habuerunt a principio, certe acceperunt ab imperatoribus, constantissime magistratus exhibent IIIIviros, *Mediolanum* et *Aquileia*. Nam illic qui unus apud Mur. p. 713, 9 scribitur *IIvir*, non dubium est, quin mutandus sit in *VIvirum*; reliqui sunt IIIIviri, ut P. Horatius *IIIIvir aedilicia potestate IIIIvir iuri dicundo* (nam sic corrigendum, quod vitiose legitur IIIIVIR. B. pro IIIIVIR. I. D.) apud Mur. p. 2023, 1; M. Varius Bibulus *IIIIvir iuri dicundo* apud Mur. p. 482, 3; L. Coelius Baro IIIIvir aediliciae potestatis apud Grut. p. 393, 7 (Donat. p. 75, 3), C. Albinius Mascellius *IIIIvir aediliciae potestatis, praefectus iuri dicundo* apud Grut. p. 51, 2, et qui eosdem honores gessit, C. Gemellius Valerianus apud Mur. p. 346, 2 (Orell. n. 1404). Denique est C. Virius Birro IIIIvir apud Mur. p. 160, 2, qui nescias utrum aedilis an iuri dicundo fuerit: nam Q. Alsutius apud Grut. p. 351, 7, qui IIIIVIR. X. P. C. dicitur, quae notae recte explicari nequeunt, potius videtur fuisse IIIIVIR. IV. DIC. i. e. *iuri dicundo*. At de Aquileiensibus IIIIviris iam supra p. 62, ubi de praefectis iuri dicundo disputabatur, allatus est titulus memorabilis. Alii sunt *IIIIviri iuri dicundo* C. Minicius Italus in celeberrima inscriptione apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 5 (Orell. n. 3651), et C. Lucius Maniacus apud Mur. p. 715, 5 (Orell. n. 3847), *IIIIviri iuri dicundo quinquennales* Fructitius apud Bertol. Antiq. Aquileiens. n. 429 (Mur. p. 703, 7) et L. Titius apud Mur. p. 750, 4 (Orell. n. 3862), tum C. Valerius Eusebes *IIIIvir IIIIvir iuri dicundo quinquennalis* apud Bertol. Antiq. Aquileiens. n. 123 et Verus quidam *aedilis IIIIvir quinquennalis* apud Mur. p. 756, 3.

Denique sunt etiam qui IIIIviri mode dicantur, C. Mamilius Rufus apud Bertol. Antiq. Aquil. n. 159, alius apud Mur. p. 33, 8 (Orell. n. 1521), C. Petronius apud Mur. p. 2024, 8. Quaestoris non magis Aquileiae quam Mediulani ulla superest memoria, ut aerarium pecuniaque publica, quam magnam fuisse oportet imprimis Aquileiae, quae aucta ab Augusto et frequentia et opulentia florebat, non a magistratu, qui proprie dicitur, sed a curatore quodam videatur esse administrata.

Ut in his civitatibus fuerunt IIIIviri, ita in aliis eadem constantia dicuntur IIviri. Sic *Eporediae* apud Denat. p. 251, 8 est Ti. Cornelius *IIvir iterum*, apud eund. p. 249, 8 aliquis, cuius nomen periit, Q. AED. [IVI]R [QVINQ] i. e. *quaestor*, *aedilis*, *IIvir quinquennalis*, P. Metellus IIvir apud Grut. p. 17, 10 (Orell. n. 3989), atque inde restituenda inscriptio apud Grut. p. 365, 8. *Astae* apud Mur. p. 760, 1 (Orell. n. 3877) est P. Vergilius Laurea *aedilis*, *IIvir iuri dicundo*; *Ateste* apud Grut. p. 445, 2 duo *aediles*, *IIviri*, apud Mur. p. 87, 8 (Orell. n. 3987) C. Cluentius Proculus *aedilis*, *IIvir*, *quaestor aerarii bis*, ut incertum sit, num quaestura Ateste inter honores fuerit; *Concordiae* apud Grut. p. 473, 7 P. Terentius *aedilis*, *IIvir*; *Dertonae* apud Grut. p. 1096, 10 C. Marius Aelianus *IIvir*; *Parmae* apud Maff. Mus. Ver. p. 368 L. Petronius Sabinus *quaestor*, *IIvir*; *Polae* apud Petr. Stancovich. de amphitheatro Polensi (Venet. 1822) p. 88 L. Cassius Longinus et L. Calpurnius Piso *IIviri*; apud Orell. n. 3372 L. Sergius *aedilis*, *IIvir* et Cn. Sergius *aedilis*, *IIvir quinquennalis*, denique apud Grut. p. 263, 7 M. Aurelius Menophilus *aedilis*; *Regii Lepidi* Cn. Biennius Broccus *aedilicius*, *IIviralis* apud Mur. p. 1075, 7 (ibid. p. 682, 8), T. Pomponius Petra *aedilis*, *IIvir* apud Mur. p. 736, 7. Quamquam omnium harum civitatum paucae modo supersunt inscriptiones, quae magistratus commemorent. Quare incertum est, utrum casu an constantia quasi factum sit, ut nulla IIIIvirorum reperiatur memoria. Una superest, de qua dicere constituerimus, *Tergestina* colonia, etsi ne eius quidem multi magistratuum tituli extant. Sed ex celebri Fabii Severi monumento, quod saepius citatum est, discimus IIviros iuri dicundo fuisse decurionum praesides, itemque L. Varius Papirius *IIvir iuri dicundo*, *IIvir iuri dicundo quinquennalis* apud Grut. p. 483, 2; L. Cetacius Severianus *aedilis*, *IIvir iuri dicundo* apud Grut. p. 388, 1 (Mur. p. 1085, 5); M. Surinus Marcellus *IIIIvir aedilis*, tum *IIvir* appellatur apud Mur. p. 748, 3 (Donium p. 218, 225; Gud. p. 139, 3; Orell. n. 3837), in quo IIIIvir aedilis haud scio an recte a Gudio mutatus sit in IIIIvirum, ut supra p. 183 Augustae Taurinorum cum IIviris IIIIviros aediliciae potestatis coniunctos fuisse vidimus. Idque eo magis statuo, quod IIIIvirum Tergeste appellari video hominem incerti alioquin nominis apud Carlium Antiquit. Italic. Tom. III p. L n. 45.

Ac quoniam in hac parte Italiae attulimus etiam civitates, quae unum constanter magistratum tenent, idem in reliqua faciamus Italia. Nam *Pisis* et Norisius Cenot. Pisan. 1, 3 negat IIIIviros reperiri nec ipsi invenimus, *Praeneste* satis multi nominantur IIviri, aediles,

quaestor, nullus, qui IIIIvir appelletur. Item *Ostiae*, *Telesiae* (ut apud Orell. n. 3265), *Velitris* (ut apud Cardin. Inscr. Velitern. p. 13 et 45 et 94), *Pisauri*, cuius magistratus multis titulis celebrantur, *Tuderte* (ut apud Mur. p. 1120, 3; Grut. p. 423, 1), *Bononiae* (ut apud Grut. p. 486, 5; Mur. p. 696, 1), *Tarenti* (apud Mur. p. 1118, 5; tum p. 703, 9 (cf. 705, 1) cf. p. 910, 7), *Sutrii* (Grut. p. 428, 6 (Orell. n. 3807); Grut. p. 355, 3), *Venafri* (Grut. p. 114, 8 et 370, 1; Mur. 478, 2 et 722, 3 et 708, 1 et 726, 6), *Castri Novi* in Piceno (Marin. Act. frstr. Arv. p. 527 et 608), *Aquini* (Grut. p. 491, 3), *Firmi* (Grut. p. 490, 2 et 3). Etiam *Puteolos* hoc in numere pone, quorum IIviri certi apud Grut. p. 207; Orell. 3767 et 5037, IIIIviri reperiuntur apud Mur. p. 1115, 6, in titulo, ut videtur, Ligoriano, deinde apud Mur. p. 1115, 7, quae inscriptio ad Sulmonem potius pertinet (vide Mur. p. 839, 2), denique apud Orell. n. 3855, quem titulum ad aliam civitatem refero. Nec *Arimini* ulli reperiuntur IIIIviri, sed IIviri; nam apud Grut. p. 1095, 2 (Donium p. 183, 88) est C. Galerius Iulianus *quaestor*, *IIvir*, apud Orell. n. 4025 Q. Caetronius *IIvir*; apud. Grut. p. 1102, 5 M. Vettius Valens *IIvir quinquennalis*; apud Mur. p. 704, 8 (Orell. n. 3822) C. Galerius *duovir quinquennalis*, *duovir iuri dicundo*; apud Mur. p. 169, 10 C. Galerius Vitalis *duovir quinquennalis*, alius *IIvir quinquennalis* apud Mur. p. 835, 2 (p. 722, 5), *IIviri* apud Mur. p. 703, 8 et 704, 5; denique apud Noël. des Vergers, in Annal. philolog. Paris. ann. 1845 p. 514 C. Luccius Paulinus *quaestor*, *aedilis*, *IIvir*, tum *IIvir quinquennalis*. Sed vere incertos nos possint reddere tres inscriptiones, prima apud Grut. p. 1091, 12 (Mur. p. 516, 3; Orell. n. 3836), in qua L. Betutius Furnianus est *IIvir quinquennalis*, *IIvir iuri dicundo*, *IIIvir aedilis* CVR, altera apud Mur. p. 700, 3 (ibid. p. 513, 2; Donium p. 194, 127; Orell. 3835), in qua L. Faestellius videtur dici AVG. IIIVIR. IIVIR. QVINQVENNAL., tertium fragmentum apud Donatum p. 264, 3, in quo haec reperiuntur I|LVIR. IIIVIR. AED. P. Quid igitur existimabimus? De quibus difficile est statuere. Non obstat, quod in aliis titulis aediles modo vocantur, ut in ea, quem modo citavi, ut in alio apud Noël. des Vergers. l. l. p. 512 (Mur. p. 21, 4 et p. 264, 7) est Q. Plautius Iustus *aedilis Ariminensis*; nam eosdem homines et aediles et IIviros aediles saepe nominari supra vidimus nec dissimilis erit ratio IIIvirorum aedilium, si qui erunt. At in titulo apud Noël. des Vergers. l. l. p. 516 est sic: *C. Septimius Candidus et P. Munatius Celer aediles stateram aeream et pondera decreto decurionum ponenda curaverunt*, ut bini modo Arimini omnino aediles fuisse videantur. Nec in aliis civitatibus ternarius numerus nititur nisi admodum dubiis testimoniis; nam quas inscriptiones affert Otto de aedilibus (ed. alt.) p. 278, eae admodum incertae; ea, quam Murat. pag. 728, 4 habet, pluribus de causis suspecta; in Rhegina apud Grut. p. 174, 7 (ibid. p. 174, 2; Orell. n. 3838) illud, de quo agitur *IIIvir*, ex solius Ligerii fide videtur esse insertum. Quare certi non relinquuntur nisi tres illi, quos Cicero testatur in patria sua Arpini fuisse. Arimini autem

prima, quam dixi, inscriptio et ita nobis tradita est, ut a Ligorii modo fida profecta esse videatur, et aedilem curulem exhibet, quale genus aedilium in nullo unquam municipio fuisse constat; unde interpolationis suspicio haud levis movetur. In altera, quae homini, equestri quidam dignitate, sed potenti ac diviti posita est, primum dubium, num IIIvir illud municipalem honorem significet, deinde, num aediliciam potestatem; nam certe in fragmento Donati Bianchius apud Donat. interpretabatur de *IIIviro aedium publicarum*, qualia munera imprimis in Gallicis civitatibus inveniri solent. Denique, etsi IIIviri aediles et erant et dicebantur Arimini, non erant ab initio, sed binario numero sub Antoninis imperatoribus ex necessitate aliqua civitati propria additus est tertius. Cf. etiam quae Orell. ad n. 2863 de quodam IIIvirorum genere Florentiae observat.

At quattuorviri constanter leguntur *Interamnae*, cuius civitatis plurima supersunt monumenta, quibus IIIIvirorum memoria conservata est, *Urbini* (apud Grut. p. 410, 7 *aedilis bis, IIIIvir iuri dicundo quinquennalis*; apud Grut. p. 471, 3 *aedilis, IIIIvir iuri dicundo*, Grut. 485, 7 (Orell. n. 3317) *aedilis, IIIIvir iuri dicundo, IIIIvir quinquennalis;* Grut. p. 387, 8 (Orell. n. 3445) *IIIIvir iuri dicundo*; Mur. p. 757, 4 (Orell. n. 3865) *IIIIvir quinquennalis iuri dicundo*, Mur. p. 703, 4 *quaestor, IIIIvir iuri dicundo*; Castell. Inscript. Sicil. p. 125, 9 *aedilis, IIIIvir iuri dicundo;* denique apud Grut. p. 485, 8 (Orell. n. 3714) *aedilis*), *Histoniis*, ut apud Grut. p. 374, 1 (Fabrett. p. 463, 92; Orell. n. 4052) *aedilis, quaestor, IIIIvir iuri dicundo quartum quinquennalis iterum*; Mur. p. 1050, 7 (Orell. n. 143) *IIvir iuri dicundo aedilis*; *Sentini*, ut apud Grut. p. 467, 2 (Orell. n. 3861) *IIIIvir quinquennalis iuri dicundo*, apud Mur. p. 198, 2 duo *aediles; Sorae*, ut apud Grut. p. 409, 9 (Orell. n. 3681) *IIIIvir i. d.*, Grut. p. 380, 1 (Orell. n. 3972) *aedilis;* alia inscriptio apud Grut. p. 373, 8 lacunosa et incerta; *Ameriae*, ubi plurimi commemorantur et *IIIIviri* et *IIIIviri iuri dicundo* et *IIIIviri aediliciae potestatis*; *Spoleti*, ubi duo *IIIIviri* apud Grut. p. 169, 12, duo *IIII viri iuri dicundo* apud Grut. p. 194, 6; item *IIIIviri iuri dicundo* apud Grut. p. 467, 7; p. 494, 1; Mur. p. 121, 3; Mur. p. 752, 2; *IIIIviri quinquennales* apud Grut. p. 171, 1 et Mur. p. 206; denique apud Mur. p. 666, 9 *IIIIvir aediliciae potestatis* et apud Mur. p. 754, 5 (Orell. n. 3966) *IIIIvir aediliciae potestatis, quaestor aerarii; Sulmone*, ut apud Mur. p. 679, 2 et Mur. p. 839, 2 (Orell. n. 3856); *Signiae*, ut apud Mur. p. 477, 2, de qua inscriptione supra dictum est, et apud Mur. p. 118, 2 (Grut. p. 490, 5); *Reate*, ubi apud Grut. p. 354, 3 est *IIIIvir iuri dicundo, aedilis*, apud Grut p. 1028, 6 (p. 437, 7) *IIIIvir iuri dicundo*; *Asculi* in Picano (Mur. p. 1039, 6, Orell. n. 3854; nam magistratus apud Mur. p. 742, 3 commemorati ad aliam civitatem pertinent), *Compsae*, cuius *IIIIvir* est apud Grut. p. 223, 1 (Orell. n. 3849), *IIIIvir aedilis IIIIvir iuri dicundo quinquennalis* apud Grut. p. 373, 5, alii in Bullett. Inst. arch. ann. 1832 p. 208 et apud G. Henzen. tab. alim. Baeb. p. 92; *Aeserniae*, cuius

IIIIvir apud Grut. p. 1029, 4 (Mur. p. 295, 3), duo *IIIIviri quinquennales* apud Orell. n. 3731 reperiuntur; *Mantuae*, cuius *IIIIvir iuri dicundo* est apud Labus. Mus. Acad. Mantuan. II p. 210; *Tarquiniis*, cuius *IIIIviri iuri dicundo* reperiuntur in Bullett. Instit. arch. ann. 1830 p. 69 et ann. 1835 p. 28; *Larini* (Avellin. Opuscul. T. III p. 74). Ac praeter has, quas diximus, aliae multae efferri possunt civitates, quarum pauciora extant magistratuum monumenta. Cf. quae in proxima superiore commentatione p. 98 disputata sunt.

Cum autem civitas Romana paulatim per provincias propagari inciperet municipiaque ac coloniae per totum orbem constituerentur, quod genus magistratuum creari solebat? In plurimis civitatibus invenio equidem IIviros. Nam in Sicilia IIviri reperiuntur *Catanae* apud Castell. Inscr. Sicil. p. 57 n. 36, *Lilybaei* apud Castell. l. l. p. 23 n. 5; *Panhormi* apud Donatum p. 338, 9; *Thermis* apud Castell. l. l. p. 70 n. 40. In Hispania, ut quaedam efferantur exempla, IIviros invenio *Astigi* (Grut. p. 398, 11), *Barcinone* non paucos, *Carthagine* (Orell. n. 630; Mur. p. 738, 4), *Cordubae* (Grut. p. 435, 4; p. 460, 10; Grut. p. 435, 1), *Hispali* (Grut. p. 380, 7; Mur. 707, 4), *Pace Iulia* (Resend. antiq. Lusitan. p. 201 et 202), *Itucci* (Mur. p. 711, 8), *Salariae* (Mur. p. 1077, 8), *Tarracone* complures, *Tucci* (Grut. p. 195, 7 et 425, 4 et 1096, 7) cf. Eckhel. D. N. IV p. 474, et IIIIviros *Carteiae*, *Cluniae*, in incerta civitate (Eckhel. Doctr. Numm. IV p. 480). In Gallia IIviros habent *Aquae Sextiae* (Mur. p. 769, 6; Millin. Itin. Gallic. Vol. II p. 204), *Arelate* (Mur. 1109, 6), *Aventicum* (Orell. n. 344 et 401), *Lugdunum* (Millin. Itin. Gallic. I p. 525), *Narbo Marcius*, cuius IIvirorum complures tituli extant, *Noviodunum*, ubi animadverto, quod pro quaestoribus appellentur *IIviri aerarii*, ut apud Orell. n. 256 sqq., *Viennae*, ubi cum item sint *IIviri aerarii* apud Orell. n. 3840 sqq., quod in Italicis civitatibus observatum est, item videtur fieri, ut IIviri iuri dicundo et IIviri aerarii uno nomine IIIIvirorum comprehendantur. Vide inscriptionem apud Gir. Amatium in Diurn. Arcad. ann. 1832, 3 p. 343. At IIIIviros ostendunt *Apta Iulia* (Orell. n. 197; Millin. Itin. Gallic. Vol. III p. 89), *Cabellio* (Orell. n. 4028), *Reii Apollinarium* (Grut. p. 428, 9). In reliquis provinciis plerumque IIviros civitatum invenio. Nam in Dacia, quotquot de civitatum magistratibus supersunt inscriptiones, habent IIviros; in duabus modo commemorantur IIIIviri, apud Orell. n. 3846 et 1934 *IIIIviri* municipii Apulensis. Quae ipse res nonnullis videatur documento esse, IIviros coloniarum, IIIIviros municipiorum fuisse proprios; siquidem antea cum colonia esset Apulum, constanter appellantur IIviri. Equidem sic malim interpretari, postquam Dacia a barbaris vastata est coloniaque ipsa Apulensis et agris et incolarum multitudine spoliata, et coloniam esse in municipium mutatam et minorem magistratuum numerum institutum, ut pro sex, qui olim fuerant, quorum principes erant IIviri, fierent modo quaterni, qui ex numero suo appellarentur. In *Dalmatiae* civitatibus fere sunt IIviri, velut *Iaderae* (Maff. Mus. Ver. p. 114, 4 et 115, 1; Mur. p. 100, 5) et *Salonae* (Donat. p. 229, 2; Orell. n. 502; Mur. p.

41, 8; Orell. n. 3833; Furlanett. in antiq. lapid. musei Estensis p. 1); at fuisse alicubi etiam IIIIviros docet inscriptio apud Steinbuechel. in Annal. Vindob. ann. 1820, 4 p. 20, quam ad Salonitanam coloniam referre nolim. Itemque opulentissima reliquarum provinciarum prope Germaniam sitarum oppida IIviris utuntur, velut *Aquincum* (Grut. p. 12, 8), *Celeia* (Grut. p. 497, 6 et 10), *Iuvavia* (Grut. p. 375, 2; Orell. n. 1964), *Ovilabis* (Steinbuechel. in Annal. Vindob. ann. 1820, 4 p. 30); at *Augusta* tamen *Vindelicorum*, nobilissimum municipium (Orell. n. 493), habet IIIIviros (Orell. n. 3743), cuius rei ratio vix intelligatur, cum etiam Celeiam et Iuvaviam constet non fuisse colonias. In *Graecia* et *Asia* quae civitates utuntur magistratibus Romano more institutis, ostendunt IIviros, velut *Corinthus*, *Buthrotum*, *Parium* in nummis (Eckhel. Doctr. Numm. T. IV p. 474), *Troas* (apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 707 et in Annal. Inst. arch. ann. 1842 p. 152). Item in *Africa Carthago* in plurimis nummis, et apud Orell. n. 526 et Donat. p. 255, 5, *Utica*, quod municipium fuit, in non paucis (Eckhel. Doctr. Numm. Tom. IV p. 147), *Leptis* (Eckhel. l. l. p. 130), *Curubis* apud Orell. n. 530, *Thaena* apud Grut. p. 363, 3, *Sitifis* in Diurn. Doctor. Parisiens. ann. 1847 p. 735. Una in hoc genere notabilis colonia Iulia Cirta, in qua iam supra p. 165 dictum est apud Fronton. Epist. ad amicos II, 6 et 7 videri commemorari IIIviros, et quidem ita, ut eo nomine omnes magistratus comprehendantur. Qui numerus maxime sane esset suspectus, nisi et in aliis inscriptionum fragmentis nuper per eam regionem repertis et apud Donat. p. 95, 1 item IIIviros appellari viderem. Sed peculiaris haec unius oppidi fuerit ratio universam consuetudinem non tollens.

Iam sic cum comparati essent per imperii Romani civitates magistratus, quid de quaestionibus illis, quae ab initio disputationis huius propositae sunt, statuendum esse videbitur? Primum illud apparet parum esse rectum, quod quidam putaverunt, IIvirorum et IIIIvirorum rationem ita fuisse divisam, ut illi coloniarum, hi municipiorum essent proprii; nam multas invenimus et in Italia et in provinciis civitates, quae cum municipia fuisse tradantur, habeant IIviros, multas etiam colonias, quae IIIIviris utantur. Ac ne illud quidem probandum, quod quispiam epinctur, cum paulatim confusum esset illud coloniarum et municipiorum discrimen, ab initio fuisse institutum, ut coloniae haberent IIviros. Nam Casinum certo et Mutinam, quae veteres fuerunt coloniae civium, usa esse IIIIviris supra p. 169 et p. 183 intellectum est. Nullum igitur ne hac quidem in re excogitari debet coloniarum et municipiorum discrimen, quod positum esset alioquin magis in nomine quam in ipsius magistratus natura ac potestate. Etenim etiam hoc a nobis demonstratum est, in quibus civitatibus IIIIviri appellarentur, non quaternos ex his esse iis muneribus, quae IIviri in aliis oppidis obibant, functos sed binos, ut numerus eorum, qui ius dicerent et decurionibus praesiderent, in omnibus esset idem, nomen in aliis aliud, omnium autem magistratuum, si uno nomine comprehenderentur, rursus una esset appellatio quattuorvirorum. Qui autem bini ex illis quattuorviris non erant iuri dicundo, in ple-

risque civitatibus aedilicia potestate erant, in paucia quaestorum loco. Quam rationem cum considero, solet mibi videri esse dubitandnm, an contra statnendum sit ac vulge existimatur, noo IIviri putandi sint veteribus temporibus per municipia ac colonias esso instituti, sed IIII viri. Cum enim Remani vel coleniam dedncebant vel municipium sua consuetudine componebant, quaternes quotannis magistratns fieri iubebant, quornm bini ius dicerent et decuriones regerent et pecuniam publicam administrarent, bini fori et viarum curam gorerent. Qna in re, ut in universa municipiorum ratione constituenda, suae reipublicao merem sequebantur. Nam etiam Romae pestquam ordinum concordia restituta est, inde a quo tempore imperium Romanum ac civites per colonias et mnnicipia propageri ceepta sunt, tres medo bonorea erant, consulatns, praeturae, aedilitatis, ex quibus si demas consnlatnm, quem nnnquam extra nrbem Romam usurpatum esso constat, due finnt reliqui, quos municipia imitarentnr; nam quaestura quidem Remae non assecuta est, ut inter ees, qui proprie boneres dicuntur, reciperetur. Duo igitur magistratus, binis bominibus constantes, satis videbantur in singula eppida, qui IIIIviri et erant et appellabantnr, ita quidem, ut, cum gradus ac mnnus, qued qnisque in IIIIviratu obtineret, significenda essent, *iuri dicundo* et *aediliciae potestatis* vel *aedilis* adiicaretnr, saepins ea res negligeretur. Sed, quoniam bini ex IIIIviris et henore maiore erant et separatis, ut videtur, comitiis fiebant, accidit paulatim, ut etiam nomine peculiari appellarentnr *IIviri*, in reliquis binis, qui aedilicia munera edministrabant, aut vetus nomen *IIIIviri aedilicia potestate* baereret aut rursus ex ane nomine *IIviri aediles* aut denique tantnm *aediles* nominarentur. Idquo eo facilius acceptum, quod, quae maiores orant et opulentiores civitates, quo in genere plnrimae erant celeniae ab iis, qui deduxerant, ambitiose ornatae, quaestores creare coeperunt, quibus in erdinem benerum receptis non quaternarius, sed senarins erat magistratuum numerus. Fluctnabat igitur dicendi usus, ut nen modo in aliis civitatibus IIviri, in aliis IIIIviri dicerentur, verum etiam in iisdem rebus publieis iidom magistratns medo IIviri modo IIIIviri appellarentur, cuius rei aperta nonnulla exempla allata sunt, sed coepit tamen ee inelinari, ut praeter certes civitates, in quibns vetus nemen conservaretur, vulgo IIviri vocarentur. Decumento est, et quod longe plurima eppida, quae ab imperatoribus per provincias eendebantur vel angebantur, IIviros babent et qued in ICterum libris selum boc nemen reperitur. Consuotndini igitnr inani bio nova arripienti, illie vetera censervanti tribuo, qued nomon eorum, qui summi in quaque civitate sunt magistratus, variatur, cuins consuetudinis non magis petest ratio reddi, quam qued alia oppida municipia, alia colenise esse malebant, quam rem iuro miratnr A. Gellius, cur accidat, si quidem inris ac reipnblicae nullum videtnr fuisse discrimen, sed mede neminis. Quem autem Remanorum merem fuisse statuimus, ut cunctos magistratus municipiorum une nomine, qued ab numero dodnxissent, cemplectentes, gonera magistratuum adiecta alia appellatiene distinguerent, ne quis singularem aut inselitum esse existimet, cadem

ratione Romae viginti viri uno nomine vocati sunt illi magistratus minores, Xviri stlitibus iudicandis, IIIviri capitales, IIIviri monetales, IIIIviri viarum curandarum, eadem in nonnullis municipiis VIIIviri, quorum alii *aerarii*, alii aedilicis potestate, alii IIviral potestate appellabantur (cf. Borghes. in annalibus philologiae Parisiensibus Tom. I p. 534), eadem denique nonnunquam alii VIIIviri, Augustalium et sevirum Augustalium affines, de quibus in commentatione nostra de Augustalibus et Seviris Augustalibus p. 85 disputavimus. Quae cum ita esse videantur, cadit, quod quidam viri docti de ambitione municipali, qua magistratuum numerus amplificatus sit, cadit, quod de inconstantia et novandi cupiditate cogitarunt, pro qua tantam nos reperimus fuisse constantiam, ut, quamvis in nomine hic illic variaretur, ne extremis quidem imperii Romani temporibus prisca aetate institutorum magistratuum vestigia perierint; illud unum manet, quod Avellinus, vir acutissimus, observavit, eorum, qui iuri dicundo praeessent, et aedilium solere esse eundem numerum.

De coloniis Romanorum militaribus

libri quattuor.

25

Libri primi

Caput primum.

Cum de coloniis Romanorum militaribus longiorem disputationem suscipere statuerimus, quoniam non primi aut soli de ea re quaesivimus, antequam ipsum argumentum persequamur, ratio videtur postulare, ut, et quibus praesidiis muniti ad tantam rem explicandam accesserimus et qui ante nos in eadem quaestione versati sint, paucis exponamus. Neque enim hoc loco omnia in eo genere placet persequi, quod qui facere velet, de multis rebus satis longas cum magno fructu inire poterit disputationes. Sed quaedam etiam nobis commemoranda, ut et quam rationem quaerendi inierimus, appareat et quid ipsi praestiterimus, recte possit iudicari.

Ac praesidiorum quidem et auctorum, quibus quaestio nostra nititur, duplex omnino videmus esse genus, quorum prius est scriptorum veterum de coloniis Romanis disputantium, alterum nummorum et inscriptionum, quae cum multum valeant ad omnem antiquitatem illustrandam, tum qui in hoc genere negligere velit, nihil prorsus proficiat. Scriptores autem veteres, incuriosos alioquin in iis rebus, quas sibi suisque notas ac vulgo usurpatas nulla explicatione egere arbitrarentur, quis putet adeo ignorasse, quibus rebus imperium Romanum auctum ac stabilitum esset, ut non aliquid id ipsum agentes censeat de coloniis disputasse? Nam eos quidem qui aliud agentes colonias commemorant earumque de rationibus referunt, non numero hoc loco, quorum, sicubi quid utile efferent, ut par erit, mentio fiet, hoc loco nulla ratio habenda erit. Quamquam exiguus est inter veteres scriptores eorum numerus, qui plura de coloniis scripserint. Quorum primum est Velleius, auctor luculentus et, si quaedam magis aetatis quam ipsius vitia exceperis, utilissimus. Qui cum hoc ageret, ut vetera tempora

paucis, sua plenius traderet, quoniam, quantum coloniarum ratio ad augendum et confirmandum imperium Romanum contulisset, intelligebat, de veteribus illis coloniis omnium scripsit optime; domesticas autem discordias institutaque reipublicae quia pro militari, quo erat, ingenio minus curabat, quae inde a Gracchis deductae sunt coloniae militaresque omnes neglexit, qui ubi desinit, inde usque ad extrema imperii tempora nos nostram rationem persequi statuimus. Sequitur, qui Vespasiano imperante ann. 77 p. Chr. naturalem historiam absolvit Plinius; nam Pomponius Mela locorum modo situs terrarumque formas curans vix unam et alteram coloniam nomine tenus commemorat. At Pliniani libri quae pars in orbe terrarum describenda versatur, cum ad alia plurima, tum ad coloniarum rationem intelligendam est utilissima. Sed quaeritur, quam rationem secutus sit, quid voluerit tradere, quid tradiderit. Atque in Italia quidem Plinii ratio aperta est. Cuius recensum antequam incipit, haec praemittit lib. III, 6, 46: *Nunc ambitum eius* (Italiae) *urbesque commemorabimus. Qua in re praefari necessarium est, auctorem nos Divum Augustum secuturos descriptionemque ab eo factam Italiae totius in regiones undecim, sed ordine eo, qui litorum tractu fiet, urbium quidem vicinitates ordinatione utique praepropera servari non posse; itaque interiori in parte digestionem in litteras eiusdem nos secuturos, coloniarum mentione signata, quas ille in eo prodidit numero.* Augustus igitur totam Italiam secundum regiones undecim, quas a prima deinceps usque ad undecimam persequebatur, descripserat [1]), ita quidem, ut nominata regione eas quae in quaque essent civitates ex literarum ordine digereret. Qua in ratione duo haec mutavit Plinius, primum, ut regiones ipsas non ex numero earum, sed, ut quaeque per litus Italiae procedenti occurrebat, recenseret, deinde ut maritimas civitates ex situ et interiores modo ex litterarum ordine nominaret. Coloniarum vero appellationem prorsus eandem, quam apud Augustum invenerat, posuit, ut nonnunquam de suo aliquid adderet, quod facile a reliquis dignoscas, sed universe ita ageret, ut iam non de Plinio, sed de Augusto, quam rationem in coloniis appellandis secutus sit, quaeri debeat. Eius igitur catalogus ex veteribus coloniis Latinis libera republica conditis habet has: *Sutrium*, *Suessam*, *Soram*, *Ariminum*, *Beneventum*, *Cremonam*, *Placentiam*, *Bononiam*, *Lucam*, *Luceriam*, *Venusiam*, *Aquileiam*, denique *Cosam* Etruriae, de qua tamen Plinius III, 8, 51 addit *deductam esse a populo Romano*, qua ex reliquis quasi exempta videtur significare, id se non invenisse apud Augustum. Iam has

1) Ubi Augustus haec perscripserit, quaeri potest. Non puto in breviario totius imperii, quod Suet. Oct. c. 101 ait cum testamento esse relictum, in quo urbes omnes recenseri non poterant. Magis existimo designari tabulam totius orbis terrarum, ab M. Agrippa inchoatam, ab Augusto absolutam, quae etiam litteris additis videtur esse explicata. Cf. Plin. nat. hist. III, 3, 8 et 17. De qua vide quae nuper scripsit F. Ritschelius in museo Rhenano philologico ann. 1842 p. 481 sqq.

colonias omnes constat postea aliter constitutas ac suppletas esse, ut non eam ob causam videri possint esse commemoratae, quod veteribus temporibus deductae sint. Earum autem coloniarum, quae iam antiquitus civium Romanorum fuerant, Plinius et Augustus habent has: *Minturnas, Senam, Hadriam, Ostiam*, quam Plinius a rege Romano conditam esse adiicit, *Puteolos, Antium, Pisaurum, Parmam, Mutinam, Tarentum*, deinque *Dertonam*, ex quibus Antium, Minturnae, Dertona, Hadria, quantum quidem novimus, usque ad Augustum nec suppletae nec denuo constitutae sunt. Ex Sullanis coloniis, quae infra commemorabuntur, sola *Nola* ab Augusto in coloniis numeratur, sed eam ab Augusto denuo deductam esse constat; ex dictatoris Caesaris coloniis nulla praeter *Capuam*, quam rursus certum est ab Augusto esse suppletam; ex iis quas IIIviri reipublicae constituendae deduxerant, multae sane, sed eas omnes post bella civilia mutatas se novis incolis constitutas esse existimo. Cum igitur hoc intelligatur, non id egisse Augustum, ut aut omnes, quae unquam deductae essent coloniae, aut certum earum genus afferret (nam nullum earum quas nominat, et earum, quas praetermittit, iuris discrimen poterit inveniri), nec statui possit, eas, quae non recensentur ab Augusto, desiisse esse colonias, quod qui existimet, plurimis refutetur exemplis, verumtamen haec cum ita sint, quod tandem consilium Augustus sequebatur? Primum hoc, ut, quas ipse deduxisset, colonias, nominaret; quis enim putabit auctorem suas ipsum colonias tacuisse, praesertim quas, quoad vixit, frequentissimas et florentissimas fuisse in monumento Ancyrano ipse glorietur? Deinde ut eas, quae opulentia et incolarum multitudine excellerent, afferret. Ac quoniam continuis prope bellis civilibus omnia Italiae municipia incredibilem in modum afflicta et debilitata erant, id quod ex ipsis agrorum assignationibus, quae a nobis exponentur, intelligitur, nullam equidem iudico coloniam potuisse esse imperante Augusto florentem aut frequentem, nisi quae ab ipso esset adiuta et suppleta. Quare etiam reliquas, quae ab Augusto praeter eas, quarum ipse auctor erat, commemorantur, colonias Augusti beneficio meruisse censeo, ut ab eo in catalogo Italiae afferrentur. Haec cum ita sint, quam Plinius exhibet Augusti recensionem Italiae, ea ut plurimum valet ad colonias Augusti cognoscendas, ita admodum exiguam utilitatem habet ad eas, quae ante eum deductae sunt, reperiendas. Neque Plinius quae apud auctorem suum invenerat, ita certe explevit, ut, quae inde ab Augusto usque ad suam aetatem in coloniarum ratione mutata essent, omnia adderet. Nam, ut exemplum afferam, a Nerone cum constet Nuceriam et Tarentum veteranos esse deductos, quis non putet has ab eo commemorari debuisse colonias, qui Vespasiano imperante scripsit? Sed Plinius, sive quod festinabat sive quod nisi quae ex libris editis referre posset, negligebat, nihil commemoravit. Itaque si qua apud Plinium non commemoratur colonia Italica, non licet colligere, eam non fuisse ipsius aetate deductam.

Nec vero in Italicis modo coloniis, sed in externis etiam Plinius totus ex Agrippa et

Augusto videtur pendere, sed addidisse tamen quaedam, quae sua aetate acta essent. Cur enim fieri dicamus, quod in Hispania Baetica (lib. III, 3, 7), in Hispania citeriore (lib. III, 4, 18), in Lusitania (lib. IV, 35, 117), in Sicilia (lib. III, 14, 88), in Sardinia (lib. IV, 13, 85), in Africa (lib. V, 4, 29), antequam singularum urbium recensum ordiatur, praemittit, quot in quaque provincia sint coloniae, quot municipia, quot oppida Latio donata, quot denique stipendiario, cum idem non faciat in Gallia, non in Graecia, non in Mauretania, non in Asia? Ideo, opinor, quia harum provinciarum ius ac condicio post Augustum mutata est, ut, si talem generalem praemittere vellet computationem, sua uti oporteret, quam piguit efficere. In Hispania vero magis etiam cognoscitur, quantopere Plinius totum se iis quos dixi auctoribus tradiderit. Nam cum universae Hispaniae imperator Vespasianus Latii ius tribuisset (Plin. III, 4, 30), Plinius tamen, suae aetatis condicione neglecta, veteres auctores sequens maluit eas urbes, quae iam antea Latinae condicionis fuerant, appellare ***Latio antiquitus donatas*** (III, 3, 7) vel ***Latinos veteres*** (III, 4, 18), quam ipse mutata civium iura componere. Deinde in Britannia, cuius magna certe pars iam Claudio principe armis Romanis pervia fuit, vide quam laboret Plinius (IV, 30, 102), qui praeter paucas mensuras iam ab Agrippa proditas nonnullaque fabulosa, quae Graeci scriptores tradiderant, nihil habeat, urbem autem aut coloniam Romanam, cuius generis iam tum ibi fuisse constat, nullam nominet. Id explicari nequit, nisi eum, cum Agrippam Augustumque unice sequeretur, suam aetatem parum curasse, totumque terrarum orbem ad eum statum, qui imperatore Augusto fuit, descripsisse existimes. Denique quid causae fuisse putamus, cur Plinius coloniis nusquam auctorum nomina adiiciat, nisi in certis quibusdam terris, in quibus etiam post Augustum coloniae conditae sunt? Velut in Mauretania, in qua provincia plurimae post eum deductae sunt, ubique auctores nominat [1]), at in ea, quae proprie est Africa, in qua quae sunt, omnes ab Augusto deductae sunt, nusquam. Item auctores silet in Hispania, in Gallia; in Asia quidem Augustum auctorem nusquam nominat, et nominat Claudium et Vespasianum. Quae ratio sic explicanda est, ut Plinium statuas in orbis terrarum recensu prorsus transcripsisse, quae apud Agrippam sive Augustum invenerat, quae postea facta sunt, dum adnotat, in iis coloniis, quas praeter Agrippae commentarios afferret, nomen auctoris addidisse [2]) vel significasse certe postea esse deductas. Velut in ***Flaviobriga***, Hispaniae colonia, cuius ipsum nomen conditorem arguit (lib. IV, 34, 110) addidit tamen ***ubi nunc Flaviobriga colonia***, ut sua aetate deductam esse indicet, idemque facit in ***Flavio-***

1) De coloniis in ea terra sitis quas narrat, ex ipsius imperatoris commentariis sumpsit; nam is inter auctores libri quinti nominatur, ac Suet. Claud. c. 41 eum ait libros octo de vita sua composuisse.

2) Una est colonia, in qua id non fecerit, colonia Agrippinensis Galliae (lib. III, 106), quae tamen et sola tunc erat in Gallia Belgica et nobilissima, ut a quo condita esset, neminem lateret.

poli, Thraciae colonia (lib. IV, 18, 47). Agrippa enim non opus erat onctoris nomen adderet [1]), quia omnes coloniae externae ab Augusto vel conditae vel si quae a dictatore Caesere ersnt profectae, ab illo certe denuo sunt constitutae. Paucis autem illis, in quibus condendis nullae fuerant Augusti partes, auctoris nomen a Plinio additur, ut *Pharo* (lib. V, 128), ut *Marianae* ot *Aleriae* (lib. III, 80). Quare in provinciis constat eum, qui a Plinio exhibeatur, coloniarum recensum sic esse intelligendum, ut, et quas nullo auctore nominato commemoret, eas Augusti fuisse statuamus et quam civitatem non appellet coloniam, eam coloniae iure usque ad Vespasianum, quo imperante scripsit, caruisse censeamus.

Sequitur Plinium Ptolemaeus, nobilis geographus, cuius in coloniis commemorandis rationem ignorari a me fateor. Nam in Italia quidem quattuordecim enumeret colonias, Torgesto (lib. III, 1, 27), Forum Iulium, Concordiam, Aquileiam (III, 1, 29), Cremonam (III, 1, 31), Augustam Praetoriam (III, 1, 34), Astam (III, 1, 45), Regium Lepidum (III, 1, 46), Lucum Feroniae (III, 1, 47), Pisas (III, 1, 48), Saturniam (III, 1, 49), duas Nucerias (III, 1, 53 ot 69), Minturnas (III, 1, 63), in quibus vix censeo posse reperiri, cur hae coloniae nominatae sint, reliquae tot non minus frequentes et illustres praetermissae. Sed periorat eius aetate, quicquid olim inter municipia et inter colonias vel iuris vel appellationis discrimen intercessorot meraeque erat aut consnetudinis aut ambitionis coloniae nomen addere. Quare in Italia quidem sic Ptolemaeo utemur, ut quas appellet colonias, accipiamus, quas non appellet, eae si alia de causa videantur tamen fuisse, non conturbemur. Quamquam in provinciis non multo maiorem habet utilitatem. Nam in Sicilia nominat tres ex pluribus, quas novimus, coloniis, in Britannia nullam, in Hispania Baetica nullam, in Lusitania et Tarraconensi singulas, satis multas et prope omnes in Narbonensi Gallia, in reliqua nullam praeter Lugdunum. Silet etiam de Macedoniae et Graeciae adiacentiumque provinciarum coloniis, nisi quod in Illyrico habet quattuor, in Threcia duas. Ex tot coloniis Asiaticis habet duas easque non magnas. In una Africa et quidem in Mauretania Caesariensi et Numidia satis multas nominat et, quia alii testes prope desunt, valet aliquid ad coloniarum rationem cognoscendam. Sed universe si iudices, cum tanta eius sit huius generis negligentia, quantam exposuimus, raro nec sine magna quadam cautione utendum eo esse apparet.

Itineraria Antonini et tabula Peutingeriana, quae non geographicam ullam aut historicam, sed vulgarem loquendi rationem sequuntur eaque aetate confectae sunt, qua coloniarum nomen atque honos evanuerat, tamen, quod minime expectes, habent aliquam utilitatem ad colonias

1) Nec Plinius usquam Augusti nomen addit praeter Mauretaniam, in qua necessarium id erat ad discernendas Claudii colonias. Etenim quod in Actio adiecit (lib. IV, 2, 5), alia ratione propter loci claritatem factum esse apparet.

inveniendas. Nam, etsi nec in Italia ulla ab iis appellatur colonia nec in ceteris provinciis praeter coloniam Traianam et coloniam Equestrem (tab. Peuting. sect. II, 6) et coloniam Agrippinam (Itin. Anton. p. 375 Wessel.), in quibus oppidis colonia non ius aliquod significat, sed ipsum nomen est, in Africa tamen plurimae in iis commemorantur coloniae, in itinerariis duodetriginta, in tabula Peutingeriana sedecim, unde magnum efficitur subsidium ad florentissimas illarum provinciarum colonias cognoscendas. In Peutingeriana quidem tabula fuerunt etiam nonnulli, qui aliud coloniarum indicium sibi reperire viderentur. Etenim quaecunque civitas duabus turribus appictis notaretur, eam coloniam esse statuebant, quo equidem signo hoc modo indicari censeo, munitum fuisse oppidum. Veluti in Italia Tarquinios, Volsinios, Clusium, quorum nominibus binae turres adduntur, quis audivit fuisse colonias? Quis in Graecia Lacedaemonem, Athenas, Megara? Similiaque per omnes provincias reperiuntur. Itaque hoc concedam posse ex illo signo coniici, civitatem aliquam fuisse magnam et frequentem et munitam, coloniam fuisse non licet coniici.

Superest, qui unus ex veteribus auctoribus extat, liber coloniarum, qui inter gromaticos veteres legitur in Lachmanni editione p. 209 sqq. Cuius libri rationem qui exponere velit, multa dicere debeat, propterea quod ex compluribus, ut videtur, libellis compositus in alia parte aliud consilium videtur habere, et ab agrimensore scriptus est, qui suae artis cupidus ius atque originem civitatum quia parum curabat tantum commemorabat, quantum sibi necessarium putaret. Neque, quae ex melioribus, quam ipse est, auctoribus affert, affert diligenter aut plane ut facile intelligi possit. Quare, etsi utilissimum esse video et quod unus ex suo genere supersit, plurimi faciendum, multae tamen magnaeque cautiones adhibendae, si recte eo uti velis. Nam cogitandum eum, qui scripsit, et coloniarum iuris atque originis imperitum incuriosumque fuisse, quatenus ea non ad artem suam pertinerent, et excerpsisse quaedam sine certo consilio. Quare fit, ut subesse soleat iis quae narrat aliquid veri, sed non sint ita vera, ut narrantur. Insigne exemplum est quod infra in colonia Capua exponetur, cuius agrum cum scriptor ille p. 231 ed. Lachm. ait lege Sullana fuisse assignatum, aperte pugnat cum Cicerone aliisque auctoribus, qui agrum Campanum, antequam a dictatore Caesare divideretur, negant ex reditibus reipublicae esse exemptum. Male igitur traditur sine dubio in libello illo, sed occasionem peccandi intelligas, si in agro Campano a Sulla militum suorum coloniam, quae Urbana diceretur, constitutam esse reperias, ab Augusto iam, ut videtur, ipsi Capuae adiunctam. Talia multa sunt in hoc libello, quae quo magis explores atque inquiras, eo magis non vera, sed per occasionem veri immutata esse reperias. Deinde, quod dixi excerpta illa esse, vehementer tenendum, ne ex silentio non vera colligas. Velut cum p. 236 Ostiensem agrum narrat ab imperatoribus Vespasiano Traiano Hadriano esse assignatum, post in eo ab Vero et Antonino et Commodo aliqua privatis esse concessa, cave putes negari, divisum antiquitus

esse civibus Romanis vetustissimamque esse coloniam. Ea modo quae dicuntur, examinandum est, utrum vera sint necne, non ex iis, quae tacentur, quicquam colligendum; nam sine iusto delectu rationeque certa excerpta sunt. Denique animadverto aliam dicendi consuetudinem valuisse ea aetate, qua ille liber confectus est, aliam ea, qua plurimae coloniae conditae sunt. Ut Veii cum colonia appellantur, cuius ager lege Iulia assignatus sit, p. 220, non sic explicandum, coloniam ab dictatore Caesare vel Augusto factam (nam semper municipium fuisse scimus certissime), sed colonos ibi collocatos, idque ita factum esse, ex aliis etiam testimoniis constat. Nec rursus quod Praeneste p. 236 nominatur modo oppidum potest esse documento non fuisse vere coloniam; fuit enim sine dubio ac parum diligenter dixit, quisquis illorum auctor est. Haec igitur et talia, de quibus peculiari commentatione exponi possit rectissime, si circumspicias, quamquam multa erunt vel ambigua vel incerta, multum tamen in hac de coloniis ratione proficias nosque diligentissime fecimus, ut, quicquid in excerptis legeretur, suo quidque loco commemoraretur ac cum reliquis auctoribus coniungeretur.

Absolvimus scriptores, quorum de coloniis post Augustum deductis tantum est silentium, ut, si iis solis uteremur, magna earum pars ignoraretur: adeo superant nummi et inscriptiones, quarum ratio praeclare accidit ut sic divisa sit, ut, in quibus provinciis deficiant nummi, in iis inscriptiones succedant. Nam Italicarum coloniarum, quarum nummi sunt nulli, inscriptiones sunt plurimae; ex Gallicis coloniis paucae produntur nummis, inscriptionibus satis multae. In Hispania, cuius inscriptiones saepe constat esse incertas et dubias, usque ad imperatorem Caligulam supersunt nummi multi, qui certissimam coloniarum memoriam tradant. De Africae coloniis nec nummi multi extant nec inscriptiones, sed completur quodammodo ea taciturnitas auctoritate itinerariorum, quae diximus. At in Graecia et Asia, cum Latinae inscriptiones reperiantur omnino paucae, multarum partium nullae, nummi, qui supersunt plurimi, maximam habent auctoritatem iisque solis quarundam coloniarum memoria nititur. Quare cum nummorum in hoc genere auctoritas matura cognosceretur, vir rei nummariae inter principes peritus I. Vaillantius librum scripsit, quo per ordinem imperatorum Romanorum coloniarum memoriam in nummis conservatam persequitur [1]), quo libro etsi nunc quidem omnem antiquitatis cognitionem longe amplificatam multisque ineptiis liberatam esse intelligas, recte tamen etiamnunc cum magno fructu utare. Quamquam sustulit eius utendi utilitatem vel necessitatem praeclarum opus Ios. Eckhelii, quo universam nummorum doctrinam insigni eruditione ac sagacitate explicat; nam non modo quicquid ante eum repertum erat, diligentissime collegit, verum etiam multa nova ac praeclara primus adiecit. Qui ne hoc quidem reliquit, ut ex re

1) Titulus eius libri est: *Numismata aerea Imperatorum, Augustorum, Augustarum et Caesarum in coloniis, municipiis et urbibus iure Latii donatis.* Paris. 1688 2 Voll.

censu plenissimo, quem habet, nummorum ad oppida et ad imperatores pertinentium excerpenda essent ea, quae ad colonias spectarent. Nam ipse in partis primae volumine quarto caput peculiare de nummis coloniarum et municipiorum scripsit, quo quicquid ex nummis de iure civitatum disci potest comprehenditur. Non vituperabimus, quod ipsam coloniarum universaeque rei agrariae apud Romanos rationem minus recte intellexerit (nam hoc ne poterat quidem sua aetate), sed hoc laudabimus, quod et catalogum coloniarum, qui quidem ex nummis petendus sit, tam diligenter confecit, et de nominibus coloniarum earumque magistratibus tam accurate disputavit, ut ab iis, qui in eodem genere postea versati sunt, qui quidem fuerunt sane pauci, vix potuerit quicquam, quod operae pretium sit, addi. Itaque, etsi et priores rei nummariae auctores assidue legimus et, qui post eum scripserunt, diligenter examinavimus, illum tamen fere unum citavimus, non quod reliquos contemneremus, sed ne librum, quem paullatim longiorem quam ipsi cuperemus fieri intelligeremus, nimia mole oneraremus. Quid enim attinebat aut falsas opiniones afferri, aut duos unius rei auctores citari?

At in inscriptionibus hercle, altero coloniarum Romanarum fonte amplissimo, alia nobis ratione utendum erat. Non querar hoc loco, per plurimos eas libros disiectas, multis sordibus inquinatas, multiplici denique etiam fraude corruptas circumferri: nota enim res est a multisque viris doctissimis dudum in magna nostrarum litterarum infelicitate numeratur: sed hoc licet iure queri, quod per magna corpora inscriptiones ita sunt digestae, ut nulla prorsus detur facultas cognoscendi, qui cuiusque civitatis supersint tituli. Itaque pertulimus non infructuosum illum quidem nec inutilem, at ingentem tamen laborem, ut singularum coloniarum inscriptiones colligeremus, inter se compararemus, examinaremus, tantumque omnino in hoc genere studii consumpsimus, ut iure quodam nostro totam hanc commentationem, quae alias praeterea multas res complecteretur, pro epigraphica tamen videremur posse numerare. Atque hoc adeo fecimus, ut, quemadmodum I. Vaillantius, quem commemoravimus, olim nummos coloniarum collegit, sic nos omnes inscriptiones Latinas, in quibus mentio aliqua coloniarum earumque magistratuum fieret, quae sunt plus quam octingentae, congereremus instaque annotatione instrueremus, quam collectionem commentationi ipsi tamquam appendicis loco adiicere cogitabamus. Verumtamen, ubi Academia Berolinensis adiuvandarum litterarum Latinarum studio incensa novi corporis omnium inscriptionum Latinarum parandi consilium capere coepit, quoniam et mancam et supervacaneam nostram operam fore intelligebamus, mutavimus consilium aequo solo, quae ex inscriptionibus efficerentur, breviter exponere, non ipsas afferre constituimus. Quamquam igitur minus fortasse inscriptionum ostendet haec commentatio quam habet studii epigraphici, hoc tamen licet affirmare, quicquid ubique de coloniis reperiatur in inscriptionibus Latinis, diligentissime ac religiosissime a nobis esse examinatum. Imprimis autem eos, qui patriarum plerumque civitatum historiam indagarunt, quos equidem saepe am-

bitione quadam cognovi, quia coloniarum ius praestantissimum fuisse sibi persuasissent, facillime adduci ut colonias statuerent, vehementer rogo, ne, si quam civitatem non inveniant inter colonias, quam ipsi velint fuisse, id negligentiae quam voluntati meae tribuere malint. Etenim si omnes eiusmodi opiniones notare ac persequi voluissem, in ingentem molem haec, quam artioribus finibus circumscribere statui, commentatio excrevisset. Nunc quantum natura humana patitur, mihi velim credant etiam tacenti.

Diximus de fontibus, unde omnis de coloniis Romanis disputatio petenda sit. En age commemoremus etiam eos, qui iis usi sunt, ut iudicari possit, quid nos voluerimus. Ac princeps quidem nominandus Onuphrius Panvinius, vir Romanae antiquitatis studiosissimus. Qui cum de imperio Romano scriberet, quomodo ortum, et per Italiam ac provincias propagatum esset [1]), necessario ad colonias devenit. De quibus disputavit capitibus duobus, quorum priore colonias Italicas centum sexaginta quattuor enumerat, altero colonias extra Italiam in provinciis sitas. Eum librum noli ad eam rationem exigere, quae iure nostra aetate possit postulari. Nam nec genera coloniarum discernit nec in auctorum usu eam habet cautionem, quae illo tempore, cum scriptores veteres mendosissime legebantur, nummorum vero et inscriptionum nulla prorsus disciplina erat, magis etiam videtur adhibenda fuisse quam hodie. Itaque peccat saepe ridicule. Velut in Italia coloniam habet *Pampiam* ex male lecto inscriptionis fragmento, et alteram *Senuisam*, item ortam ex inscriptione, in qua pro *Sinuessanis* perperam legerat *Senuissanis*; velut in Syria refert coloniam *Zarmé Tigetusam*, quam ex Ulpiani loco, quo est de Dacica colonia Sarmizegethusa, male lecto effecerat. Similesque non paucos admisit errores. Sed tamen non tam hoc soleo vituperare, quod in multis rebus peccavit rationeque coloniarum parum perspecta omnia tempora ac genera confudit, quam mirari, quod tam multa congessit. Usus enim et scriptoribus omnibus et nummis et inscriptionibus, quarum erat peritissimus, paucas omnino ex eo numero, qui vel fuit vel reperiri nunc potest, omisit. Quare resecandae potius ex eius copia erant coloniae, quam adiiciendae. Successit Panvinio Carolus Sigonius, qui in libro eruditionis atque acuminis plenissimo, quem composuit de antiquo iure populi Romani [2]), necessario fecit, ut etiam colonias tractaret. Cuius viri eruditio etsi merito ita ab omnibus viris doctis celebratur, ut quidam, eorum, quae post illum disputata sunt, ignari in uno illo sibi acquiescendum esse etiamnunc putent, nescio tamen quo pa-

1) Appellatur liber *Imperium Romanum seu de civitate, imperio et republica Romana.* Paris. 1588. Nos usi sumus repetitione, quae invenitur in Graevii Thesauro antiquitatum Romanarum Vol. I p. 437 sqq.

2) Sic inscribitur: *Caroli Sigonii de antiquo iure populi Romani libri IX*, novissimeque editus est Lipsiae et Halae 1715

eto acciderit, ut boo in genere minus oopiosa axtiterit disputatio. Nen dico da veteribus coloniis Latinis iisque omnino, quae a libero populo Romane deductae sunt, sed de militaribus coloniis, inde a Caesare et Augusto constitutis, tenua eane est caput libri tertii quartum, quod in solis fere Frontini, qui appellatur, testimoniis anumerandis continaatur. Tum in recensione provinciarum, non silet ille quidem omnes colonias, sed Plinianis nominandis contentus reliquas praetermittit, ut facile virum alias accuratum et eruditum de hac re agere noluisse animadvertas. Sod expressit temen eius disputationes I. C. W. A. Hopfensackius in libro non inutili quidem, at parum accurate facto [1]), quem cum ipsum rem minns intellexisse facile sentias, novi nibil addidisso laudes potius quam aegre feras. Atque in boo statu, si modo stare, non iacere baec dicenda, mansit haco antiquitatis Romanae pars; nam neo Nicolaus Madvigius, qui in Opusculis ecademicis p. 208 sqq. de iura et condicione coloniarum populi Romani prudentissime disseruit, ultra Gracchos processit, nec G. F. F. Rupertius, qui in Actis Academiae Pontificiae ann. 1840 quaestionem exhibuit eb illa praemio ornatam campum, a decessoribus suis relictum ingredi veluit.

Iam nostrum consilium quod esse debuerit, non difficila est intellectu. Nam praetermissis veteribus illis coloniis, de quibus aatis fere disputatum esse censemus (quamquam atiam ille ex genere quaodam notavimus), omnes, quae inde ab anno 100 a. Chr. deductae sunt, colonias enumerare, leges, ex quibus deductao sunt, illustrare, civitatum denique, in quibus collocatae sunt, bistoriam explicare constituimus. Qoa in re etsi saepe etiam res agraria, quae proprio appellatur, attingenda erat de ratiene finium ao terminorum, de modo assignationis, quaequo alia ad agri mensorum artem pertinent, diligenter tamen cavimus, ne ees fines ingrederemur, quos dudum Rudorffii ICti prudentissimi studium assiduum in possessione sua bebet. Verumtaman, quoniam ab imperatoribus merces ingeniumque Remanum non modo per colonias, quae proprie dicuntur, sed atiam per plurima in omnibus provinciis oppida vel condenda vel amplificanda propagabantur, hoc etiam cavendum erat, ut ne extra colenias evagaretur oratio nostra. Nam etsi eum campum et iucunditatis et utilitatis plenissimum esse videmus ipsique aliquam eius partem ea commentetione, quam de oelonatus, qui dicitur, origine ac decursu scripsimus, persecuti snmus, qua quaestione exitus quasi vel interitus coloniarum continetur, heo loco id ipsum videbatur esse agendum, ut quae propria fuissent coloniae itaque appellatae, separatim explicarentur ac tantum fere ex illo genere hic commemeraretur, quantum ad aliorum virorum doctorum errores refellendos necesse esset. Denique iis, quae de iura coloniarum disputata erant, addere placuerat de earum republica

1) Titulo quidem utitur magnifico: Staatsrecht der Unterthanen der Römer, Düsseldorf 1829.

ac sint fortasse, qui eam partem desiderent. Quibus nos iis, quae has de coloniis quaestiones antecedunt, commentationibus abunde videmur satis fecisse. Quoniam enim reipublicae nullum usquam fuisse videtur inter colonias et inter municipia discrimen, haec non putavimus esse utile praetermitti, quaeque maxime nova quaestione indigere arbitraremur, utraque ratione coniuncta exponere maluimus. Hi igitur fines, hoc consilium disputationis nostrae, ad quam ipsam age ab hoc quasi prooemio perveniamus.

Caput alterum.

Initium esto quaestionis nostrae ab iis, quae Velleius, luculentissimus veterum coloniarum enarrator, scribit libr. I, 15, 5: *In Bagiennis Eporedia colonia deducta est Mario sextum Valerioque Flacco consulibus* (i. e. anno 100 a. Chr.). *Neque facile memoriae mandaverim, quae, nisi militaris, post hoc tempus deducta sit.* Ab illo enim tempore quae deductae sunt coloniae, cum ipse noluerit narrare, ex veterum et scriptorum et inscriptionum et nummorum memoria demonstrare statui, difficillimam equidem rem eggressus magnaeque molestiae plenissimam, sed eam, quae, si leviter attingeretur, aliquantum, sin plene et recte explicaretur, plurimum ad totum imperium Romanum cognoscendum conferre videretur. Cur autem et Velleius in Marii Valeriique consulatu substiterit et ego ab ipso illo ordiri debuerim, ea est causa, quam Velleius significavit, quod inde ab illo tempore *coloniae* fuerunt *militares*. Coloniae enim cum antea deducerentur, ut terra ab hostibus capta muniretur prolesque Romana propagaretur, iam, cum in Italia quidem nihil superesset, quod ab hostibus tutandum esset, praemia militiae coeperunt esse ipsaque necessitas Romanos coëgit, ut eam rationem invenirent. Nam milites, qui pridem vel locupletes homines fuerant vel ii, qui defuncti bellis ad pacis negotia redire sibique solita ratione victum quaerere possent, iam esse coeperunt pauperes homines, qui praeter id, quod manu atque armis quaesivissent, nihil possiderent, quibus bello finito necessarie erat consulendum.

Itaque inde ab anno 100 a. Chr. primum intelligimus rationem eorum esse mutatam, qui in colonias deducebantur: ager, in quem deducebantur, iique, qui leges de deducendis coloniis ferebant, iidem erant, qui fuerent antea. Ideo, quo melius perspiciatur, quis et qualis ager publicus fuerit, antequam de coloniis militaribus dicam, faciendum esse puto, ut nonnulla *de lege Thoria* praemittam. Quae quamquam ultra ea tempora ascendit, a quibus nobis initium disputationis nostrae capiendum est, fundamentum tamen esse debet cuiusvis quaestionis, quae de re agraria, qualis post Gracchos fuerit, instituitur propterea quod eius tanta supersunt fragmenta, quanta nullius legis agrariae.

Inveniuntur autem fragmenta illa legis Thoriae, quae dixi, in aversa parte eius tabulae,

in cuius adversa parte lex Acilia [1]) repetundarum est. Quae cum doctissima disputatione illustrata A. A. F. Ruderffius, ICtus Berolinensis, edidisset, nuper denue cum autographe collata recensuit C. W. Goettlingius [2]). Sunt praeterea alii non pauci, qui de iisdem fragmentis vel breviter quid sentirent significarint vel pluribus exposuerint [3]). A quorum virorum doctorum sententia sicubi ego discessero, id non ita facio, ut aut illos vituperem, quod minus viderint, quid verum esset, aut me supra eos extollam. Necessario enim fieri solet, ut, qui continuam alicuius instituti seriem quasi ac rationem persequatur, multa rectius videat, quam ii, qui in singulis partibus dum consistunt, quid consequi potuerit, quid antecedere debuerit, intelligere non queunt.

C. Gracchus, qui Tiberii fratris legem agrariam ita retulerat, ut iurisdictionem de agro assignande IIIviris lege Sempronia constitutis reddoret, cum anno 121 a. Chr. occisus esset, optimates auctore oppresso legem quoque ipsam infringere conati sunt. Appianus bell. civ. I c. 27 tres leges eo consilio latas esse scribit, primam, quam non multe post C. Gracchi necem (οὐ πολὺ ὕστερον) rogatam esse ait, qua permittebatur iis, quibus agri divisi erant, ut sortes vendere liceret, id quod ipsa lege Sempronia cautum erat ne fieret. Aucterem eius legis cum Appianus non neminet, Ruderffius l. l. p. 34 coniicit fuisse M. Octavium, tribunum plebis anni 120 a. Chr., enndem, qui frumentariam C. Gracchi legem ita mutavit, ut aerario tolerabilis fieret [4]). De qua coniectura cum certi nihil dici possit, mihi quidem parum videtur esse probabilis propterea quod Cicero in Brute c. 62, 222, ubi Octavii frumentariam actionem ma-

1) Quae vulgo Servilia appellatur, ex Sigonii et Cor. Kienzii, qui peculiari commentario illustratam edidit, auctoritate. Sed Aciliam utique esse docuit C. T. Zumptius in scriptione academica de legibus iudiciisque repetundarum, ann. 1845, p. 20.

2) In libro germanico, qui inscribitur Funfzehn Römische Urkunden auf Erz und Stein, Halle 1845, p. 30 sqq. Rudorffii de lege Thoria disputatio est in Annalium iurisprudentiae historicae Vol. X.

3) Tres nomino, C. W. Goettlingium in historia reipublicae Romanae usque ad C. Caesarem p. 445, Gust. Zeissium in commentatione de lege Thoria agraria, in programmate gymnasii Vimariensis ann. 1841, nuperrime Ad. Kienium in libro germanice de bello sociali scripto (Lips. 1845) p. 125 sqq.

4) Secutus enim sum Pighium in annal. Rom. III, 76 et C. T. Zumptium in annal. veter. populorum s. a., cum nonnulli aliter statuant. Nam Beierus ad Cic. Off. II, 21 et Baiterus in indice legum ad Ciceronis edit. Orellianam p. 223 propter Cic. Brut. c. 62, 222, ubi hic M. Octavius inter posterioris aetatis oratores recensetur, eum Cn. Octavii, cos. 87 cum Cinna, filium fuisse existimant, ut Gracchi legem frumentariam, quam Cic. de off. l. l. aerario intolerabilem dicit, quinquaginta fere annos intactam mansisse putent. Quod quis credat, cum ex Gracchorum actionibus ne quae salutares quidem reipublicae fuerant tam diu valuerint? Rediit igitur, si minus ad annum, at ad aetatem Pighianam Drumannus in hist. Rom. Vol. IV p. 225, qui hunc M. Octavium Gnaei, cos. anni 128 a. Chr., filium fuisse censet.

gnopere laudat, si qua eiusdem fuisset agraria, item C. Graccho adversa, eam non videtur silentio praetermissurus fuisse. Alterius autem legis auctorem Appianus nominat haec scribens: Σπούριος Βόριος δημαρχῶν εἰσηγήσατο νόμον, τὴν μὲν γῆν οὐκέτι διανέμειν, ἀλλ' εἶναι τῶν ἐχόντων καὶ φόρους ὑπὲρ αὐτῆς τῷ δήμῳ καταθήσεσθαι καὶ τάδε τὰ χρήματα χωρεῖν ἐς διανομάς, quae ad hanc ipsam legem Thoriam, cuius fragmenta supersunt, pertinere infra demonstrabimus. Tertiam denique legem sic Appianus commemorat: Καὶ τοὺς φόρους οὐ πολὺ ὕστερον διέλυσε δήμαρχος ἕτερος καὶ ὁ δῆμος ἀθρόως ἁπάντων ἐξεπεπτώκει (ὅθεν ἐσπάνιζον ἔτι μᾶλλον ὁμοῦ πολιτῶν τε καὶ στρατιωτῶν) καὶ γῆς προσόδου καὶ διανομῶν, πεντεκαίδεκα μάλιστα ἔτεσιν ἀπὸ τῆς Γράκχου νομοθεσίας ἐπὶ δίκαις ἐν ἀργίᾳ γεγονότες [1]). In his verbis duo sunt, quae dubitationem moverint hominibus doctis. Primum quaeritur, Γράκχου νομοθεσία quomodo intelligendum sit. Equidem non dubito, quin annus 121 a. Chr. dicatur, quo C. Gracchus occisus est, vel is qui antecedit, quo leges suas Gracchus tulit, nec credo Goettlingio libr. laud. p. 448, qui minus accurate Appiani verba interpretatus Γράκχου νομοθεσίαν non Gracchi leges, sed Semproniarum similes leges intelligit, ut quindecim annos inde a L. Marcii Philippi lege agraria (a. 104 a. Chr.) usque ad M. Livii tribunatum (a. 91) numeret [2]). Deinde illa quae sunt ἐπὶ δίκαις ἐν ἀργίᾳ γεγονότες alius inter-

---

1) Sic enim hunc locum equidem scribendum esse existimo, qui cui emendatus visus sit, scio neminem praeter Zeissium. Is καὶ νόμων, quod addi solet post καὶ διανομῶν, quod inde a Musgravio, praeter Mazochium in comment. ad aeneas tabulas Heracleenses p. 316, omnibus ex mala librarii repetitione ortum esse videbatur, dum de legibus agrariis intelligit, quas nullas fuisse lege Thoria sublata existimat, et contra historiam statuit et contra ingenium linguae Graecae; nam et fuerunt leges agrariae multae post Thoriam nec νόμοι, ne articulo quidem addito, agrarias leges significare possunt. Rudorffius l. l. p. 37, motus maxime altero loco Appiani, quem Schweighaeuserus contulit, lib. I c. 19 οἱ δὲ τὴν γῆν διανέμοντες, οὐκ ἀπαντῶντος ἐς αὐτοὺς οὐδενὸς ἐς δίκην, ἐπὶ ἀργίας ἦσαν, lacunam esse apud Appianum censet eamque sic explendam; ἦσαν δὲ οἱ τὴν γῆν διανέμοντες πεντεκαίδεκα — γεγονότες, quod improbandum et quia totum illud genus lacunarum statuendarum lubricum ac difficile est et quia vix graece dici potest ἦσαν γεγονότες. Goettlingius denique l. s. l. unum verissime videns, quod reliqui neglexerunt, illud quod est γῆς προσόδου καὶ διανομῆς cum verbo ἐσπάνιζον coniungi non posse sensit; nam qui modo exciderant omnibus, eos dici habere raras divisiones ineptum est. Sed quod inde colligit genitivos γῆς προσόδου καὶ διανομῆς pendere ex eo quod est ἐπὶ δίκαις, non credo; nam id nec grammatica ratio pati videtur et iudicia fiunt de eo, utrum ager privatus sit an publicus: vectigal et divisio sponte consequuntur. Quare nos ea, quam supra posuimus ratione, rectam sententiam efficere conati sumus. Excidit populus omnibus iis, quae priores leges agrariae constituerant, et vectigali illo, quod impositum erat agro publico hac ipsa, de qua dicimus, lege Thoria, et agri divisione, quae Gracchorum legibus inducta erat. Inde raritas et civium et militum consecuta est.

2) Repetivit eandem sententiam Goettling. in editione legis Thoriae in libro, quem supra citavi, p. 31. In qua parum perspicio, cur a L. Marcii Philippi tribunatu potissimum numerare incipiat. Cur enim is dicatur magis Gracchorum vestigia secutus sese quam alii, qui leges agrarias tulerunt?

prelatus est aliter: equidem hoc dici censeo, quindecim annis post C. Gracchum iudicia de agro publico desita esse haberi plebemque, cum usque ad id tempus fuissent iudicia, tum hac quoque spe ac solatio esse privatam. Nam intra illos quindecim annos quamquam duabus legibus agri publici ratio mutata est, quia tamen quaerebatur, qui ager esset publicus, qui privatus, iudicia esse oportebat [1]).

At enim alterius legis apud Appianum auctor qui nominatur Sp. Borius, fuisse nequit, quia Boria gens nulla apud Romanos nota est [2]); quare cum emendandum esse videatur, occurrit Sp. Thorius, tribunus plebis, de quo Cicero in Bruto c. 36 ***Sp. Thorius satis valuit in populari genere dicendi, is qui agrum publicum vitiosa et inutili lege vectigali levavit,*** qui a Cicerone inter eos oratores commemoratur, qui exeunte saeculo altero a. Chr. vixerint. Altera enim Thoriae legis mentio apud Cic. de orat. II, 70 nihil magnopere confert ad eius aut tempus aut auctorem definiendum.

Ad confirmandam hanc emendationem, quo melius demonstrari possit, quod Cicero de Thoria lege tradit, non discrepare cum Boria, quae falso apud Appianum nominatur, opus est fragmenta legis agrariae, quibus Rudorffius Thoriae legis nomen inscripsit, considerare. Quam legem ex satis certis argumentis constat anno 111 a. Chr., quo P. Cornelius Scipio L. Calpurnius Bestia consules fuerunt, esse latam; sunt enim in ea vs. 95 (edit. Rudorff.) haec verba: ***quodque in eo agro loco vinei oleive fiet, quae messis vindemiaque P. Cornelio,*** quae supplenda esse ***L. Calpurnio cos. facta siet***, vs. 54, item ad Africam provinciam pertinens, demonstrat, ubi sunt: ***P. Cornelio L. Calpurnio cos. facta siet*** [3]). Hinc intelligitur non esse

1) Zeissius l. l. Romanos dum litibus essent occupati, otiosos fuisse existimat, id quod inter se pugnat, Kienius in libro supra citato p. 129 constitisse quidem censet iudicia intra quindecim illos annos, sed vim eorum fuisse infractam, ut nomine tantum essent, re nihil valerent. Similiterque Rudorffius et Goettlingius otium iudiciorum ad quindecim annorum spatium referunt, id quod propter eam quam supra demonstravi rationem ferri nequit. Etenim cum ille tribunus, quisquis fuit, qui divisionem agri publici sustulit, vectigal ei imposuisset, iudicia certe non minus esse voluit, quae discernerent, qui ager esset publicus, ex quo vectigal solvendum esset.

2) Inauditum enim id nomen esse cum intellexisset Mazochius, secuti sunt Schweighaeuserus ad App. l. l., Goettlingius, Zeissius. Solus fere Rudorffius tuetur nec tamen aliud eius vestigium reperit, nisi in Valerii Probi notis (apud Gothofred. Auct. lat. ling. p. 1463), qui notas L. BO. affert easque explicat ***lex Boaria***, quibus item legem Boriam ille ait posse significari.

3) Negat vs. 95 ita explendum esse Kienius libr. supra laudato p. 125, quia non recte interpretatur. Quod autem ipse proponit ***P. Cornelio L. Mummio cens.***, speciosius quam verius est. Nam etsi illi censores primum composuerint Africam provinciam, eorum tamen legem non eiusmodi fuisse, ut semper valeret, ex vs. 88 huius legis intelligitur, ubi lex, ***quam L. Caecilius Cn. Domitius cens., cum agrorum vectigalia fruenda locaverunt, dixerunt*** commemoratur. Copiosius autem hanc de aetate huius legis sententiam persecutus est Rudorff. l. l. p. 45.

eam legem, quam tertio loco Appianus commemorat, quam quindecim annis post C. Gracchum rogatam esse dicit; nec potest esse ea, quae prima ab eo recensetur, quia statui non potest, inde ab anno 121 a. Chr., quo Gracchus occisus est, usque ad hunc annum 111 nihil in re agraria actum esse. Necesse igitur est, haec cuius fragmenta extant sit ea, cuius latorem Appianus Sp. Borium vel Sp. Thorium appellat. Idem inde colligendum est, quod lex Sempronia (vid. fragm. vs. 6, 22, 82 ed. Rud.) et Rubria (vs. 59) et ea, quam primam ex tribus illis Appianus recenset, qua vendere sortes permissum est (vs. 11, 15, 23), in his fragmentis commemorantur, nulla ex iis, quae post id tempus rogatae sunt [1]. Iam igitur cum externis quasi rationibus qualis fuerit lex Thoria explicarimus, superest, ut demonstremus, in his fragmentis idem esse scriptum, quod et Cicero et Appianus in lege Thoria fuisse dicunt, vel ea non esse inter se contraria; nam quoniam et fragmenta haec sunt admodum mutila nec aut Cicero aut Appianus omnia referre volebant, quae in lege Thoria erant, fieri potest, ut sit apud Ciceronem aut apud Appianum, quod non inveniatur in his fragmentis, et ipse Cicero commemoret, quod praetermittat Appianus. Quid autem vituperari arbitramur a Cicerone in lege Thoria? Hoc, opinor, quod Thorius vectigali, signo agri publici, sublato, quod publicum fuerat, in privatum convertit. Id *vitiosum* appellat, quod secundum veteris reipublicae Romanae rationes nunquam quicquam, quod semel fuit publicum, in privatum commutari potest. Commodari potest privatis hominibus, potest connivere respublica vectigali non soluto, sed semper repetendi ius debet retinere. Ideoque etiam *inutilis* vel perniciosa fuit lex, ex qua principium ea, quae publica populi Romani fuerant, privatis concedendi ortum sit. Nam quod Gracchorum actiones lege Thoria sublatae sint, non vituperare, sed laudare debet Cicero, qui quantopere popularium studiis inimicus fuerit, notum est. Iam illud, quod Cicero in lege Thoria reprehendit, primo capite eorum fragmentorum, quae nobis supersunt, rogari videbimus, ut eandem esse utramque legem manifestum sit: quod Appianus in lege Thoria fuisse ait, id non esse apud Ciceronem ne miremur. Diversum enim uterque consilium sequitur, cum Appianus demonstrare velit, quomodo factum sit, ut legibus agrariis neglectis atque aversis raritas militum ac civium extiterit, qua re imperium Romanum debilitatum esse intelligebat, Cicero veterem reipublicae Romanae rationem tum primum sperni coeptam esse doleat. Illud vero magis mirum esse potest, quod, quae ex lege Thoria ab Appiano afferuntur, non appareant in fragmentis, quae habemus: verum fuisse in ipsa lege infra demonstrabimus. Quod etiamsi demonstrari certo nequiret, non infirmaretur, quod supra aliis argumentis efficere visi sumus, et

1) Persecutus est hunc locum imprimis Zeissius in disputatione sua p. 13. Qui cum omnino ad eundem finem pervenerit atque ego, saepe eum citare nolui.

haec fragmenta et Ciceronis Appianique quae supra attulimus verba, ad unam eandemque legem Thoriam pertinere [1]).

Iam vero cum intellectum sit, quod nomen praescribendum sit his fragmentis, ad ipsa accedamus, ut quid in lege fuerit cognoscamus, qua in re non supplementa quidem, quae Rudorffius addidit, at ordinem, quo tabulae partes disiectas collocat, servabimus. Fragmenta autem haec tres partes complectuntur, quarum prima duodeviginti capitum, quae a Rudorffio constituta nos servabimus, ad Italiam, altera, quae usque ad caput quinquagesimum pertinet, ad Africam, tertia ad Graeciam refertur.

Primum igitur caput totius legis agrariae, quod de Italia est, illud continet, quod a Cicerone vituperatur; iubet enim aliquantum agri publici, qui usque ad illud tempus fuerat, privatum fieri. Ager autem publicus omnino is existimatur, qui fuerit P. Mucio L. Calpurnio Pisone cos. i. e. anno 133 a. Chr., quo anno cum Ti. Gracchus rem agrariam movere incepisset, idem quasi terminus servatus est in ceteris legibus agrariis [2]) et recte potuit servari, quia tum tota subacta Italia nihil postea agri publici partum est. Is igitur ager publicus, qui mutatur in privatum, in quinque genera distinguitur. Primum genus est eius agri, quem antiquitus ab hoste captum civis Romanus possedit intra eum modum, quem leges veteres, i. e. Licinia et Sempronia, praescribunt, nec videtur referre, utrum is ager sit in possessione eorum, qui initio occuparunt, an ad alios aliqua ratione transierit: postea certe *vetus possessor pro-ve vetere possessore* eodem prorsus loco habentur (vs. 17). Alterum genus est eius agri, quem IIIvir lege Sempronia constitutus civi Romano sortito dedit, assignavit [3]), dummodo ne ea sors sit in eo agro, quem, ut intra licitum modum occupatum, lex veterum possessorum esse iubet. Tertium agri genus quod fuerit, ex unius tantum verbi vestigiis, quae sola supersunt, coniici potest; nam superest hoc modo . . . *dditus est*, quod explendum *redditus est* [4]).

1) Discedo igitur in hac re a Rudorffii Kieniique iudicio, qui fragmenta haec eius legis esse existimant, quae tertio loco ab Appiano ponitur.

2) Ut in lege Flavia, de qua infra dicetur.

3) Lex sic ait (*quod*) *quoi eique de eo agro loco ex lege plebeivescito IIIvir sortito ceivei Romano dedit, adsignavit.* Commemoro in his, quod iam Rudorff. p. 56 animadvertit, ubique per totam hanc legem IIIviros Semproniae legis appellari, nunquam IIviros. Nam Gracchus videtur, quo celerius negotium conficeret, divisionem agri ita IIIviris detulisse, ut singuli agrum assignarent, nec aliter factum est in posterioribus legibus agrariis. Quamquam lites et iudicia, quae oriebantur, apud collegium IIIvirum facta esse arbitror. Cf. quae infra dicentur in lege Livia.

4) Atque explevit sic Rudorff. ex vs. 16 *possessionem dedit, adsignavit, reddidit*, ubi complectitur lex, quae hic singillatim exponuntur. Cf. v. 23 et 24. Eiusdem reliqua supplementa accipere nequeo; existimat enim (p. 53) eum dici agrum, qui querente vetere possessore a IIIviris ei redditus

Quomodo autem reddendi verbum usurpetur, docet infra vs. 69 *tum tantundem modum agri ei quoi ita emptum esse comperi(etur heredive ei)us procuratorive eius heredive quoius eorum de eo agro, quei ager in Africa est, pro eo agro IIvir reddito.* Redditur igitur ager, cum pro agro publico, qui possidatur, possessori alius ager, item publicus, datur. Saepe enim sine dubio fiebat, ut dividi non recte posset ager ac superesset aliquid in sortibus explendis propterea quod interiectum erat, quod vetus possessor intra modum licitum occuparat. Tum igitur vetus possessor cogebatur eo agro cedere, pro quo ei tantundem agri publici alio loco sitî reddebatur. Quare reddendi verbum saepe in hac lege coniunctum invenimus cum *commutandi* verbo, cuius similis est significatio. Vide vs. 58 et 79 et 94 [1]). Quid igitur scriptum erat hoc loco? Hoc, opinor, ut item privatus esset is ager, qui pro eo agro, quam IIIvir divisisset, veteri possessori a IIIviro esset redditus. Quartum agri publici genus, qui hac lege privatus factus est, duplex fuit; priore enim loco satis probabiliter intelliguntur ea loca publica, quae in urbe ipsa Roma fuerant, quorum partem Gracchus videtur divisisse [2]); altero autem loco vs. 5 commemoratur is ager, qui extra Romam in urbibus, oppidis, vicis Italiae [3]) assignatus erat a IIIviro. Quod caput ideo maximo memorabile est, quod ex eo de

sit, a qua re abhorrere reddendi verbum demonstramus. Nos quidem ipsa legis verba h. l. sic restituimus: *Quei ager poplicus populi Romanei in terram Italiam Q. Mucio L. Calpurnio cos. fuit, extra eum agrum locum, quei ager locus ex lege plebeivescito, quod C. Sempronius Ti. f. tr. pl. rogavit, exceptum cavitumque est, nei divideretur, qui in eo agro loco pro eo agro loco, quem IIIvir dedit adsignavit, ager locus redditus est.*

1) Interest autem hoc, quod *redditur* ager pro eo, qui publicus fuerat, *commutatur* pro eo, qui aliquo iure privatus fuerat. Vide cap. 12 legis Thoriae ed. Rudorff. et paulo infra.

2) Sic coniecit Rudorff. confirmaturque eius sententia posteriore parte huius capitis, in qua est *quodve agri locei publicei in terra Italia, quod eius extra urbem Romam est*, cet. Ac Cic. de leg. agr. II, 14, 36 *Sunt enim loca publica urbis, sunt sacella, quae post restitutam tribuniciam potestatem nemo attigit, quae maiores in urbe partim periculi perfugia esse voluerunt*, significat alia loca publica etiam in ipsa urbe esse divisa, ut Servii Tullii aggerem, postea inutilem, constat aedificiis esse frequentatum.

3) Sic ait lex vs. 5: *agri, locei publicei in terra Italia, quod eius extra urbem Romam est, quod eius in urbe, oppido, vico est, quod eius IIIvir dedit, adsignavit*, in quo notabile, quod urbes, oppida, vici discernuntur. Quid enim interesse dicemus inter urbes et oppida? Rullus lege sua permittebat Xviris (Cic. in Rull. II, 28, 75), ut in omnia *municipia et colonias* colonos deducerent. Nimirum tum civitate sociis impertita haec duo oppidorum genera supererant; Thorii autem tempore praeter colonias erant primum municipia, tum ea oppida, quae civitate carebant. Si quid igitur est discriminis in nominibus urbis et oppidi, quod non sit in magnitudine eorum, hoc oportet esse, ut urbes dicantur municipia, oppida, quae civitate careant.

lege Sempronia coniectura fieri potest. Quintum denique agri genus ad colonias pertinere intelligimus ex iis, quae vs. 7 sunt: ***in terra Italia IIIvir dedit, adsignavit, reliquit inve formas tabulasve retulit referive iusit***, in quibus et ***relinquendi*** verbum proprium est eius agri, qui in colonia singulis colonis constitutis non dividitur ad communemque usum omnium destinatur, et ***formae tabulaeve*** aperte colonias militari lege constitutas demonstrant. Novae coloniae, quae lege Sempronia deductae sint, non videntur dici; quae si sunt deductae, earum condicio ipsa lege, ex qua deducebantur, definiebatur nec ex ea condicione postea quicquam mutari opus erat, sed existimo licuisse IIIviris Semproniis, si quem agrum in coloniis vacuum invenirent, eum item plebi dividere, imprimisque id factum esse puto in coloniis civium Romanorum et propius Romam sitis et, quia antiquitus conditae erant, minus iam frequentibus. Hunc agrum et par erat item privatum fieri nec comprehenditur eo capite, quod modo explicavimus, in quo ***urbes*** tantum et ***oppida*** commemorantur [1]). Iam quinque haec agri, olim publici, genera, quorum primum in veteribus possessionibus versatur, quattuor reliqua in assignationibus IIIvirorum lege Sempronia factorum, lex Thoria iubet esse privata, vetat agi vel in senatu vel ad populum, ut ea respublica recuperet [2]).

Alterum legis Thoriae caput longe est difficillimum. Eius prima verba (vs. 11) supersunt haec: ***(viasieis) vicaneis, qui in terra Italia sunt, dederunt, adsignaverunt, reliquerunt, neiquis facito, quominus ei oetantur, fruantur, habeant possi(deantque)***, deinde vs. 12 haec sunt: ***Quei ager, locus, aedificium ei, quem in viasieis vicaneisve ex S. C. esse oportet oportebitve .... locus aedificium privatus sit quove magis .....***, ex quibus intelligitur, eum agrum, quem viarii vicani possiderent, non esse privatum factum, sed cautum tamen, ne iis adimeretur. Qui autem sunt ***viasii*** vel ***viarii vicani***, de quibus in hac lege dicitur? ***Vicani*** sunt, qui in vicis habitant, non in urbibus, ut explicat Festus s. v. p. 371 ed. Müll., de quorum iure nonnulla sunt in Theod. Cod. I, 5 (de patrocin. vicorum) et Iust. Cod. XI, 56 (ut nullus ex vicania); ***viariorum*** nomen ignotum, nisi quod ***lex viaria*** commemoratur apud Cic. Epist. VIII, 6, 5. Iam quae causa erat, ut et vicanis potissimum ager divideretur et is ager non fieret privatus hac lege? Nimirum C. Gracchus magnam curam habuerat viarum per Italiam faciendarum. Testis est Plutarch. in eius vit. c. 7: ἐσπούδασε δὲ μάλιστα περὶ

1) Incertum est, num etiam Latini sociique h. l. commemorati fuerint, quod censet Rudorff. p. 54. Qui etiamsi in novas colonias deducebantur, a IIIviris Semproniis non videntur esse deducti.

2) Huc enim pertinent, quae in lege sunt vs. 9: ***neive quis facito, quo quoius eum agrum locum aedificium possessionem ex lege plebeive(scito) ..... neive quis eo de re ad sen(atum) .....***, et vs. 10 ***neive sententia(m) dicito neive ferto, quo quis eorum, quorum eum agrum, locum, aedificium, possessionem ex lege plebeivescito esse opor(tet) ....*** cet.

τὴν ὁδοποιίαν τῆς τε χρείας ἅμα καὶ τοῦ πρὸς χάριν καὶ κάλλος ἐπιμεληθείς· εὐθεῖαι γὰρ ἤγοντο διὰ τῶν χωρίων ἀτρεμεῖς καὶ τὸ μὲν ἐστόρνυντο πέτρᾳ ξεστῇ, τὸ δ'ἄμμου χώμασι συνναχοῖς ἐπυκνοῦντο, quaeque reliqua de arte viarum muniendarum habet, idemque breviter attingit Appian. bell. civ. 1, 23. Nec vero id modo in magnis viis videtur curasse, quae per redemptores publice muniebantur, sed etiam cavisse, ut ubique per agros viae paterent. Atque in his muniendis et tuendis Romani videntur eadem ratione usi esse, qua nos utimur, ut rustici ipsi eam rem curare cogerentur. Horum quidem, quibus Thorius vixit, temporum nullum de ea re testimonium extat, sed Siculus Flaccus de condic. agror. p. 146 ed. Lachm. sic ait: *Vicinales autem viae, de publicis quae devertuntur in agros et saepe et ipsae ad alteras publicas perveniunt, aliter muniuntur, per pagos, id est, per magistros pagorum, qui operas a possessoribus ad eas tuendas exigere soliti sunt, aut, ut comperimus, unicuique possessori per singulos agros certa spatia adsignantur, quae suis impensis tueantur*, itemque apud Lachm. p. 348 haec sunt: *Nam monumenta finalia non coniunguntur itineri publico, ei maxime, qui auctoris nomen obtinet, et per redemptores et magistros pagorum munitur.* Hoc igitur, quod Siculus Flaccus narrat viarum vicinalium tuendarum curam habuisse possessores agrorum ad vias adiacentium, coniicio institutum esse a C. Graccho, qui agros publicos ita dividebat, ut possessores pro vectigali, quod ceteri coloni pendebant (Plut. C. Gracch. c. 9), curam viarum muniendarum reciperent. Quare *viarii* nulli sunt per se, sed sunt *viarii vicani* i. e. incolae vicorum, quorum possessionibus viarum tutela iniuncta est, peccatumque est vs. 12, ubi est *viariis vicanisve*, cum vs. 11 recte legatur *viariis vicanis*. A quo divisi sint hi agri viariis vicanis, incertum illud quidem est; sed existimo communes magistratus ex S. C. id negotium administrasse. Nam ipsos IIIviros Sempronios aliosque curatores agrarios ad agros dividendos factos ab ea re abfuisse pluralis numerus *dederunt*, *adsignaverunt*, *reliquerunt* demonstrat, quem pluralem nunquam in magistratibus agrariis usurpari supra p. 210 dixi. Iam vero hunc agrum cur lex Thoria privatum fieri vetuerit apparet, qui si esset factus, possessores operas, quas oportebat, ad vias tuendas amplius praestare noluissent. Confirmatur igitur modo possessio, caveturque adeo extremo capite vs. 13 *utei est*, *siet*, *ex h. l. n. r.*, ne quis viarius vicanus ideo, quod ceterae sortes in privatum agrum mutatae sint, se quoque onere suo solutum esse existimet. Nec vero iis modo cavetur agris viariis, qui iam divisi sint, sed etiam iis, quos alii postea accepturi sint; siquidem est vs. 12 *quem in viasieis vicanis ex S. C. esse oportet oportebit*, ut etiam post hanc legem potestatem talium agrorum dividendorum senatui relictam esse intelligamus [1].

---

1) Memorabile etiam, quod est vs. 11 *non abalienaverit*, unde discimus totam hanc legem latam esse post primam illam, qua App. I, 27 narrat vendendi facultate permissa legem Semproniam abro-

Sequitur tertium caput, in quo haec sunt: ***Quei ager locus publicus populi Romanei in terra Italia P. Muucio L. Calpurnio cos. fuit, extra eum agrum, quei ager ex lege ple(beive scito, quod C. Sempronius Ti. f. tr. pl. rog., exceptum cavitumque est nei divideretur) extraque eum agrum, quem vetus possesor ex lege plebeiv(escito sibi agrum sumpsit . . . . cau)sa in eum agrum agri iugera non amplius XXX possidebit habebitve, is ager privatus esto.*** Quae possessiones hic in privatum agrum mutantur, non existimo pertinere ad cives Romanos, sed ad socios, quibus cum legibus Semproniis ager publicus, quem possidebant [1]), ereptus esset, quia simul spe civitatis a C. Graecho proposita exciderant, concedendum erat aliquid, quo animi eorum sedarentur. Quare permissum iis est, ut quem agrum intra triginta iugera possiderent, is privatus esset omniquo vectigali solveretur [2]).

Haec postquam constituta sunt de agro, qui in privatum mutatur, proxime aliae minores res, quae ad ius huius agri in privatum mutati pertineant, commemorantur. Nam quartum caput est de agro compascuo i. e. eo, qui ad pascendum communiter vicinis relictus sit, quintum et sextum caput de hereditate et sortium a IIIviro Sempronio divisarum et veterum possessionum iam in agrum privatum mutatarum agunt, quorum agrorum heredes institui iubentur ab eo, quem ex hac lege de agro publico ius dicere oporteat, i. e. a consule vel praetore (cf. cap. 17) negotiumque totum ante Idus Martias insequentis anni i. e. 110 a. Chr. confici, quia eo die vectigalia locari solebant, ut constare oporteret, qui ager esset publicus, qui privatus [3]). Coniunctumque est caput septimum, quo confirmatur, quod Appian. I, 27 narrat, cum permissum esset vendere sortes divisas, frequenter accidisse, ut a divitibus hominibus pauperes ex agris, quos acceperant, eiicerentur. Quos homines lex iubet ante Idus Martias

---

gari coeptam esse, cf. vs. 15 et 23; tum quod vs. 12 excipitur is ager, ***quam ex hac lege venire dari reddive*** oporteat, de qua re infra dicemus. Discedo igitur in interpretatione huius capitis a Rudorffio, qui quod senatusconsultum commemorari videbat, agros lege Livia anno 123 divisos h. l. confirmari putabat. Verum Livium in colonias, non in vicos deduxisse accepimus, nec, cum ager lege Sempronia divisus privatus fieret, intelligitur, cur lex Thoria ab optimatibus profecta deteriore condicione esse voluerit homines ab optimatibus et ex S. C. deductos.

1) Vide Appian. bell. civ. I, 10 et 18 et saepius. Cf. Rudorff. p. 71.

2) Ad cives haec pertinere existimat Rudorffius, qui quoniam secundum ipsam hanc legem omnes agri erant aut privati aut eiusmodi publici, quos dividi non liceret, aut possessi antiquitus, cum permissum esse statuit civibus Romanis triginta iugera ex possessionibus, quae modum ducentorum quinquaginta iugerum excederent (sic enim a Rudorffio lacuna a nobis supra significata expletur) occupare, bellum ingens pauperum hominum in divites permissum esse statuit, quod nec ulla omnino lege nec sane ab optimatibus ipsis permitti potuit.

3) Vide Macrob. Satur. I, 12 et quae disputat Rudorff. l. l. p. 66.

proximas in possessionem restitui. In ratione tabularum publicarum constituenda versatur caput octavum. In quibus capitibus quae sunt difficultates ad iuris dictionem pertinentes, eas aliis relinquo expediendas; mihi quidem haec disputatio de re agraria instituta est. Nec multis disputabo de capite nono, quod iubet privatos esse eos agros, quos vetus possessor non modo ex civibus Romanis, sed etiam ex sociis nomineque Latino, *quibus ex formula togatorum milites in terra Italia imperare solent*, accepit pro iis agris, quos antiquitus possessos rursus reipublicae concessit ad coloniam condendam. Unum quaeritur, cur privatos esse voluerit hos agros lex. Causa videtur fuisse in natura eius agri, quem veteres possessores rursus reipublicae cesserunt, quem ad possidendum datum esse censeo ita, ut non repetituram sese promitteret respublica. Ac nominatur certus ager, pro quo quem agrum receperit vetus possessor, is privatus esse iubetur [1]).

Extra hunc agrum, qui hac lege in privatum mutatus est aut propter publicam utilitatem viarum tuendarum in possessione relictus aut denique in vetere possessione est [2]), quicunque superest publicus populi Romani, is vetatur a privatis occupari; ait enim capite decimo vs. 25 ***neive is ager compascuos esto neive quis in agro agrum occupatum habeto***,

1) Haec enim sunt in lege: (*Quei*) *ager locus publicus popu(li Romanei in terra Italia P. Mucio L. Calpurnio cos. fuit .....) a. d. XI Kal. Octobres eine quom* (l. e. una cum) *agro, qui trans Curione est, locaverunt* cet., quae non modo mutila sunt, sed vitiosum etiam illud, quod est *trans Curione*. Equidem assentior utique Goettlingio in hist. reipubl. Rom. p. 447 *trans Rubiconem* corrigenti. Cum enim intelligam, peculiare quoddam beneficium veteribus possessoribus huius agri esse concessum, existimo modo fuisse ab hoste captum alliciendosque fuisse colonos, qui periculo hostium propinquorum non terrerentur. Iam cum proxime ante h. l. anno 115 a. Chr. a M. Aemilio Scauro Gallis Carnis victis viaque Aemilia strata Liguria Romanis aperta sit, et hunc et vicinum agrum dici existimo; nam una cum agro, qui trans Rubiconem est, vicinum intra Italiae propriae fines a censoribus locatum esse opinor, nec cum Italia in hac lege ea, quae proprie est, dici soleat, excluditur, quin possit etiam ager in Gallia situs nominari. Confirmat autem hanc coniecturam, quod cum locationes ceterae mense Martio fieri consuevisse supra intellexerimus, hic ager a. d. XI Kal. Oct. locatus esse dicitur, ante quod tempus M. Scaurus non videtur provincia composita decessisse.

2) Cum haec supersint vs. 24 (*Ager locus omnis qui sup)ra scriptus est, quod eius agrei locei post h. l. rog. publicum populei Romanei erit, extra eum ag(rum)*, Rudorff. supplet *locum, qui ager locus ex lege plebeivescito, quod C. Sempronius Ti. f. tr. pl. rog., exceptum cavitumque est, nei divideretur*. Quae quidem h. l. parum apta esse iudico. Nam si excipitur ille ager, iubetur alia condicione esse, cum non fuisse sciamus, ut agrum Campanum, ut silvam Scantiam, quam Cic. in Rull. I, 1, 3 in pascuis censorum suo tempore esse ait. At excipiendae erant veteres possessiones, quas haec lex voluit alia condicione esse atque hunc agrum. Quare hanc sententiam sic suppleo: *extra eum agrum locum, qui ager locus a vetere possessore prove vetere possessore tenetur*.

neive defendito, (quominus quei) velit, compascere liceat [1]), poenaque constituitur, si quis quid occupet ex agro publico, in singula iugera. Sed exceptio additur in gratiam et pauperiorum hominum et divitiorum, quorum greges scimus ex Varron. de re rust. II, 1 aestate dum ex Apulia in Samnites abiguntur, longe et per vias et per agros publicos vagari consuevisse. Quae sequuntur de agro publico in Italia sito, agunt primum de duobus generibus agri, quorum singulare quoddam ius erat, deinde de Latinis sociisque ad agrum publicum utendum admittendis, denique de iudiciis agrariis, interiiciturque capite tertio decimo mentio viarum publicarum, quas curare iubetur IIvir hac lege factus, ut pateant per Italiam vacuaeque sint [2]). Duo autem genera agrorum, de quibus singillatim praecipi dixi, commemorantur capite duodecimo et sexto decimo. Illo ager, qui coloniae constituendae aut omnino agri commode dividendi causa vel ex publico in privatum vel ex privato in publicum *commutatus* est, ita constituitur, ut, si quis pro privato tantundem publici receperit, is ita ut qui optima lege privatus est, habeatur [3]), de reliquo quid praecipiatur, non satis liquet (vs. 27 et 28). De altero genere agri dicitur capite sexto decimo, quo iubetur eodem iure esse, quo ante hanc legem latam fuerit, is ager qui (*pro colonia municipiove publice deve senati sententia ager fruendus datus*) *fuerit seive quoi pro moinicipieis co(lonieisve . . . . .) nominisve Latini poplice deve senati sententia ager fruendus datus (fuerit . . . . . . quei)ve pro colonia moinicipiove prove moinicipieis fruentur, quei in trientabule(is . . . . ob)venit obvenerit* est. In his qui *ager trientabulus* commemoratur, non potest esse is [4]), de quo narrat Liv. XXVI, 36, anno 210 a. Chr., cum aerarii summa inopia esset, a privatis auctore M. Laevino cos. pecuniam collatam esse. Quae cum confecto bello Punico a privatis repeteretur, senatus tribus pensionibus solvere constituit (Liv. XXIX, 16), quarum duae recte solutae, tertia eum propter aerarium apparatu belli Macedonici exhaustum solvi nequiret, senatus anno 200 pro pecunia agros intra quinquagesimum ab urbe lapidem dari censuit. Manserunt ii agri publici assibus vectigalibus impositis, sed fruendi dati sunt debitoribus, *ut, si quis cum solvere posset populus, pecuniam habere quam agrum mallet, restitueret agrum populo. Laeti eam condicionem privati accepere, trientabulusque is ager, quia pro tertia parte pecuniae datus erat, appellatus* (Liv. XXXI, 13). Erat enim hic ager ita datus privatis, ut, si ipsi vellent, cum pecunia commutarent, non si respublica vellet, necesse esset commutari, quare eum utique iam a Gracchis

1) Differt igitur *ager compascuus* ab eo, in quo qui velit, compascere licet.

2) Prima est IIvirorum hac lege factorum mentio unaque in ea parte, quae ad Italiam pertinet.

3) Hoc quid sibi velit, secundum Cic. in Rull. III, 2 pluribus exequitur Rudorff. l. l. p. 58.

4) Sic autem statuit Rudorff. p. 72 sqq., quale genus agri dicatur, recte intelligens, in ipso describendo ab eo, quod simile est veri, aberrans.

exceptum esse puto; deinde quid rei coloniis et municipiis cum eo agro, qui intra quinquagesimum ab urbe lapidem esset? Coniicio igitur a municipiis coloniisque, urbis exemplum imitantibus, item pecuniam ita esse mutuam sumptam, ut creditoribus agro publico ad fruendum dando sufficerent, quem agrum, si datus esset ex senatus auctoritate, haec lex vetat rursus in publicum redigi. Nomen *trientabulus* impositum, non iam quia pro tertia parte pecuniae creditae datus erat, sed quia omnino pro pecunia, quam aut plures simul coloniae municipiaque mutuam sumpserant aut singula; est enim vs. 31 *pro colonia moinicipiove prove moinicipiis.* De iure Latinorum sociorumque est caput quartum decimum, quibus idem facere permittitur, quod civi Romano licet, sed *fraude sua*, ut lex ait vs. 29 [1]). De iudiciis denique agrariis est caput quintum et septimum decimum, de quibus quae sunt difficultates, omitto, hoc solum commemoro, nihil iurisdictionis relinqui magistratibus agrariis omniaque ad consulem, praetorem, nonnunquam etiam ad censorem deferri [2]).

Reliqua quae sunt in lege Thoria inde a capite undevigesimo (edit. Rudorff.), ad Africam pertinent et ad Corinthum. Ea singula enarrare alienum videtur ab hoc loco, et quia satis recte explicata sunt a Rudorffio et quia minus ad totam coloniarum rationem, de quibus disputatio nostra instituta est, intelligendam pertinent. Pauca igitur excerpemus de Carthagine et Corintho, quarum deductio tum primum tentata est. Ac Carthaginis quidem deducendae causa haec videtur fuisse, quod inde a M. Plautio Hypsaeo M. Fulvio Flacco cos. i. e. anno 125 a. Chr. ingens pestilentia totam Africam vastarat (Oros. V, 11), quare cum nullo inde frumento misso inopia Romae extitisset ob eamque rem seditiones fierent, et frumentaria lege lata famem sedare C. Gracchus voluit et restituenda Carthagine [3]). Ea de re anno 123 a. Chr. Q. Rubrius, collega eius, legem tulit locumque delegit coloniae eundem, qui fuerat aliquando veteris Carthaginis, contempta Scipionis, cum everteret, consecratione [4]). Colonorum numerum in lege

---

1) Sic ait lex: ***Latino peregrinoque, quibus M. Livio L. Calpurnio (cos. agrum publicum populi Romanei possidere ex lege pleb)eive sc. exve foedere licuit***, unde non modo Latinis sociisque sed etiam foederatis nonnullis civitatibus, quarum in foedere hoc erat, agrum publicum possidere licuisse discimus. Cur autem M. Livius L. Calpurnius cos. i. e. ann. 112 nominantur? Si legem hanc anno 106 vel multo post annum 112 latam esse statuas, nescio, sin anno insequenti 111 a. Chr., aperta causa est.

2) Ultimum huius partis caput duodevicesimum sanctionem quasi quandam legis habet, qua cavetur, ut magistratus hac lege obstringantur. Quo de genere cum nonnulla sint obscura plusque desit quam ut expleri intelligique omnia possint, infra in lege Appuleia plura dicemus.

3) Sic enim narrat Appian. Punic. c. 136, idemque bell. civ. I, 24 ἐψηφισμένης κατὰ δόξαν συνοικίας ἐς Λιβύην ἀποικίας.

4) Testis est Appian. bell. civ. I, 24 οἱ δὲ τῇ ἀποικίᾳ τὴν πόλιν διέγραφον, ἔνθα ποτ' ἦν ἡ Καρχηδονίων, οὐδὲν φροντίσαντες, ὅτι Σκιπίων αὐτήν, ὅτε κατέσκαπτεν, ἐπηράσατο ἐς ἀεὶ μηλόβοτον εἶναι, idemque

scriptum fuisse coloniae tria milia propterea, quod et saepe hunc numerum in coloniis usurpatum esse video et quod alter tantus dicitur postea coeptus esse deduci. Tresviros Appianus nominat C. Gracchum et M. Fulvium consularem, tertium esse ipsum Q. Rubrium, qui legem tulerat, et moris erat nec est cur in hac colonia aliter fuisse existimemus. Ii igitur III viri vel omnes vel pars eorum (cf. Plut. in C. Gracch. c. 11) anno insequenti [1]) in Africam profecti sortes colonorum describere coeperunt terminesque constituerunt, pluribus aliquanto colonis quam in lege erat, i. e. sex milibus hominum, ut Appian. bell. civ. I, 24 ait, qui dicuntur in hac lege Thoria *in coloni numero scripti* (vs. 45 et 55 et 66 et 67), qui utrum ex civibus an ex sociis Latinisque adiecti sint, incertum est. Quamquam socios admissos esse ad coloniam Carthaginiensem constat ex vs. 50. Quo negotio confecto cum C. Gracchus et M. Fulvius in Italiam reversi ipsos colonos traiicere vellent, nuntius advenit, prodigia facta esse in agris coloniae dimetiendis, quae dum optimates ita interpretantur, ut nefas esse clamarent, eum locum rursus hominibus frequentari, quem Scipio consecrasset, contentio extitit, quam Minucius Rufus, tribunus plebis ann. 121 a. Chr., obrogando legi Rubriae, incendebat [2]). In qua postquam C. Gracchus et M. Fulvius interierunt, dubium esse non debet, quin et colonia et lex Rubria sublata sit. Nam et ait Appian. Punic. 136: καὶ τότε μὲν ἡ βουλὴ ἀνέσχε τοῦ συνοικισμοῦ et postea constat ab Augusto novam coloniam Carthagine conditam esse, id quod fieri non potuit, si vetus extabat, denique in hac ipsa lege Thoria, ubi Rubria lex commemoratur, appellatur *quae fuit* (vs. 59). Verum quid factum esse existimamus magno sane illo colonorum numero, quem Rubrius ad spem agrorum accipiendorum ex tota Italia exciverat? Iis lege Baebia consultum esse coniicio, quam M. Baebius, tribunus plebis, IIIvir coloniae deducendae tulerat, qui commemoratur in legis Thoriae fragmentis vs. 43. Nam universam Baebiorum familiam cum a partibus optimatium stetisse intelligatur ex eo Baebio, tribuno plebis, qui Saturnino collegae anno 100 a. Chr. legem agrariam in gratiam militum Marianorum ferenti dum resistit, lapidibus summotus esse narratur ab auctore de vir. illustr. c. 73, quem eundem

Punic. c. 136 διαγραφομένων δ' ἀμφὶ τὴν Καρχηδόνα τῶν ἐποικιῶν, nec de prodigiis quae postea narrantur, intelligi possunt, nisi religionem iniectam esse statuas de loco, qui semel consecratus erat, incolendo. At illa, quam Augustus condidit, colonia, prope veterem urbem constituta est. Nomen autem huic coloniae *Iunoniae* impositum esse narrat Plut. in C. Gracch. c. 11, idemque c. 10 Q. Rubrium collegam C. Gracchi nominat.

1) Sic igitur inter se concilio, quod Oros. V, 12 ait Q. Caecilio Metello T. Quinctio Flaminino *iussam* esse Carthaginem restitui et quod Appian. bell. civ. 1, 24 narrat altero demum tribunatu i. e. 122 a. Chr. C. Gracchum in Africam profectum esse ad coloniam constituendam.

2) Successisse eum C. Graccho narrat Oros. V, 12; nominant Flor. III, 15; auct. de vir. illustr. 65; Festus s. v. *osi sunt*.

postea a C. Mario crudelissimo interfectum esse puto (vide Flor. III, 21; Appian. bell. civ. I, 72; Lucan. II, 119), hunc M. Baebium, quisquis fuit, postquam Gracchus eiusque leges sublatae essent, existimo optimatibus auctoribus legem tulisse, qua et spes popularium deciperetur et plebis animi placarentur [1]. Decepta autem est spes popularium actioque Gracchi sublata maximo eo, quod locus ille, quo vetus Carthago fuerat, rursus desertus nec colonia condita est. Hoc intelligitur ex vs. 81, ubi est EXTRAQVE. EVM. AGRVM. LOCVM. VBEI. OPPIDV[M] MAGAR. *fuit*; nam ibi Carthaginem intelligendam esse assentior utique Goettlingio, atque etiamsi Magara sive Magaria dici credas Rudorffio p. 105, tamen consecratio Scipionis, quam Gracchus neglegebat, conservari videatur. Consultum autem nihilominus esse plebi deductosque ipsos illos colonos, qui ad spem agri exciti erant, facile ex plurimis fragmentis discitur, ut vs. 44 est (*datum*) *adsignatum esse fuisere ioudicaverit, utei in h. l. scr. est*, et vs. 45 *colonus sive qui in coloni numero scriptus est* commemoratur. Cf. vs. 53 sqq., 59, 66, 67 cet. De numero colonorum, quem Baebius scripserit, nihil ex his fragmentis intelligitur; modum sortis non excessisse iugera ducenta videmus ex vs. 60 [2]). Similis igitur fuit haec Africanorum colonorum condicio atque eorum, quos Gracchus in Italia per varia oppida dispersos deduxerat, nec dubium est, quin, quod post eius necem constitutum est de agris Italicis, ut vendere eos liceret, idem in Africanis valuerit: certe potuisse venire has sortes apparet ex vs. 54 sqq., et esse emptas ab hominibus divitibus, qui latifundia comparare vellent, docet vs. 69, in quo *procurator* eius, qui agros olim assignatos possideat, commemoratur; neque enim veri est simile, pauperes homines, qui ipsi accepissent agrum, procuratoribus usos esse.

Haec igitur eum esset condicio agrorum Africanorum ante legem Thoriam, quid hoc mutatum est? [3]) Qua cum in Italia confirmarentur assignationes Gracchorum temporibus factae, idem par erat fieri in Africa. Itaque lex IIviros, qui ex hac lege facti essent, iubet cognoscere de sortibus lege Baebia assignatis, necubi modum ducentorum iugerum excederent, neve numerus omnium sortium maior esset, quam trium milium eorum, qui proprie fuerant coloni, totidemque, qui colonis ascripti (vide cap. 28 sqq.). Hos agros lex confirmat ita, ut iubeat esse emptos nummo sestertio et *privatos vectigalesque* fieri [4]), in quo quod vectigalis

1) Hac igitur in re a Rudorff. p. 99 recedo, quod non contra optimates, sed cum optimatibus existimo M. Baebium egisse.

2) De hoc modo, qui alicui nimius esse videatur, cf. quae Rudorff. p. 110 disputat.

3) Non dicam de iis, quae lex iubet de civitatibus liberis peregrinisque, quae satis exposita sunt a Rudorff. p. 101 sqq.

4) Recedo igitur h. l. a Rudorffii sententia p. 116, qui cum coniunctos aliqua ratione fuisse existimet, diversos tamen utrosque esse statuit, ideo maxime, quia in extremo capite 19 coloni at eorum agri excipiantur. Sed hoc ipso capite undevigesimo explendo et interpretando dissentiens equidem

dicitur ager, discrimen provincialis et Italici agri agnoscas. Reliquum quod est agri publici in Africa, lex iubet vere Romae venire, ad quam rem cum pars cap. undevicesimi, tum cap. 34—42 pertinent: quibus quid statuatur, non persequemur singillatim. Nam intelligitur iam, secundum hanc legem eo tempore, inde a quo nostra disputatio ordiri debet, reliquum fuisse in Africa publicum populi Romani agrum nullum, nisi eum, in quo aliquando Carthago urbs fuerat, quem locum incoli ab hominibus religio vetabat.

De agro *Corinthiaco* et pauca omnino reliqua sunt et ea ipsa adeo mutila, ut nihil magnopere ex iis colligi possit. Haec enim modo intelliguntur, partem eius agri iuberi venire, partem a IIviris hac lege constitutis metiendam locari terminosque statui [1]; quae hae partes fuerint, ignoratur.

Atque haec quidem dicenda erant de iis, quae extant de lege Thoria; ea autem, quae perierunt, qualia erant? Nam perisse multa, ipsa tabularum, quae supersunt, forma demonstrat [2]). In ea igitur parte, quae periit, esse oportebat primum de IIviris, quos lex fieri volebat, creandis, in qua re quantam operam legum agrariarum auctores posuerint, lex Servilia docet, de qua infra dicturi sumus. Tum ibi scriptum esse oportebat de agro, quem in Italia venire oporteret, qui cum commemoretur vs. 12, nusquam tamen in iis quidem, quae supersunt, qualis fuerit, describitur [3]). Denique cum in Africa et Achaia lex ita complectatur omnia genera agri, ut nullum relictum esse videatur, de Italicis agris, quos vetus possessor extra modum lege praescriptum occupasset, non dicitur, ut huius quoque agri condicio in iis, quae perierunt, constituta esse videatur. Atque eodem loco commemorandum erat, quod Appianus tamquam imprimis memorabile ex lege tota refert, τὴν γῆν εἶναι τῶν ἐχόντων καὶ φόρους ὑπὲρ αὐτῆς τῷ δήμῳ κατατίθεσθαι καὶ τάδε τὰ χρήματα χωρεῖν ἐς διανομάς. Itaque in lege Thoria capita

---

a viro doctissimo arbitror duas res contineri, primum, ut certi quidam agri nummo sestertio veneant, deinde ut alia solito more Romae publice veneant, atque in hoc altero agrorum genere facile apparet, cur colonorum agri excipiantur. Eosdem autem esse agros, quos coloni habuerant, et eos, qui iubentur nummo uno venire, collige ex cap. 26 vs. 57 *neive emptum neive adsignatum esse neive fuisse iudicato*, et quod eo ordine res exponuntur, ut primum de agris colonorum vendendis, deinde de reliquis dicatur. Quid autem sit nummo sestertio venire, illustrat Rudorff. l. l. exemplo civitatis Salapinae. Addere poterat exemplum agri trientabuli supra p. 216 citatum.

1) Atque hanc partem agri Corinthiaci, quae tum mansit in possessione populi Romani, Rullus postea iussit venire; vide Cic. in Rull. I, 2 et II, 19.

2) Nam tertiam modo totius legis partem nobis servatam esse existimat Rudorff. p. 141.

3) Sunt autem vs. 12 haec: *(extra)que eum agrum locum, quem ex h. l. venire dari reddive oportebit*, ubi cum dicatur de agro Italico, non debent huc referri ea, quae de agris Africanis et Corinthiaco vendendo commemorantur.

generatim descripta fuisse existimo nec satis credo Rudorffio, qui omnes provincias imperii Romani complexam esse censebat.

Caput tertium.

Demonstratum a nobis est priore capite, quid lege Thoria de agro publico constitutum sit, quae cum suppleretur anno 106 a. Chr. nova lege, nihil videtur esse mutatum, nisi quod Appianus I c. 27 narrat vectigal illud, quod possessionibus ultra modum licitum occupatis impositum erat, esse sublatum itaque plebem, quae antea ex hoc vectigali sustentaretur, et agrorum spe et pecuniae divisione excidisse [1]). Erat igitur publicus populi Romani et qui novis colonis dividi posset, post annum 106 a. Chr. hic ager, primum is, qui vere erat in reditibus reipublicae locabaturque a censoribus publice, ager Campanus aliaque, quae commemorat Cic. de leg. agr. II, 33, deinde is, qui vacabat in coloniis, aut quibus plus datum esset agri quam homines deducerentur aut quarum incolae deminuti essent, denique is, qui in possessione privatorum erat. Nisi forte hoc quidem genus agri confirmatum est lege illa incerti auctoris, quem modo diximus; certe hoc constat, a nullo eorum, qui postea leges agrarias tulerunt, esse controversiam de eo motam. Pauci igitur supererant agri publici, cum sepultis quasi veteribus actionibus agrariis, quarum auctores Gracchi fuerant, nova militarium coloniarum ratio agitari coepta est.

Inventum autem esse existimo totum hoc coloniarum genus a P. Scipione Africano, qui Hannibalem devicit. Bello enim Punico secundo, quo vires Romanorum adeo exhaustas esse constat, ut servi ad militiam admitterentur, non dubitandum est, quin pauperiores quoque cives conscripti sint. Scipio ipse, cum ei Sicilia provincia data esset, voluntariorum militum septem fere milia secum duxit (Liv. XXVIII, 46), non ex delectibus novis sumpta [2]), sed qui patriae opem ferre vellent, nulla opinor, census ratione habita. Quibus militibus bello composito consulendum erat. Itaque anno 201 a. Chr. ea res acta est in senatu. *Exitu huius anni cum*

1) Antea igitur prorsus ad morem nostrorum temporum pauperibus consulebatur pecunia ditioribus imposita. Nec tamen videtur haec pecunia tolli potuisse nisi opportunitate aliqua oblata, atque haec accidit, cum C. Marius ipso illo anno 106 a. Chr. primus omnium imperatorum capite censos in exercitum allegit, cuius exemplum si ceteri sequebantur, plurimi homines in tot bellis, quae tum gerebantur, occupabantur. Quamquam hanc occasionem sublatae legis aut causam illam exempli Mariani a nullo vetere auctore commemorari intelligo.

2) Liv. XXVIII, 45 sic scribit: *Scipio cum ut delectum haberet, neque impetrasset neque magnopere tetendisset, ut voluntarios ducere sibi milites liceret, tenuit*, causa, qua re nec impetrarit nec contenderit, omissa, quam fuisse arbitror iuniorum inopiam.

de agris veterum [1]) *militum relatum esset, qui ductu atque auspicio P. Scipionis in Africa bellum perfecissent, decreverunt patres, ut M. Iunius praetor urbis, si ei videretur, decemviros agro Samniti Appuloque, quod eius publicum populi Romani esset, metiendo dividendoque crearet* (Liv. XXXI, 4). Intellige senatum decrevisse, praetor, si ei videretur, ferret ad populum, ut dividi agrum militibus iuberet, X virosque ei rei curandae crearet, quorum comitiis praetor praeesset; populi enim iniussu nunquam de agro publico agi poterat. Decemviri autem illi cum creati essent, rursus senatus decrevit, ut quot quisque eorum (militum) annos in Hispania aut in Africa militasset, in singulos annos bina iugera acciperet (Liv. XXXI, 49). Quamquam haec agri divisio ita diversa est ab iis, quae postea factae sunt, ut et longinqua modo stipendia praemio digne viderentur nec veterani soli agrum acciperent. Datus autem est militibus is ager, qui maxime ab Hannibale in Italia vastatus erat. Ceteris, qui item illo bello, sed in Italia ipsa aut in Sicilia pugnarant, hoc concessum est, ut omnes dimitterentur, quamvis stipendiis nondum expletis, repetique ad aliam militiam vetarentur.

Universam autem rei militaris rationem mutavit C. Marius, qui cum ei bellum Iugurthinum decretum esset, contra vetera instituta plerosque capite censos legit, quorum numerum auxit sine dubio, cum in Cimbros et Teutones proficisceretur. Id Sallustius bell. Iugurth. c. 86 dubitat [2]), utrum *inopia bonorum* i. e. locupletum, an *per ambitionem* ab eo factum sit, equidem et necessitate [3]) et fortasse etiam optimatium studio institutum esse existimo. Confectis autem bellis Cimbricis cum praedae pecuniaeque non multum partum esset, militibus, qui mercede detracta nihil possiderent, consulendum erat [4]). Quare C. Marius, ne suos deserere videretur, L. Appuleio Saturnino anno 100 a. Chr. auctor fuit, ut legem agrariam ferret. Hanc enim veram huius legis necessitatem fuisse existimo, non quod Appianus bell. civ. I, 29 refert,

1) *Veteres* milites non dicuntur iidem qui veterani, sed qui iam ante bellum in Africam translatum militaverant. Vide Duker. ad Liv. XXXI, 8. Quamquam in agro dando ea modo stipendia numerata sunt, quae aut in Africa cum Scipione aut iam antea in Hispania fecerant, ut ea, quae in Italia aut in Sicilia, quasi domi, fecissent, non numerarentur.

2) Quae apud Plutarch. Mar. c. 9 sunt πολὺ τὸ ἄπορον καὶ δοῦλον καταγράφων, recte offensioni fuerunt Lipsio et Scaligero; nam servi tum certe nulli allecti sunt inter milites. Nec tamen δουλικόν, quam emendationem Lipsius proponebat, placet.

3) Vide patrui Caroli Timothei eheu nunc mortui commentationem academicam: Ueber den Stand der Bevölkerung und die Volksvermehrung im Alterthum (Berol. 1841) p. 27 et quae ipsi scripsimus in quaestione de origine colonatus, in museo Rhenano anni 1843. p. 10.

4) Cf. quae paulo supra dicta sunt, unde intelligitur, et quomodo Marius optimatibus studuerit in hominibus pauperibus legendis et quomodo suo quasi quodam iure poscere potuerit, ut his finito bello consularetur.

qui Q. Metelli expellendi causa hanc legis occasionem quaesitam esse narrat. De qua lege cum pauca eaque ipsa parum inter se cohaerentia tradantur, difficile est, quae iusserit, singillatim restituere, sed universa tamen eius vis ac natura cognosci potest. Quae antequam aggredior, refutandus est error auctoris de viris illustribus c. 72, qui plures leges agrarias Saturnini commemorans ita dicere videtur, quasi is iam in primo tribunatu de agro militibus Marianis assignando tulerit, postea demum eam legem rogarit, in quam quia iurare Q. Metellus noluerat, exilio multatus est. Sed nec potest credi, ipse bello Cimbrico flagrante cogitatum esse potius de praemiis militum, quam de pugna, nec ullus alius scriptor narrat, Saturninum in primo tribunatu, quem gessit ann. 102 a. Chr., aut in re agraria quicquam movisse aut omnino contra optimates egisse [1]). Tot autem tamque aperti sunt errores auctoris illius, quisquis est, in iis, quae de Saturnino narrat, ut merito hac quoque in re spernendus esse videatur [2]).

Unam igitur L. Appuleius tulit legem agrariam in altero tribunatu, cum iam in priore eum C. Mario ad consulatum quartum adipiscendum consensisset. In qua lege prorsus memorabile est, quo pacto veteres scriptores versentur. Alius enim nominat aliam terram, quo coloni destinati sint. Appian. bell. civ. I, 29 latum esse ait de agris Gallicis, quos occupatos a Cimbris Marius victis barbaris receperat populique Romani fecerat, auctor de viris illustrib. c. 73 primum de agris in Africa dividendis, deinde de Sicilia, Achaia, Macedonia coloniis frequentandis rogatum esse scribit: in Corsicam vero non destinatam, sed vere deductam esse coloniam infra ostendemus. Italia sola non nominatur, nec tamen dubium esse debet, quin hanc quoque lex Appuleia complexa sit. Has omnes terrarum, in quas coloni deducendi essent, commemorationes ad unam eandemque legem pertinere censeo, quoniam video et alias leges vel totum imperium Romanum vel cum Italia aliquas provincias complecti et saepius fieri, ut scriptores ex legibus agrariis unum modo caput, quod cuique praecipuum esse videatur, commemorent, cetera omittant [3]).

---

1) Cf. Plutarch. in Mar. c. 14, qui C. Marium narrat, cum quartum consulatum peteret, adiutum esse a Saturnino tribuno plebis.

2) Nam item in primo tribunatu Saturnini ponere videtur Glauciam praetorem, suppositum Ti. Gracchi filium, Memmium, Glauciae competitorem, occisum, quae omnia ad ann. 100 a. Chr. pertinere constat. Quod autem tertium eiusdem Saturnini tribunatum falso commemorat (appellatur enim *iterum* trib. pl. cum Q. Metellus expelleretur, a Cic. p. Sext. c. 16, 37), ex loco scriptoris, quem excerpebat, male intellecto videtur manasse; siquidem etiam Florus III, 17 anno 100 iam *tertium annum* dominatum esse scribit, haud paulo tamen rectius annum 101, quo nullum magistratum gessit, numerans.

3) Cf. supra p. 220 quae de lege Thoria diximus et infra quae de lege Servilia disputabuntur.

Iam in *Italia* de agro publico quid Saturninus statuerit, dubium esse non potest; nam primum genus agri, quod cum vere in reditibus reipublicae esset, a censoribus locabatur, vel nihil vel paululum modo ab eo motum esse discimus ex Cic. in Rull. II, 33, qui agrum Campanum aliosque nonnullos eiusdem generis praeter M. Brutum et P. Rullum a nullo tribuno plebis tentatos esse scribit. Neque alterum genus agri, quod in possessione privatorum erat, a Saturnino sollicitatum esse intelligo et ex Appiani, scriptoris in ea re accuratissimi, silentio et ex eo, quod Appian. I, 29 socios Latinosque ait multa commoda ex hac lege percepisse, qui cum multa possiderent, possessionibus repetitis multa amisissent, denique quod etiam aliis, quae postea latae sunt, legibus, possessiones veteres confirmatas esse video [1]). Relinquitur igitur potissimum tertium agri genus, quo Saturninus usus sit, ut eas colonias, in quibus sortes vacarent, suppleret, quod quia parum sufficiebat, novam et inusitatam ad id tempus rationem iniit. Emptionem enim constituit, aurumque Tolosanum, Q. Caepionis scelere partum, in agros Italicos emendos convertebat [2]). In *Africa* cum praeter locum, quo Carthago ipsa fuerat, nihil agri publici superfuisse supra p. 220 dictum sit, unde centena iugera colonis Appuleianis dabantur? Nam hunc agri modum assignasse Appuleium narrat auct. de vir. illustr. c. 73. Ex eo agro, qui paulo ante bello Iugurthino partus erat, aliquantum relictum esse arbitror, neque totum omnino Iugurthae regnum inter Bocchum et inter Hiempsalem et Hierbalem, Masinissae posteros, divisum esse. Similiter enim in Gallia quod captum erat ab hoste, Saturninus dividi volebat. In *Macedonia* populi Romani erant agri quondam regii [3]), nec multo ante anno 114 a. Chr. cum C. Cato contra Scordiscos male pugnasset totumque exercitum amisisset, Macedonia Thessaliaque a barbaris vastata erat, quapropter supplemento hominum in iis regionibus opus esse videbatur [4]). In *Achaia* ignoro, quid novis colonia destinari potuerit praeter agrum Corinthiacum, qui et lege Thoria in usum reipublicae relictus erat et ab

---

1) Non debet decipere Florus III, 17, qui Saturninum ait *rogandis Gracchorum legibus* vehementer incubuisse; nam epitomator veteris reipublicae imperitus quamlibet legem agrariam Gracchanis putabat esse similem. Cf. Senecae dictum, quod infra in lege Livia afferetur.

2) Narrat hoc auctor de viris illustr. c. 83: *Siciliam, Achaiam, Macedoniam novis coloniis destinavit et aurum Tolosanum* (vulgo *aurum, dolo an.;* sed emendavit Orell. in indice leg. ad finem edit. Cic. s. v. Appuleia) *scelere Caepionis partum ad emptionem agrorum convertit.* Non igitur prorsus novum erat, quod Rullus lege sua agros emi volebat, qua de re queritur Cic. in Rull. II. 25.

3) Commemorat eos Cic. in Rull. II, 19, 50 *deinde Attalicos agros in Chersonneso, in Macedonia, qui regis Philippi sive Persae fuerunt, qui item a censoribus locati sunt et certissimum vectigal.*

4) Vide Florum III, 4, 3 et Eutrop. IV, 29, qua de causa damnatus est postea Cato repetundarum ex Macedonia, Vellei. II, 8; Cic. in Verr. III, 80 et IV, 10. Cf. Car. Timoth. Zumpt. de legibus iudiciisque repetundarum p. 26.

iis, qui deinde leges agrarias tulerunt, potissimum ad dividendum expetitus est. In ***Sicilia*** anno superiore i. e. 101 a. Chr. gravi et periculosum bellum cum fugitivis fuerat, M'. Aquillii virtute confectum, ut novis sane colonis opus esset imprimisque civitates censoriae, iam a Punico bello debiles ac parvae, satis agro vacuo abundabant [1]). In ***Gallia*** denique ***Narbonensi*** praecipue existimo lege divisum esse, quod receperatum erat a Mario (Appian. bell. civ. I, 29), sed etiam alius erat ager publicus, cuius mentionem facit Cicero p. Fontei. 1, 2 ***modo ab senatu agris urbibusque multati sunt***, et 9, 16 ***partim ex veteribus bellis agro multati*** cet. ***Asiae*** et ***Hispaniae*** nulla mentio, neque eo arbitror destinatas esse colonias, quia remotiores esse videbantur illae regiones, quo ante Caesarem nulli coloni Romani deducti, ante Servilium Bullum nulli destinati sunt.

Atque haec quidem de terris, quo Appuleius colonias deduci volebat, dicenda erant. De colonis ipsis significat Appian. bell. civ. I, 29, qui Saturninum ait, cum legem promulgasset, circum agros misisse hominesque inde excivisse; nam eorum plerosque cum C. Mario militasse. Primum igitur militibus his consulebatur, quorum causam necessariam fuisse supra demonstravi, quare etiam Cic. pro Sest. 16. 37 Q. Metello, qui in legem Appuleiam iurare noluit, rem fuisse dicit ***cum invicto Marii exercitu***. Sed hoc tamen apparet, tot terrae si coloniis frequentandae essent, milites Marii non suffecisse idemque scriptum fuisse ab Appuleio, quod rogavit postea Servilius, ut etiam de plebe coloni deducerentur. Memorabile autem est, quod App. l. l. dicit: πλεονεκτούντων δ' ἐν τῷ νόμῳ τῶν Ἰταλιωτῶν ὁ δῆμος (i. e. plebs urbana) ἐδυσχέραινε, quod socii etiam, non cives modo, ut existimo, deducebantur [2]). Omnibus autem certe colonis agrum ita esse divisum, ut vendere non liceret, ex iis, quae in lege Cornelia et Servilia fuisse infra intelligemus, certo colligi potest. Quaeritur deinceps, cuius generis colonias Appuleius deduci iusserit? Non hoc voluisse eum, ut cives, qui deducti essent, in latinitatem detruderentur, omnes consentient, atque Nic. Madvigius de colon. p. 290 (Opuscul. Academic. Havniae 1834) omnes statuit destinatas esse civium. Sed quid? Socios cum dixerimus esse deductos, num his praeter agrum etiam civitatem datam esse censebimus? Non videtur; nam Cic. p. Balbo c. 21 a Saturnino lege sua C. Mario latum esse narrat, ***ut in singulas colonias ternos cives Romanos facere posset***, quod non opus erat, si socii, qui ascribebantur, ea ipsa re cives fiebant. Iam dupliciter res potest esse administrata, ut aut coloniae aliae fuerint

---

1) Recensum earum vide apud C. T. Zumptium ad Cic. in Verr. III, 6, 13.

2) Quamquam non omnes socii huic legi favebant. Agrum quidem Picenum Cic. p. Rab. 8, 22 universum ait cum consule Mario contra Saturninum stetisse, vel quod imperatori magis favebant quam legi vel quod plus damni afferebat ager ad dividendum repetitus quam commodi destinata colonorum deductio.

Latinae, ex sociis compositae, aliae civium, aut in iisdem coloniis et cives fuerint et socii [1]). Utrumque equidem factum esse existimo (nam unam certe coloniam Latinam Eporediam ex hac lege deductam esse invenio), ut externae coloniae iuberentur esse Latinae, Italicae civium, in quas qui allegebantur socii, ex lege a Mario civitate donabantur [2]). Illud autem beneficium a Saturnino permissum memorabile est valuisse etiam coloniis ipsis totaque lege Appuleia sublata. Vide Cic. p. Balbo c. 21.

Denique huic legi adiectum erat de iure iurando, de quo sic narrat Appian. bell. civ. I, 29 *Προσέκειτο δὲ, εἰ κυρώσειε τὸν νόμον ὁ δῆμος, τὴν βουλὴν πένθ' ἡμέραις ἐπομόσαι, πεισθήσεσθαι τῷ νόμῳ ἢ τὸν οὐκ ὀμόσαντα μήτε βουλεύειν καὶ ὀφλεῖν τῷ δήμῳ τάλαντα εἴκοσιν* [3]). Hunc morem non novum invenit Appuleius (nam ita nec Appianus aut Plutarchus narrant et Cicero cum toties [4]) queratur iniuriam Metello factam esse, capitalem modo poenam ei inflictam tamquam iniustam criminatur), sed veterem in suam legem adhibuit [5]). Quamquam origo eius quae fuerit, ne-

1) Ut fuerant in colonia Carthaginiensi, quam C. Gracchus deduxerat. Nam Appian. bell. civ. I, 29 sit *συνεκάλουν ἐξ ὅλης Ἰταλίας τοὺς ἑξακισχιλίους*, ideoque in lege Thoria distinguuntur *coloni* (i. e. cives Romani) et *qui in coloni numero scripti sunt* (i. e. socii), ut vs. 60, 66, 67, 69 ed. Rudorff. Cf. supra p. 218.

2) Modicum autem erat hoc beneficium, C. Mario permissum; siquidem C. Caesarem constat, cum Novum Comum frequentarat, quingentos cives Romanos fecisse, qua de re infra dicemus. Neque hic mos sine antiquis exemplis erat. Nam Cic. in Brut. 20, 79 scribit a Q. Fulvio Nobiliore, cum III vir coloniam deduxisset, Q. Ennium poëtam, qui cum patre eius in Aetolia militaverat, civitate donatum esse; fuit autem Q. Fulvius IIIvir anno 184 a. Chr. ac Potentiam et Pisaurum deduxit (Liv. XLIX, 44). Qua ex re si Nic. Madvigius de colon. p. 264 colligit aut utramque harum coloniarum fuisse civium, dubia eius coniectura videri debet, quia non minus in his coloniis quam Novi Comi et cives et Latini esse poterant.

3) Similiterque dicit Plutarch. in Mar. c. 29: *Προσενέγραπτο τὴν σύγκλητον ὀμόσαι προσελθοῦσαν, ἦ μὴν ἐμμενεῖν οἷς ἂν ὁ δῆμος ψηφίσαιτο καὶ πρὸς μηδὲν ὑπεναντιώσεσθαι.*

4) Vide Cic. p. Sest. 47, 101 (Metellus) *de civitate maluit quam de sententia demoveri*; p. Cluent. 35, 95 *vim tribuniciam sustinere non potuit;* in Pison. 9, 20 cet.

5) Quare iam in lege Thoria vs. 42 haec sunt: *inque eos leges pl. sc. de ea re, quod ex* (h. l. ......) *decernere oportebit, sed fraude sua nec iurato*, quae uti explicantur, hoc efficitur, ut iuratum sit in legem, unde hunc morem non in popularibus modo actionibus, sed in omnibus omnino, quae partium studiis agitarentur, usurpatum esse intelligitur. Diversi autem generis illud est iusiurandum, quod P. Sextilius Rufus in legem Voconiam de mulierum testamentis iurasse narratur quod Cic. de fin. II, 17, 55 Quamquam universum illud et commune fuisse iusiurandum non credo Madvigio ad Cic. l. l., sed, ut Gell. II, 24, 2 narrat a. 162 senatusconsulto senatores vel principes civitatis iussos esse conceptis verbis apud consules iurare se non ultra certam summam in coenas ludorum Megalensium consumpturos, sic simile aliquid in Voconia lege, quae erat quodammodo item sumptuaria, constitutum esse existimo.

scitur, de qua quae scripserat Dio Cassius molestum est quod perierunt; ait enim hic libr. XXXVIII, 7, ubi de eodem iureiurando legi Iuliae addito dicit, *τοῦτο γὰρ δεξάμενόν ποτε, ὥσπερ εἶπον, καὶ ἐπὶ τῶν ἄλλων τῶν ἀτόπων ἐγένετο*, sed ille locus, quo haec referuntur, interiit. At enim sunt, qui hanc, quam nos existimamus fuisse assuetam quidam in omnibus gravioribus, sed singulis additam sanctionem, propriam statuant esse legem eamque nominent Appuleiam de maiestate, quae commemoratur saepe a Cic. de orat. II, 25, 107 et 49, 201 [1]). In hac fuisse putant, ut qui senator intra quinque dies non iurasset in legem, maiestatis accusaretur, eamque legem adhibitam esse in agrariam. Mihi contra videri fateor. Nam cum et in Thoria et in Appuleia et in Iulia lege, de qua infra dicetur, peculiariter sanciri videam de iureiurando poenamque statui primum pecuniariam, tum in eos, qui deliquerant, longe graviorem, inutilis certe fuit universa illa lex de maiestate, si ad eandem rem pertinebat. Tum omnino lege Appuleia maiestatis poenam capitalem constitutam esse intelligo; etenim de C. Norbani causa ex hac lege rei Antonius orator apud Cic. de orat. II, 48, 199 sic dicit: ***non continuo, si qui motus populi factus esset, id C. Norbano in fraude capitali esse ponendum*** [2]), at haec agrariae legi addita sanctio multam modo ei, qui non iurasset, irrogabat.

Iam vero haec lex quomodo proposita, quomodo intercessio M. Baebii tribuni plebis spreta ac sublata [3]), ipse autem lapidibus summotus sit, quomodo tonitru inter concionem auditum ac neglectum, qua ratione deinde C. Marius perlata lege senatum et optimates deceperit ipseque quinto die primus in aede Saturni iurarit ceterisque populo cedentibus Q. Metellus Numidicus solus idem facere cum noluisset, in exilium profectus eique deinceps aqua et igni interdictum sit [4]), haec non disputabo pluribus, quia et satis accurate ab Appiano narrata sunt et minus ad id, quod nobis propositum est, pertinent. Illud maxime hoc loco videndum erit, num quae coloniae ex hac lege deductae sint. Cum autem Saturninus cum suis occisus esset, videtur omnis eius lex senatus consulto solo esse sublata, quia contra auspicia et per vim lata esset [5]), simili ratione qua postea leges Liviae sublatae sunt. Testis est Cic. p. Balb. c. 21,

1) Princeps eius sententiae est Pighius in Annal. III p. 163 assentiturque ei fere Goettling. in historia reipubl. Roman. p. 456.

2) Quae ne existimes oratorie esse dicta, cogita, quae universa Antonii oratio in illa causa fuerit. Confitebatur enim pleraque quae accusabantur, a Norbano facta esse (ibid. 25, 107), item esse ea fortasse vituperanda, sed negabat tanta esse poena vindicanda, quanta lege Appuleia irrogabatur. Ceteris quidem de maiestate legibus capitalem statui poenam constat.

3) Hoc narrat auctor de vir. illustr. c. 83.

4) Cf. etiam Cic. p. dom. 31, 82 et 32, 87.

5) Auspicia neglecta pertinent ad tonitru inter concionem auditum, vis ad M. Baebium trib. pleb. pulsum; cetera quidem servata esse docet Cic. in Vatin. 9, 3, qui etiam in audacia Saturnini sanctissimas leges, Aeliam et Fufiam, valuisse ait.

qui cives ex lege Appuleia a Mario civitate donatos valuisse narrat *re ipsa sublata* i. e. tota lege rescissa coloniisque nullis deductis.

Verumtamen eorum, quos Saturninus deduci iussarat, non omnium una erat causa. Diximus enim primum milites C. Marii fuisse deducendos, deinde cives et socios, eodem fere proposito, quod Ti. et C. Gracchi olim exequi non potuerant. Illa necessitas quaedam erat publica, orta ex militari ratione mutata, haec, ut tum quidem existimabatur, ambitio popularis. Num necessitatem illam a senatu neglectam esse aut Marium, cum Saturnino opprimendo optimates adiuvare constitueret, non hoc sibi poposcisse existimabimus, ut milites, qui suo ductu rempublicam servassent, praemia debita acciperent? Quare et lege Appuleia et coloniis, quae iussae erant, sublatis nihilominus C. Marii militibus consultum esse censeo. Itaque in Africa et Corinthi nullos agros divisos esse invenimus; nam ibidem P. Servilius colonias collocari voluit; in Macedoniam constat a Caesare demum destinatas, ab Augusto deductas esse colonias; in Sicilia nullam norat populi Romani coloniam cum contra C. Verrem dicebat Cicero; in Gallia denique praeter Narbonem Marcium, quae civium erat, deducta ann. 118 a. Chr. [1]), nullam fuisse coloniam certe intelligitur ex Ciceronis oratione pro Fonteio, ubi cum omnes provinciae incolas recenseat, nihil habet de alia colonia [2]). At militibus C. Marii consultum esse docet mentio facta coloniae ab eo conditae,

Marianae in Corsica insula, de qua Plin. nat. hist. III, 12, 80 (Corsica habet) ***colonias, Marianam a C. Mario deductam.*** Itemque Senec. cons. ad Helv. c. 8 ***Deductae deinde sunt duae civium Romanorum coloniae, altera a Mario, altera a Sulla***; Pomp. Mel. II, 7 ***Corsica — intra latera tenuis et longa, praeterquam ubi Aleria et Mariana coloniae sunt, a barbaris colitur.*** Unde cum constet condicionem Marianae et Sullanae coloniae fuisse eandem, mirum videtur, quod Ptolem. III, 2, 5 illam πόλιν, haud modo coloniam appellat. Neque improbanda eorum opinio, qui cum Diodor. V, 13 duas modo insulae urbes dicat, Aleriam et Nicaeam, alteram hanc, quae postea non amplius commemoretur, a Mario colonis frequentatam Marianamque nominatam esse existimant. Coloni autem illi quin milites fuerint, vix dubium esse potest.

---

1) Vide Madvig. de colon. p. 290, qui deductionem eius ita cum Gracchorum actionibus coniunctam esse putat, ut et ipsa populari rogatione facta sit.

2) Cic. p. Fontei. 1, 3 ***Est in eadem provincia Narbo Marcius, colonia civium nostrorum*** cet., et 11, 24 et 16, 36. Itaque ne ***Aquas*** quidem ***Sextias*** coloniam tum fuisse mihi constat; nam cum Plin. nat. hist. III, 5, 35 ***oppidum Latinum Salluviorum*** appellet, quod in epitome Liv. libr. LXI est ***C. Sextius proconsul victa Salluviorum gente coloniam Aquas Sextias condidit***, eo pertinere arbitror, quod Aquas Sextias aedificarit et Salluviis frequentarit.

Nec vero una haec colonia sufficere poterat ad omnes milites Marii agro donandos, quare eos, qui supererant, in alias colonias Italicas, in quibus sortes vacarent, divisos esse existimo. Nonnullos fortasse recepit etiam *Eporedia* in Vagiennis, vetera more deducta hoc ipso anno, Mario VI Valerio Flacco cos., ut scribit Vellei. I, 15. Latini iuris fuisse item ut Novum Comum, de quo infra in Caesaris coloniis dicetur, colligo ex Plin. nat. hist. III, 21, 113, qui *oppidum* nominat, cum si civium fuisset, coloniam appellari oporteat, recensetque Tacit. Hist. I, 70 inter municipia: *firmissima Transpadanae regionis municipia Mediolanum ac Novariam et Eporediam ac Vercellas adiunxere.* Neque in inscriptionibus, cum IIviros habeat, quos quidam coloniarum proprios fuisse male iudicarunt, nomine coloniae ornatur [1]). Vide Grut. p. 17, 10 (Orell. n. 3989) et p. 365, 8 (Maff. Mus. Ver. p. 214, 2) et Donat. p. 251, 8, ubi *IIviri* commemorantur; Donat. p. 249, ubi *quaestor, aedilis, IIvir quinquennalis* (sic enim ibi explendum); denique Mur. p. 163, 2 (Donat. p. 94, 6; Orell. n. 3744), ubi *decurio Brixiae, Veronae, Tridenti, Eporediae*; nam sic in illo titulo locuna videtur esse supplenda. Commemorantur praeterea

Cereatini, qui Mariani cognominantur apud Plin. nat. hist. III, 9, 63 in Campaniae urbibus; de iisdemque in libro coloniarum p. 233 ed. Lachm. sic est: *Cereatae Mariana municipium; familia C. Marii obsidebat. Postea a Druso Caesare militibus et ipsi familiae in iugeribus est adsignatum.* Quae ab hoc auctore familia dicatur, infra, ubi de universo colonorum genere dicendum erit, disputabimus; nunc hoc apparet, cum familia opponatur militibus, privatam potius hominum deductionem, quam publicam significari.

Caput quartum.

Haec de lege Appuleia dicenda erant. Quae quamquam abolita est ipsique auctori exitium attulit, insequenti tamen anno 99 a. Chr. extitit Sex. Titius trib. pl., item in re agraria laboraturus. Qui cum plures leges rogaret [2]), imprimis ea, quae de coloniis deducendis agro-

---

1) Coniunctam huius coloniae deductionem esse cum Appuleia lege et cum Mario vulgo negant, maxime quod Plin. l. l. oppidum conditum esse dicat *Sibyllinis iussis.* Sed iussa haec ad locum coloniae pertinebant vel eo, quod haec una ex omnibus, quae lege Appuleia rogatae erant, vere deducta est, nec quicquam est quin ascriptos esse existimemus milites Marianos cum cives tum Latinos.

2) Nam Cic. de leg. II, 6, 14 *Igitur tu Titias et Appuleias leges nullas putas*, quo loco Baiter. in indice legum ed. Cic. Orell. p. 283 minus recte dicere videtur, posse intelligi leges Titiae similes. Nam plures fuisse illud manifesto documento est, quod cum agrariam sublatam esse constet, valuit etiam Ciceronis tempore lex de quaestorum provinciis lata. Ea enim commemoratur apud Cic. p. Mur. 8, 18. Cf. Schol. Bob. in Vatin. p. 316 ad. Orell.

que publico dividende erat, eptimates cemmovit. Quae qualis fuerit, non traditur; nec tamen dubitandum est, quin eodem quo Appuleia pertinuerit. Etenim et Cic. Brut. 62, 225 ait Sex. Titium consecutum esse Saturninum at Glauciam, et idem de erat. II, 66, 265 Titium narrat in concione cum legem suam suaderet, dixisse Cassandram se esse, quae vera dicens parum fidei inveniret. Quam vocem ad vastitatem cum provinciarum tum Italiae hominumque inopiam refero, unde ille quanta mala in rempublicam perventura essent, animo praesagiebat. Verum qualiscunque fuit ipsa lex, hoc constat eam esse sublatam, cum iam in ferende et collegae Titii [1]) et M. Antonius orator clarus [2]) magna vi restitissent. Nam cum in concione prodigium factum esset, augures consulti lege quae ferretur supersedendum esse pronuntiarunt eaque hoc decreto sublata est [3]). Ipse Titius quamvis plebi ob legem agrariam tentatam gratus esset, postea ob aliam rem reus damnatus est, quod imaginem Appuleii domi suae haberet [4]).

Hae quas dixi rogationes agrariae cum optimatium conspiratione oppressae essent, quies aliquamdiu fuit in republica tristesque exitus Appuleii et Titii ceteros a similibus conatibus deterruerunt [5]). Sed L. Marcio Philippo Sex. Iulio Caesare cos., i. e. anno 91 a. Chr., aliae extiterunt turbae cum agraris tum aliis legibus excitatae a M. Livio Druso, qui tribunatu plebis pro reipublicae concordia suscepto summam non modo discordiam, sed extremam propa belli calamitatem in civitatem attulit. Ac quoniam in republica Romana idem accidit, quod fore fit in iis civitatibus, quae a nobilibus gubernantur, ut suas quaeque familia partes suaque instituta haberet, a quibus non facile desciseretur, quo melius filii actiones agrariae intelligi possint, videtur interesse, ut etiam pater M. Livius quid in re agraria egerit, cognoscatur. Neque haec res, de qua maxime contrariae virorum doctorum sententiae deprehenduntur, non videtur paulo uberiorem disputationem postulare.

Veteres quae de his coloniis, quas superior M. Drusus deduxerit, narrent, perpauca sunt; nam Appianus bell. civ. I, 23, ceterarum rogationum agrariarum accuratissimus auctor, in his est brevissimus. Hoc tantum narrat, senatum C. Gracchi leges impedire studentem M. Livio permisisse, ut duodecim coloniis deducendis plebem deliniret, eamque hac largitione laetam Sem-

1) Iul. Obseq. de prodig. c. 106.

2) Cic. de orat. II, 11, 48.

3) Vide praeter Iulium Obsequentem, quem modo dixi, etiam Cic. de leg. II, 12, 31.

4) Cic. p. Rabir. 9, 24; Valer. Max. VIII, 1, 3. De Titii indole oratoria narrat Cic. Brut. 62, 225; id. de erat. II, 11, 48; II, 66, 165.

5) Nam legem Plautiam sive Plotiam, quam Pighius in annalibus Romanis ad annum 98 a. Chr. et Q. Caecilium Metellum T. Didium cos. refert, alio tempore latam esse infra ostendemus.

pronias regationes spernere coepisse [1]. Paulo longier est Plutarchus in vita C. Gracchi c. 9. Haec enim quattuor legis Liviae capita fuisse scribit, primum ut duodecim coloniae deducerentur, deinde ut terna quaeque milia hominum inopum haberet, tum ne coloni reipublicae vectigal penderent, quod vectigal Gracchi in agris assignatis reliquerant, denique ut nec ipse nec cognati sui inter eos legerentur, qui coloniis deducendis praeessent [2]. Plura non traduntur; nam Tacitus Annal. III, 27 et Cicero de fin. IV, 24, 66 hoc tantum commemorant, hunc Drusum C. Gracchi ferociam fregisse, qua id ratione fecerit, emittunt. Has igitur colonias, quibus M. Livius ex senatus auctoritate deducendis οἰκίστας etiam (hoc enim narrat Plutarch. l. l. c. 10) creaverat, deductas esse negavit primus Car. Sigonius de iure Italiae libr. I c. 5 p. 687 (ed. 1715), cum diceret deductas esse Manutius ad Cic. p. Caec. c. 35 [3]. Nos quid sentiamus antequam explicemus, removebimus, quae parum recte ad hanc superioris Livii legem referri videntur.

Quaeritur enim quae in Thoriae legis fragmentis vs. 77 et 81 edit. Rudorff. commemoratur lex Livia, num sit ipsa haec, de qua dicimus [4]. Sunt autem ibi vs. 77 haec: *IIvir, quei ex h. l. factus createsve erit, facito, quem (Xvirei quei ex) lege Livia factei createive sunt fueruntve, (eis h)ominibus agrum in Africa dederunt assignaveruntve, quos stipendium (populo Romano dare oportet)* et vs. 81 *(extra)que eum agrum locum, quem*

1) Ipsa eius verba oppono, quae haec sunt: ἔδωκαν δ' αὐτῷ καὶ φιλανθρωπεύσασθαι τὸν δῆμον δώδεκα ἀποικίαις — ᾧ δὴ καὶ μάλιστα ὁ δῆμος ἥσθη τῶν Γράκχου νόμων κατεφρόνησεν.

2) Quamquam quartum hoc dubito num in ipsa lege fuerit, quod in exequenda potius ea videtur observatum esse.

3) Usus autem est Sigonius hac ratione, quod Drusus filius ab Appiano narretur de multis coloniis tulisse in Italiam et Siciliam deducendis, quae iam dudum decretae sed nondum conditae essent, hoc nisi ad has, quas pater rogarit, pertinere non posse. Sed intercessit etiam Appuleia lex, in qua de Siculis coloniis scriptum fuisse scimus, cum nesciamus in Livia superiore. Sigonium secutus est Savignius in quaestione germanica: Ueber die Entstehung und Fortbildung der Latinität (in annal. iurisprud. historicae Tom. V p. 236), qui ideo has colonias deductas esse negat, et quod nusquam nominentur et quod Ariminum, quod in earum numero ponatur, anno 268 a. Chr. constitutum esse constet (Vellei. I, 14, 7; Liv. epit. libr. 15), deinde Nic. Madvigius de iure et condicione coloniarum Romanorum (Opuscul. acad. p. 290), nullo addito argumento novo, sed quod tot tam recenti aetate conditas colonias neget a Velleio omitti potuisse. At Manutio assenserunt Walterus in histor. iur. Rom. p. 203 et C. T. Zumptius in quaestione germanice scripta: Ueber den Stand der Bevölkerung und die Volksvermehrung im Alterthum, Berol. 1835, p. 26, de quorum sententiis in re ipsa exponenda dicetur.

4) Aiunt Sigonius l. l. et Rudorff. in explicatione legis p. 104, ea maxime de causa, quia ad quam aliam legem pertinere debeat, nesciunt.

Xvirei, qui ex l. Livia factei createive fuerunt, Uticensibus reliquerunt assignaverunt [1]). Dicuntur igitur hi Xviri stipendiariis populis, qui in Africa erant, tum Uticensibus agrum assignasse. Ea autem ipsa a decem legatis, quos Carthagine deleta senatus ad Scipionem provinciae componendae causa miserat, facta esse narrat Appian. Punic. c. 135. Quid igitur? Num provincia tum constituta quicquam postea mutatum esse existimabimus? Non videtur, quia nec traditur nec ulla cogitari potest occasio, qua recte fieri potuerit; nam Sempronia vel Rubria lex aliud in Africa agebat, quae insecuta est agraria, in mutanda Sempronia versabatur, Thoria denique ipsa nihil eorum, quae erant, moveri intelleximus. Neque Livium superiorem lege sua fines Italiae egressum esse usquam legitur, cum totus eius tribunatus eo consilio institutus esset, ut Sempronianae legis, quae intra Italiam constitit, beneficia minuerentur. Tum est etiam, quod differre videatur inter potestatem horum Xvirorum, quos lex Thoria habet, et eorum, qui ad dividendos agros vel deducendas colonias creari solent. Illi coniunctim agebant, ut, quod pluribus placuisset, statueretur; nam est plurali numero *Xvirei — reliquerunt, assignaverunt*; at quicunque in re agraria magistratus fiunt, singuli suam potestatem decernendi habent. Itaque de IIIviris lege Sempronia factis est in lege Thoria vs. 3 *quoi eique de eo agro loco ex lege plebeive sci. IIIvir sortito ceivi Romano dedit, assignavit*, et sic ubique, ut vs. 5 et 7 et 22 et 23; itemque de IIviris lege Thoria factis ibidem vs. 52 (*IIvir*) *facito*, et vs. 59 et 69 *IIvir reddito*, vs. 78 cet. Eandemque rationem in iis Xviris, quos solos novimus in re agraria esse factos, invenimus; nam de Xviris lege Servilia creandis Cic. in Rull. II, 13, 34 sic ait: *singuli de maximis rebus iudicent — ratum sit, quod finitor uni illi, a quo missus erit, renuntiaverit* [2]). Quare fieri non potest, ut hi Xviri in lege Thoria commemorati magistratus agrarii fuerint.

Qui autem iam erunt Xviri illi Liviani? Ipsos illos censeo legatos, quos Appian. Pun. c. 135 a senatu principes ex suo ordine missos esse narrat, de quorum consilio Scipio provinciam constitueret. Quamquam novum et inusitatum esse videatur, quod ex lege dicantur esse facti; siquidem in provinciis ordinandis senatus ea existimatur fuisse potestas, ut sine lege statuere liceret. Verum aliter alio tempore actum esse opinor: modo senatus ex sua auctoritate de provinciis captis statuebat, quae populus postea lege confirmaret (nam legem utique

---

1) Rudorffius quidem huc refert etiam quae sunt vs. 11 de agro in Italia diviso, quae nos videmur rectius ad aliud institutum retulisse, supra p. 212.

2) Notavit hanc potestatem IIIvirorum agris dividendis iam Rudorff. de lege Thoria p. 56, sed non recte videtur statuere, Xviros illos, quia ex senatus et optimatium auctoritate facti sint, minore quasi quadam fuisse potestate. Vera causa, cur magistratus agrarii singuli semper iudicarint, infra demonstrabitur. Cf. supra p. 210.

necessariam fuisse nemo negabit), modo, antequam senatus statueret, populus quasi ante iubebat, quae ille decreturus esset. Ut Macedonia ab Perseo capta Illyricoque expugnato, quamquam nullae populi partes a Livio XLV, 17 commemorantur, intercessisse tamen legem ostendit ipse Liv. XLV, 26, cum L. Anicius ex sententia quinque legatorum a senatu missorum pronuntiat *senatum populumque Romanum Illyrios esse liberos iubere*. Nihil igitur habet dissimile veri, cum tanta res a Scipione gesta esset, lege ad populum lata et senatum iussum esse legatos mittere et quid agendum esset, universe praescriptum. Atque ita si statuatur, legis auctor fuerit C. Livius Mamilianus Drusus, qui consul fuit anno 147 a. Chr., anno ante Carthaginem captam [1]).

Quae cum ita sint, legis huius Liviae cognitionem omnem ex duobus illis, quos supra attuli, locis petendam esse constat. Quos cum considero, deductas esse colonias Livias certum videtur esse. Primum enim quod ii qui deductas esse negant, tacere dicunt veteres auctores de deductis, potest in ipsos haud paulo rectius converti. Nam Appianus cum duodecim coloniis plebem delinitam scribit nec deceptam esse addit, quid aliud quam ipse deductas esse existimat? Plutarchus vero, cum non modo decretas esse colonias, sed creatos etiam, qui deducerent, missosque ad agrum dividendum ait, ita adversatur, ut testimonium eius nullo pacto infringi posse videatur [2]). Tum adeone stultam fuisse putabimus plebem Romanam, ut promissis solis contenta nihil curaret, utrum coloniae deducerentur necne, praesertim cum aliquantum temporis inter legem Liviam et C. Gracchi caedem interiiceretur, ut plebs, si nihil ex senatus promissis effici sentiret, vitam eius videatur fuisse tnitura? Quamquam maximum sane est illud quod urgetur a Madvigio, qui fieri potuisse negat, ut tot coloniarum tam recenti memoria deductarum memoria perierit. Quod quidem tantum valet, ut, si tamen deductae sunt, peculiari quadam ratione ac diversa a ceteris constitutae esse videantur.

Quaeritur enim, quem agrum Livius colonis suis destinarit. Qui cum pro senatu atque optimatibus ageret, Sempronianam rationem, qua ager ex veteribus possessoribus eripiebatur, sequi non potuit. Nec vero sine maxima omnium bonorum offensione eos agros, ex quibus censoria locatione respublica vectigal capiebat, dividere potuit, quos quidem scimus a Caesare primo esse tentatos. His igitur duobus agri generibus demptis quid supererat, in quo novi coloni collocari possent? Eos equidem iudico agros, qui in coloniis iam deductis vacui erant [3]). Nam intra Italiam Livii actiones agrarias constitisse inde certum est, quod nec quis

1) Sic autem statuit iam Rudorff. p. 104, si Xviri illi existimentur legati fuisse Scipionis.

2) Quare minus probo Nic. Madvigii iudicium in Opuscul. acad. p. 290, qui οἰκιστῶν ἔκπεμψιν in lege modo scriptam fuisse putat. Quae in qua lege agraria non erat scripta?

3) Hanc eandem sententiam breviter iam Car. Timoth. patruus significavit in lib. supra laud. p. 26.

quam scriptor in provincias ab eo colonias deductas esse ait nec tum utile videtur esse existimatum cives per provincias dispergi [1]). Accedit quod Livius agrum, quem dividebat, vectigali, quod Gracchi in suis sortibus reliquerant, levasse traditur. Id si eiusdem generis agros Livius et Gracchi diviserunt, fieri non potuit, quin simul omnes ab his deducti vectigali liberarentur. Sed commodissime et plebi satisfiebat nec aerario quicquam detrahebatur, si in veteres colonias, quae quia militiae gravioris onus subibant, nullum vectigal impositum habebant, de plebe homines ascriberentur et ita ascriberentur, ut quodammode ab iis seiuncti essent novasque colonias constituere dici possent.

Nimirum cum duo veterum coloniarum genera essent, Latinarum et civium Romanorum, utris hos novos colonos Livianos adiectos esse probabilius est? Civium coloniae erant plurimae non procul a Roma sitae, ut Antium, ut Terracina, ut Minturnae, ut Sinuessa, multo ante Gracchos conditae, aut parvae, ut Fabrateria, nuper a. 124 deducta, ut Puteoli, Vulturnum, Liternum, in quarum neutris tantum agri vacabat, ut terna civium milia collocari possent. Parma quidem et Mutina et, si vis, etiam Potentia et Pisaurum (quamquam has duas dubii generis esse censeo) et non multo ante i. e. anno 183 et 184 a. Chr. conditae erant, et Madvigius p. 287 animadvertit mirum esse in his, quod prope ad antiquam parsimoniam colonis eo deductis exiguus agri modus datus sit. Quod propter inopiam agri, quia quae adiacebant, a possessoribus occupata erant, factum esse videri debet. Cum igitur in has colonias novi coloni ascribi non possent, supersunt coloniae Latinae et maximae iam a veteribus temporibus deductae et plurimo agro donatae. Nec vero ideo ipsas illas, quae ab Livio constituebantur, Latinas fuisse existimo: tot tum cives in agris collocabantur, iure non imminuto, ut Drusus, si civibus gratificari vellet, civitatem plenam colonis relinquere deberet [2]). Quam si novi coloni habebant, cum duo iam hominum genera in iisdem urbibus essent, unum civium, alterum Latinorum, quo artior inter hos communitas efficeretur, his commercium, quo veteres Latini carebant, dandum erat. Ac iustum adeo videtur fuisse, ut, si veteribus colonis ager vacuus, quem in possessione habuerant, adimeretur nec alii eiusdem generis homines submitterentur, qui militiae imprimis onus aequaliter sustinerent, illi honore certe aliquo et commodo augerentur. Huc enim pertinere existimo, quae loco celeberrimo Ciceronis pro Caecin. c. 35 sunt, multis modis a viris doctis explicata et tentata: *Iubet enim* (Sulla Etruscos, quibus civitatem adimere

1) Hanc enim causam fuisse censeo, cur Carthaginiensis colonia impediretur. Cf. Vellei. II, 7, 7, qui eum conatum C. Gracchi inter perniciosissima numeravit, ipse, opinor, in eam sententiam priorum scriptorum auctoritate deductus.

2) Hac igitur in re a Waltero in histor. iur. Rom. p. 203 dissentio, qui, quod Latinas has colonias fuisse putaret, recte vituperatus est a Madvigio l. l. p. 290.

voluerat) ***eodem iure esse quo fuerint Ariminenses, quos quis ignorat duodecim coloniarum fuisse et a civibus Romanis hereditates capere potuisse?*** [1]) De quo loco quae virorum doctorum sententiae fuerint, non exponam: [2]) equidem has colonias Livias dici censeo, propter eam quae demonstrata est causam cum veteribus coloniis Latinis coniunctas. Ac ne quis forte numerum ternorum milium colonorum, qui adiecti esse narrantur, nimium fuisse existimet, nonnunquam eundem numerum ad supplendum missum esse video, ut Cremonam et Placentiam (Liv. XXXVII, 46 et 47). Quos autem Plutarchus οἰκήτορας appellat, non unos omnibus agris assignandis factos esse puto, sed suos cuique coloniae deducendae fuisse IIIviros.

Iam unam ex duodecim his coloniis, quas superior M. Livius deduxerit, tenemus Ariminum: reliquae autem quae fuerunt? Proficiscimur ab iis quae sunt apud Vellei. I, 15: ***Cassio autem Longino et Sextio Calvino, qui Salluvios apud aquas, quae ab eo Sextiae appellantur, devicit, consulibus Fabrateria deducta est abhinc annos ferme centum quinquaginta duos. Et post annum Scylacium, Minervium, Tarentum, Neptunia; Carthagoque in Africa, prima, ut praediximus, extra Italiam colonia condita est.*** Minus haec accurate a Velleio traduntur. Nam cum C. Cassius et C. Sextius consules fuerint anno 124 a. Chr., non anno, sed biennio post et Carthaginem (si modo condita haec tum omnino, non destinata modo dici

1) ***Fuisse*** ait hoc iure Ariminenses, quia municipes lege Iulia facti civitatem acceperant.

2) Imprimis autem memorabilis est Savignii icti clarissimi sententia, qui cum Livias colonias deductas non esse sibi persuasisset, hanc loci Ciceroniani emendationem proposuit, ut pro eo quod est ***XII coloniarum*** scriberetur ***XIIX coloniarum***, de qua emendatione Orellio, Ciceronis editori, prorsus persuasit. Eas autem intelligit duodeviginti colonias, quae, cum bello Punico respublica ingenti inopia premeretur, in fide manserunt, dum reliquae duodecim ultra se pecuniam et milites dare posse negant (Liv. XXVII, 9 et 10; XXIX, 15 et 37): illis igitur praemii loco commercium datum esse. Contra Walterus et Madvigius primum commercium Latinis illis, qui a Roma et a civibus Romanis procul abessent, non tanti fuisse docent, ut praemii loco esse posset, deinde ullum praemium datum esse propter silentium Livii XXIX, 15, copiosi earum rerum praeconis, negant. Denique Goettlingius in historia reipublicae Romanae p. 407, cum ceteras Latinas commercium habuisse dicat, amissum esse putat a duodecim infidelibus, servatum a duodeviginti fidelibus. Ex his autem quia facile fieri potuerit, ut sex rursus in aliud ius transirent, accidisse, ut duodecim coloniae Latinae commercium haberent. Haec Goettlingius et artificiose nimis nec satis recta statuere videtur, imprimis de commercio. Nam quod Cic. in Verr. Act. II, 2, 50, qui Agrigentum bello Punico vastatum P. Scipionis itemque Heracliam bello servili vexatam P. Rupilii beneficio colonos ex aliis Siculorum oppidis accepisse narrat, et Graeci illi erant et ipsum coloniarum genus aliud; ac Livii locum libr. XXXV, 7 satis Madvigius p. 279 videtur explicasse. Huschkii vero in republica Servii Tullii p. 572 opinio, apud Ciceronem corrigentis ***quo fuerint Interamnenses***, et in Latinitatem peccat et item Livii silentio excluditur.

potest) et Tarentum conditum osso constat [1]. Quare codem anno 122 a. Chr. deducta sunt Scylaciom Minorvium, Neptunia, qoao vix fieri poterit, quin ad M. Livium auotorem referantur. Ac *Neptuniam* quidom Clnvor. in Ital. antiq. p. 1255 esse dicit Paestnm, quae Graece Posidonia appellatur [2]. Paestnm autem vetns fuit colonia Latina, deducta anno 273 a. Chr. (Liv. epit. libr. XIV; Volloi. I, 14, 7). Iam in hac colonia, quas satis certe ad M. Livium refortur, si addita est novo civium veteri Latinao [3]), confirmatur nostra do toto hoc Liviarum coloniarum genere coniectura; idquo iam nobis auxilio erit iudicaturis de altera colonia, qnae a Vellelo dicitor *Scylacium Minervium.* Nequo onim recto videtur fieri ab interpretibus Volleii iisqoe, qui do coloniis scripserunt, quod duo haec oppida osse statuunt, quorum alterum sit Scylacium, alterum Minervium. Quod ut sentiam, bac potissimum ratione ducor, quod nullum Italiae oppidum, Minervium nomine, invoniri potest, in quo coloniam Romanam fuisse probabile sit [4]. At Scylacium appellatum esse Minervium scimus ex inscriptione, quao ex Donato p. 349, 8 ab Orell. n. 136 affortnr, in qua dicitur ***colonia Minervia Nervia Augusta Scolacii***, ex quibus nominibus primum antiquum fuit, reliqua duo nb imperatoro, qui auxit vol ornavit, sumpta, cognominis ratio apparet; nam vetos Atheniensium colonia esse putabatur (Strabo VI, 1, 10; Serv. ad Virg. Aen. III, 553). Iam hoc Scylacium, quo Livius colonos deduxit, quomodo supplementum modo veteris coloniae Latinao fuisse existimabimus? Nimirum Scylacium cum distet paululum a mari, portum habet, qui vocatur ***castra Hannibalis.*** De eo sic dicit Plin. nat. hist. III, 15, 95 ***Dein sinus Scyliacus et Scylacium — quem locum occurrens Terinaeus sinus peninsulam efficit et in ea portus, qui vocatur castra Hannibalis, nusquam***

1) Vide Plutarch. C. Gracch. c. 8 et auct. de viris illustr. c. 65, qui etiam Capuam colonos destinatos esse addunt, quam coloniam tum non osse deductam constat.

2) Madvigius l. l. p. 303 incerti loci esse dicit Neptuniam. Nec sane eius nominis nrbs est in Italia; semel modo ***Neptunias aquas*** apud Liv. XXXIX, 41, 6 commemorari invenio, per quas censores iter populo faciendum curaverunt, quod vidatur essa stagnum illud salsum, descriptum a Cluverio Ital. antiq. p. 1256.

3) Vera autem civium coloniam Paesti esse collocatam etiam hoc documento est, quod oppidum deinde colonia appellatur usque ad extrema tempora. Nam apud Orell. n. 2492 est ***colonia Paestana***; apud Bamont. antiquit. Paest. (Neapol. 1819) p. 90 ***primus coloniae arcarius***, denique in insigni tabnla patronatus in Bullett. Inst. archaeolog. ann. 1836 p. 152 ***colonia Paestanorum*** commemoratur. Nam si Latina mansit colonia, lege Iulia municipium fieri oportebat. Neque nllum reperitur vestigium, nrbem post hoc tempus colonis esso frequentatam.

4) Madvigius quidem l. l. p. 303 in Calabria esse dicit, prope Hydruntum eo loco, quo hodie est oppiduium Castro (Clov. Ital. antiq. p. 1240; Romanell. topograph. regni Neapolitan. II p. 31), sed hoc etiam veteribus temporibus oppiduium erat nec tanta trium miliom hominum colonia frequentatum.

angustiore Italia. In hoc autem portu coloniam fuisse intelligimus ex Livio XXXII, 7 *Creati censores* (ann. 199 a. Chr.) — *magna inter se concordia et senatum sine ullius nota legerunt et portoria venalium Capuae Puteolisque, item Castrorum portorium, quo in loco nunc oppidum est, fruendum locaverunt; colonosque eo trecentos (is enim numerus finitus ab senatu erat) ascripserunt.* Numerus colonorum exiguus est, sed tot ascripti, alii sumpti ex veteribus incolis atque utrisque data Latinitas, ut etiam Paesti, in maritima urbe, Latina fuerat colonia [1]. A Livio huic Latinae addita nova civium, quae Scylacii consideret.

Hae duae coloniae Liviae cum nominentur a Velleio, cur reliquae omittuntur? Non esse eam causam, quod non deductae sint, ostendit Ariminensis coloniae exemplum, quam omissam a Velleio aliis rationibus tunc deductam videri demonstravimus. Neque id aut Velleii negligentiae, quam magnam esse in hac ipsa coloniarum ratione, quamvis accurate se eam persecuturum esse dicat libr. I, 14, intelligo [2]), aut librariorum eius culpae tribuerim, qui lacunam admiserint [3]). Sed naturam ipsam coloniarum in causa esse censeo. Eas enim a Velleio nominari existimo, in quibus Livia colonia superarit priorem, quae in eodem loco fuerat, memoriamque eius obscurarit. Nam castra Hannibalis quis novit? At Scylacium floruit. Itemque quae Paesti fuerat colonia, prae ea, quam Livius constituit, videtur evanuisse; nam quae in inscriptionibus, quas attuli, dicitur colonia, non dubium est quin civium Romanorum dicatur; quare, cum nulli alii coloni postea Paesti constituti esse narrentur, nec Latina colonia sine nova deductione in coloniam Romanam transire possit, effici videtur, ut Liviani coloni superarint. At in reliquis decem coloniis cum Livius terna milia hominum maioribus iam civitatibus adiiceret, hae, quamvis auctae, veterem tamen rempublicam et nomen conservarunt.

Quarum cum tres nominaverimus, superest, ut reliquae novem quae fuerint, coniectura

---

1) Dissentio igitur a Madvigio l. l. p. 300, qui quod trecenti missi sunt coloni, maritimam civium coloniam fuisse statuit. Idem originem huius loci recte ita explicat, Hannibalis tempore cum primum frequentatus esset, expulso eo colonia Romana esse occupatum.

2) Omittit autem ex Latinis coloniis has: *Fregellas, Pontias, Narniam, Hadriam, Lucam, Castra;* ex Romanis, quae proprie dicuntur, *Casinum, Senam, Vulturnum, Liternum, Sipontum, Tempsam, Crotonem, Parmam, Mutinam, Saturniam.*

3) Tales lacunas multas esse in Velleii libris notum est; sed utar hac occasione, ut novam, nondum a quoquam, quantum scio, animadversam addam, eamque magnam sane. Nam libr. II, 29 narratur de Pompeio eiusque indole; putabas dicendum esse etiam de iis, quae adolescens privato consilio pro L. Sulla gessit; sed nihil eiusmodi legitur. Deinde antea c. 28 est de Sullae dictatura, de proscriptionibus civium aliisque crudelitatibus. Nonne etiam mortem Sullae, tumultum Lepidi, initia Sertorii commemorari oportebat? De quibus nihil superest, sed caput 30 sic incipit: *Tum M. Perperna praetorius Sertorium inter coenam Oscae interemit.* Apparet igitur deesse non pauca.

inveniamus. Atque unam quidem satis certe reperisse videor. Narrat enim Livius XXXIV, 53, anno 194 a. Chr. duas colonias Latinas decretas esse, unam in Bruttios, alteram in agrum Thurinum. Iam quae in Bruttios decreta erat, eam deductam esse scribit idem Livius XXXV, 4, Vibonem Valentiam [1]); altera in agrum Thurinum destinata, deducta esse narratur ab eodem XXXV, 9, sed collocata non in oppido ipso, sed in *castro Frentano*, quem locum, propter exiguitatem, qua postea fuit, scriptoribus veteribus ignotum, prope oppidum fuisse intelligimus, ut huic colonis Latina quasi pro praesidio imposita esset. Verum intra ipsam urbem Thurios, non in agro modo Thurino, fuisse coloniam civium Romanorum, cui nomen esset Copiae, scribit Strabo VI, 1, 13, quae rectissime ad hanc Livii legem videtur referri [2]). Nimirum de colonia Latina condenda sic narrat Livius l. l. *tria milia peditum iere, trecenti equites, numerus exiguus pro copia agri. Dari potuere tricena iugera in pedites, sexagena in equites. Apustio auctore tertia pars agri dempta est, quo postea, si vellent, novos colonos ascribere possent. Vicena iugera pedites, quadragena equites acceperunt.* Quare agri huius accuratam rationem si ineas, relicta esse invenias agri, qui publicus populi Romani esset, viginti sex milia iugerum, quae, si octona singulis iugera darentur, (nec civibus in colonias deductis plus dari solebat) commode tria milia hominum caperent. Qua tanta agri copia quis Livium non usum esse existimet?

Aliam coloniam a M. Livio deductam esse puto *Bononiam*, ubi Latina colonia collocata fuerat anno 190 a. Chr., de qua sic scribit Livius XXXVII, 57 *Eodem anno ante diem tertium Kalendas Ianuarias Bononiam Latinam coloniam ex senatus consulto L. Valerius Flaccus, M. Atilius Serranus, L. Valerius Tappus triumviri deduxerunt: tria milia hominum sunt deducta: equitibus septuageno iugera, ceteris colonis quinquagena sunt data. Ager captus de Gallis Boiis fuerat, Galli Tuscos expulerant.* Viceral Boios P. Cornelius consul anno 191 a. Chr. *et agri parte fere dimidia eos multavit, quo, si vellet, populus Romanus colonias mittere posset* (Liv. XXXVI, 39). Praeter Bononiam eo deductae sunt Parma et Mutina (Liv. XXXIX, 55) binorum milium civium Romanorum; illis assignata octona, his quina iugera.

1) Ita hoc esse inde maxime intelligitur, quod IIIviri iidem nominantur in deducenda colonia, qui in decernenda. Fallitur igitur Madvigius libr. laud. p. 302, qui cum ad nomina IIIvirum et ad agrum, in quem coloni deducebantur, minus attenderet, Vibonem Valentiam diversam esse opinabatur ab altera illa Bruttiorum colonia, indidemque alii quidam eius errores manarunt.

2) Rursus IIIvirum nomina locum huius coloniae constituunt. Sed *castrum Frentanum* (sic enim codex Bambergensis habet, ceteri fere *Ferentinum*, cum in editionibus ex Sigonii coniectura sit in *agrum Thurinum*) magnopere vexavit interpretes. Madvigius quidem Terinam deductam esse coniciebat, sed tum oportebat esse *castrum Terinaeum*, quod et nimis ab iis, quae tradita sunt, recedit nec magis notum Terinae castrum quam aut Thurinum aut Frentanum.

Nec tamen omnem agrum publicum ita consumptum fuisse existimo, ut, non satis superesset ad novos colonos lege Livia deducendos. Iam quinque certa quadam ratione inventis cum septem reliquae utique ex coniectura nominandae esse viderentur, haec secutus sum. Primum minus intellige interfuisse optimatium coloniis prope Romam sitas frequentari, in quibus assumendus erat is ager publicus, qui et a privatis possideretur et propter viciniam urbis fructuosissimus esset. Deinde cum ex duodeviginti coloniis Latinis, quae bello Punico altero in fide Romanorum perseverarant, plerasque postea esse suppletas, duodecim illarum, quae ultra se copias praestare posse negarant, nullam esse suppletam [1]) animadverterim, colonia Livia commercioque non arbitror esse auctas nisi quae ex duodeviginti illarum numero essent. Septem igitur reliquas colonias Livias has fuisse coniicio *Vibonem Valentiam*, in Bruttiis, ubi multum agri publici fuisse constat, *Luceriam* in Apulia, *Hadriam*, *Firmum*, *Beneventum*, *Aeserniam* [2]), *Brundusium*. De quibus ut certi quicquam affirmare nec possum nec volo, ita, si nominandae sunt omnes duodecim, has maxime fuisse censeo.

Haec cum pater in republica gessisset, quid Drusum filium secutum esse censebimus? Qui quid valuerit breviter ille quidem, sed rectissime tamen omnium exponit Appianus bell. civ. I, 35, cuius verba haec sunt: Λίβιος Δροῦσος δημαρχῶν, ἀνὴρ ἐπιφανέστατος ἐκ γένους δεηθεῖσι τοῖς Ἰταλιώταις νόμον αὖθις ἐσενεγκεῖν περὶ τῆς πολιτείας ὑπέσχετο· τοῦτο γὰρ δὴ μάλιστα ἐπεθύμουν, ὡς ἑνὶ τῷδε αὐτίκα ἡγεμόνες ἀντὶ ὑπηκόων ἐσόμενοι. Ὁ δὲ τὸν δῆμον ἐς τοῦτο προθεραπεύων, ὑπήγετο ἀποικίαις πολλαῖς ἔς τε τὴν Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν, ἐψηφισμέναις μὲν ἐκ πολλοῦ, γεγενημέναις δὲ οὔπω· τήν τε βουλὴν καὶ τοὺς ἱππέας . . . . . . ἐπὶ κοινῷ νόμῳ συναγαγεῖν ἐπειρᾶτο. Livius cum ea familia ortus esset, quae semper optimatibus favisset, non descivit a maiorum institutis, sed ab eorum tutela in republica gerenda egressus est [3]). Premebantur autem optimates illo tempore maxime

1) Nam quod de Narnia, quae ex duodecim fuit, narratur apud Livium XXXII, 2 *Narniensium legatis querentibus ad numerum sibi colonos non esse et immixtos quosdam non sui generis pro colonis se gerere, earum rerum causa tresviros creare L. Cornelius consul iussus. — quod Narniensibus datum erat, ut colonorum numerus cogeretur, id Cosani petentes non impetraverunt*, hoc non ad supplementum coloniae pertinere Io. Fr. Gronovius intellexit (neque enim id iniussu populi fieri potuit), nec ex ullius codicis auctoritate in nonnullis editionibus *numerus augeretur* erat. At suppletae sunt ex duodeviginti coloniis Venusia (Liv. XXXI, 49), Cosa (Liv. XXXIII, 25) Cremona et Placentia (Liv. XXXVII, 46), ex iis quae post bellum Punicum conditae sunt, Aquileia (Liv. XLIII, 17).

2) Appian. I, 52 in belli Marsici historia narrat, cum Aesernia a sociis oppugnaretur, L. Scipionem et L. Acilium, qui eam tunc ordinarent (οἱ συντάττοντες), servili veste tectos profugisse. Hi colonia Livia deducta, id quod nonnunquam accidisse legimus, videri possint ibi remansisse.

3) Semper autem hunc etiam Livium pro optimatibus contendisse, intelligitur inde, quod contra L. Appuleium arma cepisse narratur a Cic. p. Rabir. 7, 21. Quare ab eodem Cic. p. Mil. 7, 16 appellatur *senatus propugnator atque illis quidem temporibus paene patronus.*

iudiciis, quae cum ab equitibus, in quorum potestate erant, tanto cum odio senatus tantaque infamia exercerentur, ut nemo tam innocens, nemo tam potens sibi esse videretur, quin illa timeret [1]), ei, qui senatus causam suscepisset, primum faciendum erat, ut hoc onere rempublicam levaret. Ita ab senatus optimatiumque auxilio profectus [2]) non poterat tamen non intelligere, etiam plebi subveniendum esse, qui compluribus legibus agrariis frustra latis tanto magis tandem ut in agris collocaretur, cupiebat. Cuius rei auctor etiamsi nollet esse, placandam tamen videbat esse plebem, ne civitati sociorum Italicorum adversaretur, quos a Gracchis primum ad spem civitatis excitatos iam difficile erat contemnere [3]). Quare totam rempublicam constituere aggressus infelicem habuit exitum. Iam Drusus cum non minus quam pater eius ab optimatium partibus staret, qualis vel fuit vel potuit esse eius lex agraria? Primum quaeritur, coloniae illae nondum deductae, quas Appianus commemorat, quae fuerint, cuius lege decretae. In Siciliam a Gracchis colonias destinatas esse non traditur [4]), at traditur de Appuleio, voluisse eum in Sicilia cives Romanos collocare, cuius lex quia sublata erat, nullae ibi coloniae constitutae erant. Ad eundem igitur auctorem Appuleium Italicas quoque colonias, quas Livius deducere voluerit, refero. Maxime tamen hoc eius consilium fuisse opinor, ut in eum agrum publicum, qui tum in sociorum possessione erat, colonos deduceret. Neque enim dubium esse debet, quin non gratis civitatem sociis impertiendam esse putarit; sed civitas proponebatur, si agrum publicum, quem possiderent, aequo animo cederent. Reliquum quidem, qui in divitum Romanorum possessione esset, non motum esse probabile est. Illud autem quod dixi de sociis, haud dubie significat Appian. I, 36: Οἱ Ἰταλιῶται δὲ, ὑπὲρ ὧν καὶ μάλιστα ὁ Δροῦσος ταῦτα ἐτέχναζε, καὶ οὐδὲ περὶ τῷ νόμῳ τῆς ἀποικίας ἐδεδοίκεσαν, ὡς τῆς δημοσίας Ῥωμαίων γῆς (ἣν ἀνέμητον οὖσαν ἔτι οἱ μὲν ἐκ βίας, οἱ δὲ λανθάνοντες ἐγεώργουν) αὐτίκα σφῶν ἀφαιρεθησομένης καὶ

---

1) Maxime id manifestum fuerat in P. Rutilii iudicio, anno 92, qui propter integritatem, qua Asiam provinciam a publicanorum iniuriis defenderat, in exilium eiectus est. Vide imprimis Cic. p. Scaur. 1, 2 *P. Rutilio damnato nemo tam innocens erat, qui non timeret illa* (iudicia equitum).

2) Vide etiam Cic. de orat. III, 1 et I, 7, 24; Pseudo-Sall. ad Caes. 2 p. 272 (ed. Gerlach.). Quare Cic. de leg. II, 6, 14 Livias leges honestiore quodammodo loco nominat quam Appuleias et Titias.

3) In Livii epitome libr. 71 haec sunt de Druso: *ut maioribus viribus senatus causam susceptam tueretur, socios et Italicos populos spe civitatis Romanae sollicitavit*, cum quibus consentit scholiasta Bobiensis ad Ciceron. p. Milon. p. 282 Orell. et Asconius in Cic. p. Cornel. p. 68. Multo autem postquam haec scripta erant, legi quae Ad. Kienius de bello sociali, de eodem hoc Livio disputat, p. 160 sqq., non multum a nostris dissidentia.

4) Nimium enim haud paulo est, quod Vellei. II, 6 C. Gracchum narrat novis coloniis replere voluisse (*replebat* dicit) provincias, cum in Africam solam Carthaginem deductam vel destinatam esse constet. Animo hoc sibi Gracchus proposuerit, legem certe talem tulit nullam.

πολλὰ καὶ περὶ τῆς ἰδίας ἐνοχλησόμενοι. Nimirum socii cum antea agro publico civitatem mutare parati fuissent, tum perlata lege agraria ubi civitatem sine spe agitari animadverterent, timere coeperunt, ne sine praemio ullo possessionibus cedendum esset [1]).

Etenim senatus et equites de iudiciorum maxime possessione dissidentes omnia perturbarunt, cum veterem statum restitui mallent quam dignitatem suam ulla re minui. Aequa sane fuerat illa quasi pactio et qua optime respublica servari posset. Neque enim credo, quod vulgo dicunt [2]), M. Livium etiam plus largitum esse Gracchis, quo pertinere aiunt imprimis illam vocem, quae affertur a Floro III, 16 et auctore de viris illustr. c. 66 ***nihil se ad largiendum ulli reliquisse, nisi quis aut coenum dividere vellet aut coelum.*** Quam quidem rectius sic intelligendam esse puto, ut intellexit auctor de viris illustribus, praemittens ***tribunus plebis Latinis civitatem, plebi agros, equitibus curiam, senatui iudicia permisit***, ut omnibus ordinibus et hominum generibus ea, quae dudum concupissent, concessisse se praedicet. Nam si superare volebat Gracchos, etiam extra Italiam colonias decernere debuit, id quod nemo eum voluisse tradit. In his rebus dum Drusus versatur, Philippus consul, qui iam legi agrariae imprimis cum Q. Servilio Caepione vehementissime restiterat [3]), Tuscos et Umbros, privatis, opinor, necessitudinibus sibi coniunctos [4]), frequentes in urbem vocavit, quibus contra plebem Romanam uteretur, per eosque M. Drusum domi suae interficiendum curavit [5]). Tum senatus, auctore M. Philippo consule eodemque augure omnes leges Livias, quod contra leges et contra auspicia latas esse diceret [6]), sustulit iisque populum teneri non videri decrevit [7]).

---

1) Quare etiam Aurel. Vict. c. 66 *plebs acceptis agris gaudebat, expulsi dolebant*, nimirum socii.

2) Ut in ea opinione est etiam Rudorff. de lege Thoria p. 41, qui Livias leges ait summam omnium, qui de re agraria tulerunt, liberalitatem exhibuisse. Seneca vero in consol. ad Marc. c. 16 *Cornelia Livium Drusum, clarissimum iuvenem, illustris ingenii, vadentem per Gracchana vestigia, imperfectis tot rogationibus intra penates interemptum suos amiserat*, nihil aliud videtur dicere, nisi Drusum actiones agrarias tentasse.

3) Vid. Auct. de vir. illustr. c. 66 med.

4) Nam aliam causam, cur Druso irati fuerint, nescio; agri certe publici non minus erat apud alios populos, nec certe illos Drusus a civitate excipere voluerat.

5) Q. Varium, cum qui postea legem tulit in eos, qui socios adiuvissent, caedis auctorem fuisse narrat Cic. de nat. deor. III, 33; invidiam inter Philippum etiam et Q. Caepionem communem fuisse ait Vellei. II, 14. Ceterum de ea caede nec populus consultus nec quaestio ulla a senatu decreta est, Cic. p. Mil. c. 7.

6) Sic Cic. de leg. II, 6, 14. Quae autem leges in Liviis ferendis neglectae sint, varie traditur. Contra auspicia latas esse narrant Cic. de leg. II, 12, 31 Ascon. in Cic. Cornel. p. 68 Orell.; contra

Caput quintum.

Occiso autem M. Livio Druso extremo anno 91 a. Chr. [1]) Q. Varius Hybrida, tribunus plebis, continno legem de maiestato tulit, ut in eos, quorum dolo malo sociis spes civitatis inieeto esset [2]), quaestio instituerctur, quam legem intercedentibus ceteris tribunis equitum ope per vim pertulit. Eieeti sunt ex civitate L. Calpurnius Bestia, C. Aurelius Cotta [3]), damnatus L. Mummius Achaicus, accusatus ipse M. Aemilius Scaurus, ut magna omnino omnium nobilium trepidatio existeret. Quibus legibus et iudiciis eum socii omni spe civitatis impetrandae deiecti essent, ad vim compulsi coniuratione facta arma ceperunt bellumque Marsicum excitarunt, quo secundum bellum Punicum nullum Romanis perniciosius fuit. In quo quae gesta sunt utrimque, non narrabo; neque enim huc pertinent. Verum attinet ad rem cognoscere, quae vel coloniae vel alia oppido eo bello aut deleta sint aut exhousta, quoniam inde, quibus supplemento hominum opus fuerit, cognosci potest. Ex coloniis igitur nominantur hae: *Aesernia*, colonia vetus Latina et Livia, ut conieeimus, in Somnio, quae eum a partibus Romanorum staret, a foederatis sociis obsessa et post diutinam et famo et alio multiplici clade insignem obsidionem capta est [4]); *Alba* colonio vetus Latina, in Aequis posita (Modvig. Opuscul. Acod. p. 298), quam obsessam esso ait Liv. epit. libr. 72 [5]). Deinde *Salernum*, colonia civium, capta a sociis captivique eorum exercitui ascripti; tum *Venusia* in Apulia, votus colonia Latina, capta a Romanis, cum sola ex coloniis hoc bello desperata reipublicoo Romanae salute defecisse videatur (Appian. I, 42 extr.); nam de *Compsa*, colonia Latina, quam Vellei. II, 16, 2 a Romanis expugnatam esse narrat, dubium est. At in fide manaerunt *Firmum*, colonia Latina (App. I, 47), et *Liternum*, civium colonia (Appian. I, 42, quamquam lectio dubia est). Ex aliis urbibus fidem conservarunt *Venafrum* (App. I, 41), *Grumentum* in Lucania, postea ab

---

legem Caeciliam et Didiam Cic. p. dom. 16, 41; de pluribus rebus Livium uno sortitu tulisse tradit Cic. p. dom. 19, 30, sed leges Aeliam et Fufiam servatas esse idem in Vatin. 9, 23.

7) Hac enim ipsa formula senatum usum esse intelligitur ex Ciceronis fragmentis p. Cornel. p. 449 (ed. Orell.).

1) Nam Septembri mense cum etiamtunc cum senatu consensisse discimus ex Cic. de orat. III, 1.

2) Vide imprimis Appian. bell. civ. I, 37; Valer. Max. VIII, 6, 4; Ascon. in orat. p. Scaur. p. 22 et p. Cornel. p. 73.

3) Vide Cic. de orat. III, 3, 11; Brut. 88, 303; Appian. I. I.

4) Appian. bell. civ. I, 41; Liv. epit. libr. 72 et 73, post recuperata a Romanis iterum expugnata est a sociis, necdum eam sua aetate restitutam esse ait Strabo V, 3, 10 extr. et V, 4, 11.

5) Afferrem etiam *Nolam*, quae a Livio epit. 73 (cf. Appian. I, 42) colonia dicitur, nisi merito Madvigius libr. laud. p. 304 dubitare videretur. Videtur enim Livius coloniam dixisse, quia erat ipsius tempore, deducta ab Augusto.

sociis captum (Flor. III, 18; Diod. exc. Vatic.; Senec. de benef. III, 23), *Stabiae* [1]), *Nuceria* (Flor. III, 18, 11; App. I, 42), *Acerrae* (Appian. I, 42); *Ocriculum*, *Carseoli*, *Reate* (Flor. III, 18, 11), *Teanum Sidicinum* (App. I, 45). Defecerunt contra ad socios *Asculum* (Oros. V, 18; Frontin. Strateg. III, 17, 8), *Pompeii* (App. I, 39), *Canusium* (Appian. I, 42); *Herculaneum* (Vellei. II, 16); *Aeculanum* [2]), *Bovianum* (App. I, 51), *Salapia*, *Cannae*, *Poediculi* (App. I, 52). Hae nominantur urbes: quot autem alias minores expugnatas aut afflictas esse existimabimus minus nobilibus cladibus. Omnino enim in hoc bello amplius trecenta milia iuventutis Italicae absumpta esse tradit Vellei. II, 15.

Per hoc igitur tantum bellum quae colonia tentata sit, paulo infra dicemus, hoc loco num quid agri publici a populo Romano partum sit, quaeritur. Certe ita videtur. Velut Asculum Picenum cum captum esset a Cn. Pompeio, praedam omnem servosque venisse ait Orosius V, 18, reliquos liberos dimissos esse nudos egenosque. Ager igitur eorum publicus populi Romani factus est, siquidem ea omnino consuetudo erat Romanorum, ut, qui hostes post acrem defensionem in deditionem venissent, agro multarentur. Nonnulli autem populi acerrime Romanis restiterunt, ut pacata reliqua Italia Nolae tamen belli reliquias fuisse narrat Vellei. II, 17 Lucanosque et Samnites diutissime sustinuisse ait Appian. bell. civ. I, 53. Quibus cum subiicerentur agrum adimi par erat. Nec tamen usquam ager publicus hoc bello partus commemoratur, propterea quod, cum in iis populis, qui fide in populum Romanum servata civitate donati sunt, rationem agri publici prorsus non mutatam esse appareat, iis, qui vere armis ac vi subiecti sunt, ut Hirpinis (App. I, 51), Marsis, Marrucinis, Vestinis, Poediculis (App. I, 52), ceteris ager, cum in civitatem tandem reciperentur, videtur esse redditus. Eos certe populos, qui Romanis maxime restiterant, Samnites et Lucanos, quamvis Appian. I, 53 modo dicat videri hos quoque quae vellent postea esse assecutos, quo tempore civitatem adepti sunt, de agro etiam publico reddendo impetrasse probabiliter coniicere licet. Nam cum anno 87 Octavius consul, iam Cinnanas et Marianas copias timens, Q. Caecilio Metello, reliquias belli socialis contra Samnites administranti scripsisset, quam primum pace cum hostibus composita patriae afflictae subveniret, ubi is cunctantius non omnia, quae postulabantur, concedebat, C. Marius omnia quae cuperent effecturum se pollicitus omnes Sabinos sibi adiunxit (Appian. I, 68) [3]). Postulata autem certe fuerant haec, non modo ut in civitatem reciperentur, sed etiam

1) Has quidem hoc bello ita deletas esse scribit Plin. nat. hist. III, 9, 70, ut suo tempore in villam abierint.

2) Atque hoc ne a Sulla quidem restitutum esse colligo ex Cic. ad Attic. VII, 3, 1 et XVI, 2, 4.

3) Paulo ante hoc tempus in iis, quae Appian. I, 65 narrat, vestigium deprehendo nondum domitos fuisse Samnites. Cinna enim eiectus ab Octavio collega cum ad novos cives confugisset, dicitur

ne quid omnino mali paterentur neve agro, qui ab ipsis captus esset, privarentur. Eodemque tempore Lucani et pacem et ea, quae voluerant, Marii ope acceperunt, cuius partes deinde adiuverunt (Appian. I, 90), dum Sullae in Italiam reduci se adiunxerunt. Quae si Romanorum inimicissimi assecuti sunt, quid arbitramur ceteros, qui facilius vel victi sunt vel in gratiam redierunt? Quibus si quid antea negatum erat, omnia certe a Marianis, cum Sulla instaret, concessa sunt. Ut autem existimem, cum civitas daretur, redditum esse simul agrum captum, hoc me movet, quod etiam homines in bello utrimque captos pace facta liberatos esse video. Hoc enim colligo ex Cic. p. Cluent. 59, 163, ubi Oppianicus accusat *Caelii cuiusdam Samnitis uxorem post bellum* (Marsicum) *ab hoc* (A. Cluentio) *esse repetitam*, defendit Cicero: *Mulierem cum emisset de sectoribus, quo tempore eam primum liberam esse audivit, sine iudicio reddidit Caelio.* Accusat Oppianicus, quod A. Cluentius captivam ex Samnitibus mulierem pace facta reddere noluerit, sed necesse fuisse iudicio ab eo propinqui mulieris repeterent, defendit Cicero, immo sine iudicio statim dimissam esse. Quodsi iudicium ea de re fieri poterat repetique mulier, necesse erat lex alique homines in illo bello captos reddi iuberet. Itaque idem Cic. p. Cluent. 7, 21 M. Aurium adolescentem narrat, bello Italico captum apud Asculum, qui deinde in agro Gallico in servitute fuisset, pace facta a matre, cuius tunc unicus esset filius, esse investigatum, quae res ita narratur, ut heri, a quo, si legitima tum esset servitus, redimendus erat, nulla mentio fiat. Haec cum acta essent a Marianis, Sulla rerum potitus tollere non potuit, a quo cum ultio iniuriarum acceptarum quaereretur, frustra constat quorundam populorum civitatem esse imminutam, aliorum agros propter novam defectionem ademptos suisque colonis divisos.

Neque vero haec modo a Marianis in re agraria acta sunt, sed ab iisdem tentata coloniae deductio. Eius solus testis est Cicero in Rullum II, 33 et 34, qui adolescente se narrat M. quendam Brutum de colonia Capuam deducenda tulisse [1]), esse deinde deductam coloniam creatosque IIviros vel praetores (ita enim nominatos esse ait) L. Considium et Sex. Saltium. Quam tamen coloniam non constitisse significat, cum omnes, qui aliquam illius deductionis partem attigissent vel honores in nova colonia cepissent, acerbissimas poenas pertulisse narrat. Ac constat etiam ex multis aliis rebus usque ad C. Caesarem consulem nullam fuisse Capuae coloniam. Deducta igitur est Capua *lege Iunia*; nam hoc nomen quin Bruto illi

---

ab eo per oppida Romae proxima cucurrisse, Tibur, Praeneste, ceteraque μέχρι Νώλης. Cur tandem usque Nolam? Ideo quia Nola nondum in civitatem recepta nihil in comitiis videtur valuisse.

1) Sic enim intelligo quod dicit c. 33, 89 *Quodsi maiores nostri existimassent, quemquam — M. Bruti aut P. Rulli similem futurum (hos enim duos adhuc vidimus, qui hanc rempublicam Capuam totam transferre vellent)*, et postea c. 34, 92 *ipse qui deduxit* est M. Brutus, cuius lege deducta est.

fuerit, non est dubium. Quod autem Cicero omnes tradit, qui in colonia deducenda operam dedissent, poenas pertulisse, id nisi publica aliqua calamitate accidere non potuit, quae nulla videtur esse alia nisi Sullana tempestas [1]), unde coloniam a Marianis deductam, a Sulla sublatam esse coniicio. Quis autem M. ille Brutus fuit? [2]) Ad hunc refero, quod Cicero pro Quinct. 20, 65 L. Cornelio Scipione C. Iunio Norbano cos. (anno 83 a. Chr.) M. Brutum tribunum plebis fuisse narrat [3]). In quo ipse tribunatu hanc legem de Capua deducenda latam esse arbitror, ut Sullae advenienti tamquam praesidium aliquod obiiceretur colonia frequentissima. Quid autem est illud, quod Cicero eum, qui deduxit, poenas acerbissimas pertulisse ait? Nimirum Livius epit. libr. 89 narrat *M. Brutum* [4]) *a Cn. Papirio Carbone, qui Cossuram appulerat, missum nave piscatoria Lilybaeum, ut exploraret, an ibi Pompeius esset, et circumventum a navibus, quas Pompeius miserat, in se mucrone verso ad transtrum navis obnixum corporis pondere incubuisse* (anno 82 a. Chr.). Cf. Appian. I, 95. Sed quisquis fuit hic Brutus [5]), colonia eius in bello Sullano Norbani exercitum circa eam regionem

---

1) Sic iam iudicarunt Turnebus ad Cic. in Rull. l. l. et Mazochius de amphitheatro Campano p. 8.

2) Mazochius de amphitheatro Campano p. 8 et Orell. in Onomastico Tulliano p. 319 putant esse patrem eius, qui Caesarem interfecit, quem constat Sullano bello periisse (Liv. epit. libr. 90; Appian. II, 111; Plutarch. Pomp. c. 16, alii), quod ipsum hoc loco a Cicerone significari aiunt; eundem porro, quem cum undecim aliis cum Sulla Capua rediens rogationes Sulpicias ulturus Romam intrasset, hostem iudicatum esse Appian. I, 88 narrat. Quod mihi quidem parum videtur esse probabile. Primum illud me movet, quod neminem ex ea familia, unde ὁ τυραννοκτόνος ortus erat, existimo tribunum plebis fuisse, siquidem is nec gloriari poterat, se ab vetere illo Bruto, regum expulsore, gentis patriciae, genus ducere nec ita videri, si quisquam tam recenti tempore tribunus plebis fuisset; quae causa fuit Mazochio, ut deductam modo coloniam a Bruto existimaret, non legem deducendae latam. Deinde si vitam eius Bruti, quem volunt, considerabimus, idem homo erit in duodecim praecipuis Sullae inimicis, proscriptus iam anno 88, sed servatus, ut multi alii, deinde tribunus plebis cum Marianis, denique legatus Lepidi, cum is Sulla mortuo leges Cornelias abrogare instituerет. Qui etiamsi alteram severiorem proscriptionem effugisset, ad honores certo valentibus legibus Corneliis non esset admissus.

3) Eundem praetorem fuisse puto anno 88 a. Chr. Sulpicioque rempublicam perturbante missum esse cum P. Servilio Albinovano Nolam ad exercitum Sullae adimendum (Plut. Sull. c. 9) atque eam fuisse causam, ut cum undecim illis proscriberetur; nam Albinovanus certe in iis fuit, Appian. I, 61.

4) Male enim in Livii editionibus legitur *L. Brutum*, cum in optimis libris potius *Marcus* nominetur.

5) Etiam Drumannum in histor. Roman. Tom. IV p. 14 video Capuam deductam existimare a patre liberatoris. Commemoratur autem praeterea Brutus a Plutarch. Pomp. c. 7, qui cum cum Coelio et Carinna, ducibus Marianis, in Pompeium cum tribus legionibus in Piceno conscriptis iter facientem impetum fecisse narrat. Qui non alius fuit nisi hic, qui Capuam deduxerat. At alius fuit ille Brutus prae-

victum aliquamdiu tutata est (Appian. I, 84; Vellei. II, 25), unde Gutta quidam, Campanorum dux, cum Pontio Telesino ad C. Marium Praeneste liberandum accurrit (Appian. I, 90), deinde dissoluta est agerque aut publicis reditibus redditus aut novis colonis divisus.

Caput sextum.

Omnes hae, quas explicavi, rogationes agrariae cum fere frustra latae nullum effectum habuissent, nec eorum studia quicquam valuissent, qui plebe in agris collocanda solitudini Italiae subveniendum esse putarent, militum tamen ratio negligi non potuit, quorum causa ipsi optimates, quod plebis causa fieri noluerant, suscipere coacti sunt. Iam enim ad eam tempestatem accedendum est, qua magna parte Italiae incolarum mutata id genus coloniarum, de quo tota nostra disputatio proprie instituta est, vere usurpabatur. Nam Sulla conditor quasi et inventor totius huius coloniarum generis existimandus est, qui eum Marium eiusque partes delesset, suae potentiae quaerendae causa et ut eam reipublicae formam, quam ipse instituerat, confirmaret, milites suos per opportunissima Italiae oppida divisit [1].

Victis igitur anno 82 a. Chr. adversariorum partibus L. Sulla cum tota republica potitus esset, interregem a senatu creari iussit. Creatus est L. Valerius Flaccus. Is a Sulla iussus est legem ferre de dictatore dicendo, non ad definitum aliquod tempus, qui vetus erat mos dictatoris dicendi [2], sed dum res urbanas et Italiam et totum denique imperium continuis bellis graviter concussum composuisset. Hac lege Valeria singillatim quae dictatori agere liceret, perscripta erant. Breviter id indicat Appian. bell. civ. I, 99, qui dictatorem creatum esse dicit legibus perferendis et reipublicae constituendae; paulo pluribus Plutarch. in Sulla c. 33 ἐψηφίσθη δ' αὐτῷ πάντων ἄδεια τῶν γεγονότων, πρὸς δὲ τὸ μέλλον ἐξουσία θανάτου, δημεύσεως, κληρου-

---

tor anno 82 a. Chr., de quo recte iudicari censeo ab Drumanno in histor. Rom. Tom. IV p. 49, minus recte ab Orell. in Onomast. Tull. p. 352.

1) Antequam ad has colonias explicandas accedam, minuendus est error Sigonii de antiq. iure Italiae III, 4, qui bis ait a L. Sulla deductas esse colonias, ac primum quidem anno 88 a. Chr., cum Sulpicio et Mario exturbaia rempublicam composuerat, ut tutus ab inimicis cum Mithridate bellum gerere posset. Utitur autemt iis, quae sunt apud Livium epit. libr. 77 *L. Sulla civitatis statum ordinavit: exinde colonias deduxit*. Quod verum esse negavit iam Dukerus ad Liv. l. l., qui et temporis brevitate Sullam in bellum Mithridaticum properantem exclusum esse ait at post bellum Marsicum tantum negat superfuisse iuventutis, ut colonias confici possent. Noc tamen epitomatorem errasse puto, sed peccatum esse a librario. Oportet enim esse *copias eduxit*, quod et commemorandum erat nec commemoratur. Non magis in coloniis Sullanis *Aricia* et *Lanuvium* numeranda sunt, quae commemorat Liv. epit. libr. 80, de quibus recte iudicat Madvig. de iur. et condic. coloniarum p. 301.

2) Vide Cic. ad Attic. IX, 15, 2.

κιῶν, κτίσεως, χορηγήσεως, ἀφελέσθαι βασιλείαν καὶ ᾧ βούλοιτο χαρίσασθαι [1]). Iam Sulla non amplius opus erat, ut de unaquaque re ad populum ferret, sed edicebat modo, quid fieri vellet idque ex lege Valeria ratum et pro lege habebatur. Sed dubito, an in gravioribus rebus et iis, quae duraturae essent, populum rogarit. Nam Cicero pro Sex. Roscio Amer. 43, 125 dissimulans quasi sibi ea ratio parum nota esset, sic ait: *Qui potuerunt ista ipsa lege, quae de proscriptione est, sive Valeria est sive Cornelia (non enim novi nec scio), verum ista ipsa lege bona Sex. Roscii venire qui potuerunt?* [2]), idemque in Rull. III, 2, 6 *Nam Valeria lege Corneliisque legibus eripitur, cum datur*; et ibid. III, 2, 8 *At hec Valeria lex non dicit, Corneliae leges non sanciunt*, ex quibus postremis locis imprimis intelligitur, eum universa omnium rerum potestas lege Valeria permissa esset, de singulis postea separatim latum esse.

In universum quid L. Sulla de proscriptione (nam hinc nobis egrediendum est) statuerit, significat Appian. bell. civ. I, 95, qui Sullam ad populum ita concionantem facit, ut dixerit, se in omnes, qui ex eo die, quo L. Cornelius Scipio cos. (ann. 83) pactis non stetisset, adversarii sibi fuissent, esse animadversurum [3]), ac quod dictum est de hominibus, idem videtur valere in urbes, quarum ager publicaretur. Deinde in lege erat, ut proscriptiones et venditiones fierent ad Kalendas Iunias ann. 81 a. Chr., M. Tullio Decula Cn. Cornelio Dolabella cos. [4]), quod item sic ad urbes pertinere arbitror, ut ante Kalendas Iunias illius anni, quid cuique urbi accideret, ediceretur.

Poenarum autem, quae civitatibus adversariis a Sulla infligebantur, varia genera fuisse narrat Appian. I, 96: Ὡς δ' ἐξέλιπε τὰ καθ' ἕνα ἄνδρα ἐγκλήματα, ἐπὶ τὰς πόλεις ὁ Σύλλας μετῄει καὶ ἐκόλαζε καὶ τάσδε, τῶν μὲν ἀκροπόλεις κατασκάπτων ἢ τείχη καθαιρῶν ἢ κοινὰς ζημίας ἐπιτιθεὶς ἢ ἐσφοραῖς ἐκτρύχων βαρυτάταις· ταῖς δὲ πλείοσι τοὺς ἑαυτῷ στρατευσαμένους ἐπῴκιζεν, ὡς ἕξων φρούρια κατὰ τῆς Ἰταλίας, τήν τε γῆν αὐτῶν καὶ τὰ οἰκήματα ἐς τούσδε μεταφέρων διαμερίζων. Ex his, ut cetera, quae ad coloniarum rationem non pertinent, omittamus, primum militibus suis Sullam agros divisisse

---

1) De illo capite, quod de proscriptione erat, idem breviter refert Cic. de leg. I, 15, 42: *ut dictator, quem vellet civium, indicta causa impune posset occidere.*

2) Hoc scholiasta Gronovianus (Orell. p. 435) recte sic explicat: *Valerius Flaccus praetor* (?) *Sullanis temporibus fuit. Hic tulit legem, quicquid Sulla dixisset* (oportet esse *edixisset*) *lex esset. Si quid ergo ad populum tulisset Sulla, valebat lege Cornelia, si quid voluisset facere et non tulisset ad populum, hoc valebat lege Valeria.*

3) Ipsa eius verba haec sunt: τῶν δ' ἐχθρῶν οὐδενὸς ἐς ἔσχατον κακοῦ φείσεται, ἀλλὰ καὶ τοὺς στρατηγοὺς ἢ ταμίας ἢ χιλιάρχους ἢ ὅσοι τι συνέπραξαν ἄλλο τοῖς πολεμίοις μεθ' ἣν ἡμέραν Σκιπίων ὁ ὕπατος οὐκ ἐνέμεινε τοῖς πρὸς αὐτὸν ὡμολογημένοις, μετελεύσεσθαι κατὰ κράτος. In his animadverto Sullae ultionem non descendisse infra tribunos militum.

4) Vide Cic. p. Sex. Rosc. Amer. 44, 128.

cognoscimus. Sed quot milites fuerunt? Appian. bell. civ. I, 100 viginti tres legiones fuisse ait vel (I, 104) hominum circiter centum viginti milia, isque numerus rectior videtur esse quam is, quem Liv. epit. libr. 89 habet, qui eum *quadraginta septem legiones in agros captos deduxisse et eos iis divisisse* narrat [1]). Nam Sulla cum ex Graecia in Italiam traiiceret, legiones quinque, sex milia equitum auxiliaque nonnulla Peloponnesiorum et Macedonum (ἄλλους τέ τινας ἐκ Πελοποννήσου καὶ Μακεδονίας) i. e. circiter quadraginta milia hominum secum habuisse narratur ab Appian. bell. civ. I, 79; Mariani autem initio belli civilis, cum et omnes copias parassent needum quicquam detrimenti accepissent, habebant ducentas cohortes quingenorum hominum i. e. viginti legiones. Fac igitur totidem milites adiunctos esse Sullano exercitui in Italia, quot fuerant Marianorum: iam tres et viginti legiones video posse effici, quadraginta septem non video. Atque in singulis legionibus si fere quina milia militum erant, qui numerus tunc solitus erat, viginti tres legiones illum numerum, quem Appianus tradidit, explebunt.

Quo autem pacto et quibus condicionibus milites in agris collocabantur? Num eodem modo, quo veteres olim coloni, qui a republica in colonias vel civium vel Latinas mittebantur, ut ager non privatus fieret, sed publicus quasi maneret? Nam illud ne quaerendum quidem videtur esse, plenam et optimam civitatem retinuisse eos qui deducerentur, quod quin ita fuerit, nemo dubitat. Sed praeter civitatem non plus concessit Sulla quam veteres coloni habuerant; nam commodari militibus agrum volebat, ut ii rempublicam defenderent, non eorum fieri privatum. Significat id Cic. in Rull. II, 28, 78 *Nam agrum quidem Campanum, quem vobis ostentant, ipsi concupiverunt, deducent suos, quorum nomine ipsi teneant et fruantur: coement praeterea: ista dena iugera continuabunt. Nam si dicent per legem id non licere, ne per Corneliam quidem licet. At videmus, ut longinqua mittamus, agrum Praenestinum a paucis possideri.* Vendere igitur agros lex Cornelia vetuerat, sed male id servatum esse ipse Cicero significat. Atque idem in Rull. III, 2, 8, ubi Rullum vituperat, quod Sullanas assignationes voluisset esse *eodem iure quo quae optimo iure privata essent*, eum sic refellit: *At hoc Valeria lex non dicit, Corneliae non sanciunt, Sulla ipse non postulavit;* nam quae optimo iure privata sunt, nec esse possunt publica populi Romani et venire ac testamento cuivis relinqui licet [2]). Veteres autem possessores agrorum, in quibus milites collocabantur, quo iure et qua condicione utebantur? Quorum causa sane saepe erat miserrima, cum non agris modo, sed domibus etiam et servis et omni instrumento rustico priva-

1) Sed Goettlingio in hist. reipubl. Rom. p. 463 placet hic numerus, cuius etiam externa quasi fides incertior est, quod non litteris, sed signis in codicibus scribitur.

2) Cf. supra, ubi de lege Thoria diximus, p. 216.

rentur [1]). Sed plurimi tamen, opinor, in patriis sedibus remanebant et certo vectigali novis dominis pendendo agrum colebant aut in oppida cum egestate aegra vitam sustentaturi confluebant [2]). Multorum vero, quibus agri adimebantur, etiam civitas modo data imminuta est. Etenim iis novis civibus, qui a Marianis stetissent, Sulla alteram publicam quasi civitatis partem ademit, reliquit privatam, ut commercium retinerent nec nexa hereditatesve solverentur, iubebatque eo iure esse, quo fuissent duodecim illae coloniae, quibus lege Livia novi coloni adiecti sunt, de quibus supra dictum est. Vide Cic. pro Caec. c. 35. Ibidemque c. 33 nominat Arretinos, sed multis aliis idem accidisse significans, quod confirmatur Lepidi oratione apud Sallust. Hist. I init. *Sociorum et Latii magna vis civitate pro multis et egregiis factis a vobis data per unum prohibentur et plebis innoxiae patrias sedes occupavere pauci satellites, mercedem scelerum.* Quod cum ne vivo quidem Sulla valuisse nec potuisse valere dicit Cicero, quia contra leges sit cuiquam civitatem invito adimi, non dubitandum est, quin magis oratorie amplificatum quam recte narratum sit [3]). Nam valuisse et Lepidus in ea, quam attuli oratione fatetur et hoc ostendit, quod proscriptorum liberi a Sulla contra morem Romanum infamia notati, fuerunt in infamia et ab honoribus arcebantur, dum Caesar rerum potitus restituit, ab eodemque plenam civitatem ex lege redditam esse censeo. Per quos lege agraria agri divisi sint, dubium videri possit; nec tamen per legatos Sullae, quod postea in coloniis militaribus moris erat, sed per civiles magistratus divisionem institutam esse arbitror, ne nimium milites valere viderentur. Ac pertinere huc censeo, quae sunt apud incertum auctorem de coloniis p. 236 ed. Lachm.: *Praeneste oppidum; ager eius a Vviris pro parte in iugeribus est assignatus.* Certe hoc constat, et illo tempore Praeneste esse coloniam factam, nec post hoc tempus agro dividendo unquam praefuisse Vviros [4]).

Iam agri ipsius denique, qui dividebatur, duo fuisse genera indicat Appian. I, 100, unum eius, qui publicus esset populi Romani, nondum divisus, alterum eius, quo poenae causa op-

---

1) Quare Sallust. Catil. c. 28: *in Etruria plebem sollicitare, egestate simul ac dolore iniuriae novarum rerum cupidam, quod Sullae dominatione agros bonaque omnia amiserat.*

2) Cf. quae infra de possessoribus IIIvirorum lege electis dicentur.

3) Itemque oratorie Pseudo. Cic. pro dom. ad pontif. 30, 79: *Populus Romanus, L. Sulla dictatore ferente, comitiis centuriatis municipiis civitatem ademit: ademit iisdem agros. De agris ratum est; fuit enim populi potestas: de civitate ne tamdiu quidem valuit, quamdiu illa Sullani temporis arma valuerunt.* Affertur deinde Volaterranorum exemplum, qui quamvis privati civitate pro civibus tamen habeantur.

4) Antea autem esse factos numerumque illum in re agraria frequenter usurpatum ostendit Cic. in Rull. II, 7, 17 *Toties legibus agrariis curatores constituti sunt triumviri, quinqueviri, decemviri.*

pida Italiae privata erant [1]. Publicus populi Romani maxime is videtur fuisse, quem socii vel etiam cives cum antea possedissent, quia contra Sullam arma tulerant, amiserunt; hoc autem alterum agri privati genus, qui oppidis ademptus erat, rursus duplex erat; nam aut universas urbes sedibus suis expulit, ut Arretium, ut Volaterras, aut partem agri iis ademit, quod in plerisque oppidis factum est. Imprimisque memerabile est hoc alterum coloniarum genus veteribus oppidis ita adiunctum, ut non novae civitates conderentur, sed veterum incolae mutarentur, quod genus inventum a Sulla usurpari omnino coeptum est in coloniis militaribus. Quid enim Sullae in his coloniis militibusque deducendis propositum fuisse arbitramur? Nempe hoc, ut Italiam in potestate sua teneret, ad quam rem aptius erat multa occupari oppida quamvis parvis coloniis militnm, quam ad morem veterem frequentes condi urbes, longa spatio inter se dissitas, quae in hostili terra utiles sane erant, ad obsidendam quasi Romam Italiamque parum utiles. Atque hoc maxime coloniarum genus Appianns significat dicens: *ταῖς πλέοσι (πόλεσι) τοὺς ἑαυτῷ στρατευσαμένους ἐπῴκιζεν, ὡς ἔχοι φρούρια κατὰ τῆς Ἰταλίας* (de bell. civ. 1, 96). Eaque ipsa causa est, cur tam raro coloniae Sullanae commemorentur; latent enim sub municipiorum nomine, quibus ascriptae sunt, nam parte modo incolarum mutata nec nomen nec respublica urbium mutabatur. Erit igitur in indice coloniarum Sullanarum, quem exhibebimus, quaerendum, quae urbes totae militibus occupatae sint, quae ex parte, quod cum non ubique certe dici possit, quae re fuisse censemus duo genera, externa specie hic separare nec voluimus nec potuimus.

Certis igitur rationibus usi has colonias Sullanas fuisse statuimus:

Ariciam, non procul a Roma, captam et vastatam a Mario Octavium consulem optimatesque anno 87 Romae obsidente (Appian. I, 69; Liv. epit. libr. 80); postea a Mario adventante Sulla munita est; arcem enim habet oppidum editam et natura loci validam (Strabo V, 3, 12). De eo auctor de coloniis p. 230 ed. Lachm. ***Aricia oppidum, lege Sullana est munita***, ex quo non urbem, sed arcem modo a militibus occupatam esse coniicio. Fuit enim urbs ipsa exigua (Cic. in Rull. II, 35, 96) ac ***municipium*** appellatur a Cic. Phil. III, 6, 15. Ac mansisse etiam postea magistratus ex antiquitate institutos documento est insignis titulus imperatore Traiano positus apud Grut. p. 41, 7 (Orell. n. 1455), ex quo discimus summam in urbe potestatem fuisse penes ***dictatorem***, tum binos ***quaestores*** et ***aediles*** fuisse.

---

1) Appiani verba haec sunt: *ἐπένειμεν πολλὴν ἐν ταῖς πόλεσι γῆν, τὴν μὲν ἔτι οὖσαν ἀνέμητον, τὴν δὲ τὰς πόλεις ἀφαιρούμενος ἐπὶ ζημίᾳ.* Invidiose dicit Lepidus in oratione apud Sallust. Hist. I ***cum relegati*** (milites Sullani) ***in paludes et silvas contumeliam atque invidiam suam, praemia penes paucos intelligerent.*** Nonnulli fuerit ut in locis parum aut fertilibus aut salebribus collocarentur, plerosque in fecundissimam Italiae partem deductos esse constat.

Arretium in Etruria, quam imprimis a L. Sulla vexatam esse constat (Sall. Catil. c. 28) [1]. Testis huius coloniae est Cic. p. Murena 24, 49 *Etenim videbant — Catilinam circumfluentem colonorum Arretinorum et Faesulanorum exercitu, quam turbam dissimillimo ex genere distinguebant homines perculsi Sullani temporis calamitate* [2], quo loco cum genus dissimillimum hominum a Sulla spoliatorum commemoretur, dubium esse non potest, quin coloni Sullani intelligendi sint. Idemque Cic. pro Caec. 33, 47 Arretinis civitatem ademptam esse ait, quod factum esse in iis, qui agro multarentur, supra diximus. At rursus idem Cic. ad Att. I, 19, 4 *Volaterranos et Arretinos, quorum agrum Sulla publicarat neque diviserat, in sua possessione retinebam*, unde quidem nullos colonos Arretium deductos esse collegerunt [3]. Verum Cicero non hoc dicit, nullum agrum Arretii esse divisum, sed non omnem, eumque, qui non esset a Sulla divisus, se iudicasse non reddendum illum quidem, sed relinquendum in possessione veterum dominorum. Nimirum arx quaedam vel praesidium cum Arretii Marianorum fuisset (Appian. I, 91), Sulla hanc primum arcem colonis occupavit, reliquum agrum, quamvis publicatum, non divisit. In cuius agri partem aliquam cum postea Caesar milites deduxisset, orta sunt tria in uno oppido incolarum genera, quae distinguit Plin. nat. hist. III, 8, 52 appellans *veteres*, *Fidentes*, *Iulienses*, ut eam coloniam, quam Sulla Arretii constituit, Fidentiam vocatam esse discamus; nam Iulienses quin a Caesare appellati sint, non dubium est [4]. In republica administranda ab initio seiunctos fuisse puto colonos ab veteribus incolis; sed postea omnes in unum *municipium* coaluerunt; ita enim appellatur in inscriptione Arretina apud Grut. p. 372, 12 (Murat. p. 1028, 8) [5].

Bovillas prope Romam. Testis est auctor incertus de coloniis p. 231 Lachm. *Bobillae oppidum lege Sullana est circumductu*; *iter populo non debetur; agrum eius ex occupa-*

1) Atque eodem Marius ex Africa redux ascenderat (Plutarch. Mar. c. 41). Postea multa Sullanorum ibi proelia facta, ad Arretium, ad Volaterras, ad Clusium cet.

2) Cf. Sallust. Catil. 36, qui Catilinam narrat ad homines armandos et exornandos in agro Arretino versatum esse.

3) Ut Goettliugius in histor. reip. Rom. p. 462 aliter scribendum esse iudicat apud Ciceronem, quamquam probabilem coniecturam non invenit. Scio equidem *Arretinos* scribi de Ant. Augustini coniectura, sed de certissima.

4) Atque hoc discrimen etiam postea fuisse demonstrat inscriptio apud Mur. p. 1029, 1 (Orell. n. 100) . . . . . DECVRIONES. ARRETINORVM. VETER., ex qua videtur ementita altera apud Mur. p. 723, 9. Sed cave hinc colligas, plures in oppido fuisse res publicas; nam unus modo *ordo Arretinus* commemoratur (Grut. p. 1028, 2; Orell. n. 3100), uni magistratus, ut cf. Mur. p. 1094, 2 (Grut. p. 1029, 7); Grut. p. 479, 1 (Orell. n. 2182); Mur. p. 666, 3 et 669, 7 (Orell. n. 3713).

5) Neque exiguum fuisse oppidum ex Caesaris bello cognoscimus, qui quinque id cohortibus occupandum esse putabat. Vide Caes. bell. civ. I, 11.

tione milites veterani tenuerunt in sorte. Non narrantur illae quidem aut Sullae restitisse aut Marianos adiovisse, sed nihil obstat, quin partem eius agri divisam esse credamus. Nam non totum esse a militibus occupatum ostendit Cic. p. Planc. 9, 23 init. *Bovillae, Lavicum, Gabii: his e municipiis vix iam, qui carnem Latinis petant, reperiuntur*, ubi appellatur municipium, atque hoc utique propter religionem conservandum videtur fuisse. Quare cives etiam imperatorum aetate nominantur *municipes* in titulo insigni apud Fabrett. p. 456, 75 (Orell. n. 2252).

Capitulum in Hernicis (Plin. nat. hist. III, 9, 63). Commemorat auctor de coloniis p. 232: *oppidum, lege Sullana est deductum.* Alias ignotum in inscriptione modo commemoratur apud Mur. p. 2049, 4 (Orell. n. 125).

Capuam. Ipsam quidem hanc urbem maximamque partem agri, unde respublica magnum vectigal caperet, et iis, quos Mariani deduxerant, colonis liberatam esse supra p. 245 diximus et liberam colonis relictam esse testis est Cicero in Rull. II, 29 extr.; I, 7, 21. Sed mirum tamen videretur, si tantam urbem tamque frequentem regionem Sulla sine praesidio reliquisset, praesertim cum ibidem adversarii coloniam tentassent. Neque esse relictam narrat Plin. nat. hist. XIV, 8, 62 *Falernus ager a ponte Campano laeva petentibus Urbanam coloniam Sullanam, nuper Capuae attributam, incipit.* Cum igitur diu per se ipsa et tamquam peculiaris respublica constitisset colonia illa, ut opinor, non ex militibus, sed ex urbanis i. e. Roma oriundis hominibus constituta, unde nomen habuit *Urbana*, haud multo ante Plinii aetatem sublata et reipublicae Campanae addita est [1]). Sed ut pro eo agro, quem colonia collocanda aerario detraxerat, Sulla redderet alium, Calatiam publicavit, qua de re auctor de coloniis p. 232: *Calatia, oppidum, muro ducta . . . . . . coloniae Capuensi a Sulla Felice cum territorio suo adiudicatum olim ob hosticam pugnam.* Nam Capuensis colonia ibi dici videtur, quae postea fuit. Quamquam postea rursus seiuncta est Calatia a dictatore Caesare.

Castrimonium, loci incerti, nominis certi; nam Plin. III, 9, 36 in prima regione nominat *Castrimonienses* et in inscriptione apud Orell. n. 1393 sunt *Castrimoenienses.* De iis auctor de colon. p. 233: *oppidum, lege Sullana est munitum.* Fuit igitur ex eodem genere ac Capitulum.

Cortonam Etruriae. De ea testis est Dionysius Antiq. I, 26, qui non multo ante suam aetatem i. e. ante Augustum, cum ad id tempus veterem formam et antiqua instituta servasset,

---

1) Sic igitur explicanda sunt ea, quae habet auctor de coloniis p. 231 ed. Lachm. *Capua — ager eius lege Sullana fuerat assignatus*, nimirum non totus, sed pars eius, quae fuerat aliquando coloniae Urbanae. Tali ratione nonnunquam utendum esse cognovi, ut ex hoc auctore, si recte intelligatur, utilissimo, quid verum, eliciatur. Cf. autem etiam supra p. 14.

mutasse narrat et incolas et cognomen. Factam enim esse coloniam Romanam et appellari Cothorniam. Hoc ad L. Sullam, qui totam Etruriam ex sedibus suis avertisset, pertinere intellexit Sigon. de antiq. iure Ital. III, 4. Totum igitur oppidum colonis Sullanis occupatum est, quamquam nec apud Plin. III, 8, 52 nec apud Ptolem. III, 1, 48 colonia appellatur.

Faesulas in Etruria. De hac colonia testis est Cic. p. Mur. 24, 99, quem locum supra attulimus, et in Catil. III, 6, 14 *P. Furium, qui est ex iis colonis, quos Faesulas L. Sulla deduxit.* Quare Catilinae, qui imprimis Sullanorum colonorum opibus nitebatur, dux Mallius in agro Faesulano castra posuisse narratur a Cic. in Cat. II, 6, 14. Cf. Sallust. Cat. c. 24, eamque omnino belli Catilinarii sedem fuisse tradit idem Sallust. Cat. c. 27 et 30. Nusquam autem colonia appellatur, ut non totum oppidum colonis concessum esse existimem.

Florentiam in Etruria. De ea narrat Florus III, 21, 27: *Positis singulorum hominum fere poenis, municipia Italiae splendidissima sub hasta venierunt, Spoletium, Interamnium, Praeneste, Florentia,* quod ad agrum publicatum ac divisum pertinere et sponte sua apparet et Praenestinae coloniae exemplo intelligitur. Atque ipsum etiam nomen *Florentia* urbem a Romanis vel conditam esse vel coloniam factam demonstrat [1]). Quod nomen utrum iam ante Sullam in usu fuerit, an *Fluentia* tum appellata sit propter Arnum praeterfluentem, de qua re disputari solet ad Flor. l. l. et Plin. nat. hist. III. 8, 52, nec discerno nec refert magnopere in hac quaestione. Hoc video, nusquam appellari coloniam, nisi in inscriptione apud Grut. p. 489, 7 (Ger. Inscr. Etrur. Vol. I p. 28; Orell. n. 3711) ubi C. Umbricius Causo nominatur COLON. ADLECT. D. D. FLORENT. Quem ipsum locum incertum videri infra, ubi de iure coloniarum disputabitur, explicabimus.

Gabios. De iis sic auctor de coloniis p. 234: *oppidum lege Sullana munitum; ager eius militi ex occupatione censitus est.* Desertum esse oppidum sua aetate dicunt Dionys. Antiq. IV, 53 et Cic. p. Planc. 9, 23, sed Sulla tamen imposuerat praesidium quasi quoddam veteranorum, non mutata republica. Nam ab Augusto, ut videtur, restitutum atque amplificatum in nobilissimis titulis nominatur *municipium* apud Viscont. Mon. Gab. p. 15 et p. 188 et p. 206 et p. 107 [2]) (Orell. n. 775).

Interamnium ad Narem fluvium; nam hoc potissimum a Floro l. s. l. dici credo Cluverio Ital. antiq. p. 635 (hodie *Terni*). Nec tamen respublica municipii (nam hoc factum erat, postquam lege Iulia civitatem accepit) mutata est. Constantissime enim municipium

1) Ac vulgaris Florentinorum ipsorum a maioribus tradita opinio ea est, ut Sullanam coloniam fuisse arbitrentur. Vide Niebuhr. hist. Rom. I p. 143.

2) Alia inscriptio apud Grut. p. 365, 2, in qua *colonia* dici videatur, vix dubium est, quin aut falsa sit aut alio pertineat.

appellatur in inscriptionibus, velut vide Grut. p. 113, 2 (Orell. n. 689); Grut. p. 414, 3 (Donat. p. 161, 1); Grut. p. 454, 4; Mur. p. 1052, 1 (Donat. p. 338, 4).

Nolam, oppidum notissimum. De eo auctor de coloniis p. 236: *Ager eius limitibus Sullanis militi fuerat assignatus*, qui si limitibus Sullanis divisus est, certe etiam lege Sullana. Nec dissimile est veri Nolam agro multatam esse; nam et bello Marsico diutissime restitisse supra p. 243 diximus et Mariano florentissima Samnitium castra ad eam capta esse narrat Cic. de div. I, 33, 72. Memoria autem horum colonorum a L. Sulla deductorum etiam in inscriptione videmur invenire, de qua infra dicetur.

Praeneste, nobilitatum clade Marianorum et C. Marii filii ipsius, quod cum loci natura munitissimum esset, militibus suis L. Sulla occisis veteribus Praenestinis occupavit. Vide Strabon. V, 3, 11. Quare colonia appellatur a Cic. in Cat. I, 3, 8 atque de eius agro a paucis hominibus divitibus coëmpto insignis est locus Ciceronis in Rull. II, 28, 73, quem supra attulimus. Cf. etiam Flor. III, 21, 27. Quamquam nec e Plin. III, 9, 64 nec a Ptolem. III, 1, 61 colonia appellatur, fuisse tamen constat usque ad extrema tempora [1]).

Pompeios in ora Latii. Eius coloniae certissimum testimonium est apud Cic. p. Sull. c. 21, ex quo hoc intelligitur, coloniam fuisse Pompeios, cuius non modo patronus esset P. Sulla, propinquus dictatoris, sed etiam conditor, quam is sibi ad Catilinam adiuvandum putabatur adiungere voluisse. Quare non dubium est, quin Sullana colonia fuerit, urbi in bello Marsico captae et male affectae (Oros. V, 18) imposita. Nec tamen non erant in colonia etiam veteres incolae, quorum ius quale fuisse videatur, infra, ubi de iure omnium coloniarum dicetur, explicandum erit. Commemoratur autem in inscriptionibus saepissime, sed ita tamen, ut nullum in iis sit vestigium conditam esse a Sulla.

Spoletium, veterem coloniam Latinam, sed quae lege Iulia in municipium mutata erat, atque ita etiam postea in inscriptionibus appellatur [2]). Quare Sullanos colonos hic collocatos esse censeam, dictum est supra p. 253 in Florentia.

1) Nam cum *colonia colonique* commemorentur apud Grut. p. 105, 6 (Orell. n. 1831); Grut. p. 374, 2; Grut. p. 181, 1 (Orell. n. 3326; Mur. p. 470, 9); Grut. p. 440, 1 (Orell. n. 3051); Grut. p. 411, 1; Mur. p. 181, 7 (Donium p. XLI; Marin. Act. fratr. Arv. p. 62), eum, quem extremo loco dixi, titulum positum esse constat anno 243 p. Chr. Quare quod Gellius XVI, 13 narrat imperatorem Tiberium petentibus Praenestinis tribuisse, ut ex municipio in coloniam mutarentur, id intelligimus aut, quamvis liceret, non esse perfectum aut cito rursus mutatum aut denique errasse Gellium, qui impetrasse scribat.

2) Quamquam dubiae videantur esse inscriptiones. Nam apud Mur. p. 1118, 4 (ex Donio p. 200, 147) est *patronus coloniae*, sed et parum certo auctore nititur, quippe quae ex vetere modo manuscripto petita sit, et dubium, an potius *patronus collegii* intelligendus sit (scriptum enim est tantum

Suessulam in Campania. De ea auctor de coloniis p. 237: *oppidum, muro ducta; lege Sullana est deducta. Ager eius veteranis limitibus Sullanis in iugeribus est assignatus.* Nihil aliud de ea notum est, sed municipium fuisse puto 1).

Tusculum, oppidum notissimum, cui ad praesidium quasi quoddam a Sulla coloni videntur esse impositi; nam auctor de coloniis p. 238 sic habet: *oppidum muro ductum ..... ager eius mensura Sullana est assignatus.* Sed nec totum oppidum occupatum nec rempublicam mutatam esse ostendit Cic. p. Fontei. 14, 31; p. Planc. 8, 19, qui *municipium* appellat, itemque vocatur in inscriptionibus, velut apud Murat. p. 2024, 4 (Marin. Inscript. Alb. p. 24; Orell. n. 2279); Viscont. Mon. Gab. p. 41.

Venafrum, vetus municipium, cuius ab Augusto aucti infra mentio facienda erit. A Sulla etiam esse frequentatum videtur indicare liber coloniarum p. 239 ed. Lachm.: *oppidum, quinque viri deduxerunt sine colonis.* Nam Vviros a Sulla agris dividendis videri esse praepositos supra p. 249 dictum est.

Aleriam in insula Corsica, quam unam coloniam a L. Sulla extra Italiam conditam esse novimus. Commemorant Plin. nat. hist. III, 12, 80; Ptolem. III, 2, 5. L. Philippus, legatus Sullae, in bello civili Sardiniam atque, ut videtur, etiam Corsicam occupavit militesque suos in vetere urbe pridem bello Punico primo vastata collocavit (Liv. epit. libr. 86).

Atque hae quidem L. Sullae coloniae certe nominari possunt: verum ex ipsa earum ratione, quae supra a nobis exposita est, multo plures deductas esse apparet, ex quibus quas potero nominabo coniectura usus modo certiore modo minus certa. Hae igitur praeter eas quas dixi videntur a Sulla esse constitutae:

Alba in Aequis, vetus colonia Latina, vastata bello Marsico et male affecta (Liv. epit. libr. 72), quam Caesaris tempore satis magnam fuisse constat ex Caes. bell. civ. I, 24; Cic. ad Att. VIII, 12 A, 1 et IX, 6, 1. Neque ego tam opportunum oppidum a Sulla praeteriri potuisse puto 2). Sed municipium tamen fuisse iudico, quia in inscriptionibus eius nullum est coloniae vestigium. Magistratus nominantur IIIIviri apud Mur. p. 750, 8 in titulo parum certo.

Ariminum, item vetus colonia Latina, quam bello Sullano oppressam direptamque

---

COL.). Certe in alia inscriptione apud Grut. p. 1014, 1 (ibid. p. 1072, 3), ubi quod est COL. DISP. item aliquis fortasse interpretari valit de *coloniae dispensatore*, constat tamen de collegio dici. Ac certus *patronus municipii* Spoletini est apud Grut. p. 171, 1. Cf. autem auct. de colon. p. 225 ed. Lachm.

1) Nam male descripta est inscriptio, quam Orell. n. 129 habet. Cf. Orell. n. 2333 et 2306 (Marin. Act. fratr. Arv. p. 390; Donat. p. 78, 4). *Duumvir* Suessulanus reperitur apud Mur. p. 1083, 3 (Donat. p. 342, 2), sed ex ea nihil colligi potest, utrum colonia fere appellata sit an municipium.

2) De eius opportunitate vide Cic. Philipp. III, 3, 6; Strab. V, 3, 13.

esse narrat Cic. in Verr. I, 14, 36, quare ibi quoque agri publicati divisique videntur esse. Atque Appian. bell. civ. I, 91 Ariminum ait cum antea ab partibus Marianis fuisset (App. I, 87), defecisse ad Sullam cum reliqua Gallia (App. I, 92), quod sero videtur esse factum; nam colonos Sullanos in iis regionibus fuisse hinc coniicio, quod in coniuratione Catilinaria magni metus in agro Gallico fuisse narrantur (Cic. p. Sull. 19, 53; Sallust. Cat. 42), commemoranturque acerrima Sullanorum et Marianorum proelia ad Fidentiam (Plut. Sull. c. 27; Liv. epit. libr. 88; Vellei. II, 29) vel ad Placentiam (App. I, 92). Dicetur autem de hac colonia etiam infra in imperatoris Augusti actis.

Asculum Picenum, loco natura munitissimo situm, principium belli Marsici, deletum est a Q. Pompeio (Oros. V, 18; Livius epit. libr. 76; Flor. III, 18, 14; Vellei. II, 21, 1) incolaeque egentes dimissi. At idem bello Caesariano satis magnum est praesidiumque decem cohortium recipit (Caes. bell. civ. I, 15). Itaque a Sulla militibus frequentatum esse existimo, quamquam municipium appellatur a Cic. p. Sull. 8, 25 [1]).

Atella in Campania, quod etsi municipium appellatur apud Cic. epist. XIII, 7, 1 et ad Q. fratr. II, 14, 3, cur tamen Sullae colonia fuisse videatur, infra in Neapoli dicetur.

Bovianum in Samnitibus, quod bello Marsico deletum esse supra dictum est. De eo Plin. nat. hist. III, 17, 107 *colonia Bovianum vetus et alterum cognomine Undecumanorum*, ut duas oppidum colonias habuisse videatur, quarum eam, quae Undecumanorum dicitur, a Caesare conditam esse infra demonstrabimus, alteram a quo putabimus esse conditam nisi a L. Sulla, a quo constat eversa prope Samnitium gente agros esse publicatos? Ac veterem Samnitium sedem Boviani prorsus desertam esse dicit Strabo V, 4, 11. Post Caesarem autem cum ex Plinio constet fuisse coloniam, num ante fuerit, incertum est. Nam in inscriptione, quam refert Galantus (descrizione del contado di Molise 1781) I, 29 videtur aetate Caesaris iterum dictatoris dici *municipium*. Cf. etiam Guarin. comment. XII, 28, et Galant. I, 29, ubi centurio commemoratur, cui ibi ager videtur datus esse ab imperatore.

Camerium Umbriae. Huc ideo coniicio colonos Sullanos deductos esse, quia et agrum divisum esse constat militibus (auct. de colon. p. 240 ed. Lachm.) et Cic. p. Sull. 19, 53 in agro Camerte motus a Catilina excitatos esse narrat. Fuit autem postea municipium; sic enim appellatur sub Antoninis in inscriptionibus, velut apud Don. p. 229, 19 (Orell. n. 804) et Mur. p. 755, 1 (Orell. n. 2172) [2]).

---

1) Omnino autem in Piceno multos colonos Sullanos collocatos esse existimo, ideo quia in coniuratione Catilinaria ea maxime regio movebatur (Sallust. Cat. c. 27 et 30 et 42; Cic. p. Sull. 19, 53). Quamquam magna eius pars a Sullae partibus fuerat; nam Cn. Pompeius tres inde legiones conscripsit imprimisque Auximi versatus erat (Appian. I, 80; Plut. Pomp. c. 6).

2) In Umbria non multos colonos a Sulla constitutos esse puto; nam et in bello sociorum Um-

Canusium Apuliae [1]), quod et Marsico bello defecerat (Appian. I, 42) et Sullae vehementer restiterat (App. I, 84). Sed idem a Caes. bell. civ. I, 24 tamquam haud exiguum commemoratur, ut a Sulla frequentatum esse videatur; nam quod Strabo VI, 3, 9 satis magnam urbem dicit, Caesaris vel Augusti deductione fieri potuit.

Clusium Etruriae. Hoc scimus receptaculum Marianorum fuisse ex App. I, 89 et 92; Liv. epit. libr. 88; Vellei. II, 29. Quare quin eo milites praesidii causa deducti sint, non dubito, praesertim cum Plin. nat. hist. III, 8, 52 duo genera Clusinorum, veteres ac novos, discernat, nec post Sullam colonos ibi collocatos esse notum est [2]).

Compsa in agro Hirpino [3]). Huius coloniae Sullanae vestigia haec collegi. Cic. in Verr. II, 5, 61 sqq. P. Gavium quendam, Consanum municipem, quem ex hac Compsa Hirpinorum oriundum fuisse iam omnes interpretes consentiunt, narrat a C. Verre, cum Sertorianus esse insimularetur, in lautumias coniectum, tum inde profugum, quod speculandi causa a du-

---

bri voluerant magis deficere quam defecerant et in Sullano ea loca, quae ad mare Hadriaticum adiacent, cito ad Sullam defecisse narrantur (App. I, 87).

1) Omnino in Apulia colonos Sullanos fuisse documento est, quod multos ibi a Catilina sollicitatos esse scribit Sallust. Cat. c. 27 et 24. Idem de *Bruttiis* ibid. c. 42 narratur, sed magis ibi in agro publico, qui multus erat, colonos collocatos esse censeo. At in *Calabria* dubito num fuerit colonia Sullana; nam Tarenti Sulla a Graecia traiectus sacrificavit, qua in re nulla pugna commemoratur (Plut. Sull. c. 27). In *Lucania* plures fuisse puto, quam nominavi; nam *Venusia*, quae bello Marsico defecerat (App. I, 43), non videtur impune tulisse, sed florentissima erat Caesaris tempore (Appian. IV, 3). Itemque *Potentiam* colonis frequentatam esse censeo (Plin. nat. hist. III, 15, 98), quamvis municipium dicatur in inscriptione apud Murat. p. 765, 5.

2) In inscriptionibus etsi et *ordo* et *patronus* et *IIIIviri* commemorantur, nunquam tamen municipium appellatur. Quamquam fuisse arbitror. Vide Gor. Inscr. Etrusc. Vol. II p. 390 sqq.

3) In hac urbe, ut paululum digredi liceat, minuenda est opinio Madvig. de colon. pop. Rom. p. 296, qui hac eam coloniam deductam esse putat, de qua Vellei. I, 14, 7 et Liv. XXXIII, 24 narrant, quam alii ad Cosam, Etruriae urbem, pertinere statuunt. Argumento Madvig. affert primum quod Velleius Paestum et Cosam uno anno deductas scribat, quasi non idem Ariminum et Beneventum, urbes magnopere inter se distantes, item uno anno deducta esse narret. Deinde quod tum nihil apud Etruscos gestum esse ait, fallitur; nam apud Liv. epit. libr. 13 haec sunt *res prospere in Etruscos, Lucanos, Bruttios et Samnites gestae.* Cf. Otfr. Mueller. Etrusc. p. 126 et 351. At pro Cosa Etrusca est Plin. nat. hist. III, 8, 51, qui habet *Cosa Volcientium, a populo Romano deducta, Graviscae*, quo loco nulla ratione Madvig. corrigit *deductae*, ut hoc ad Graviscas referat. Debet enim Plinius postponere nominibus ea, quae de oppidis adnotat, ut postponit in Ostia III, 9, 56. Nec unquam colonias a populo deductas sine certa quadam ratione commemorat. Hic Cosam ait esse Volcientium i. e. in eorum agro, sed ne ab iisdem eius origo repetatur, addit eam esse coloniam populi Romani. Ipsum populum Volcientium postea commemorat §. 52 *Volcentini, cognomine Etrusci.*

cibus fugitivorum missus esse diceretur, in crucem esse sublatum. Quam causam qui considerabit, quin Verres certa aliqua ratione ductus eum, qui se civem Romanum ferret, tali supplicio affecerit, non dubitabit [1]). Itaque mihi ex eo municipio videtur fuisse, cui civitas a Sulla imminuta esset. Quod si statuitur, eidem agrum ademptum esse probabile fit. Ac Servilii Rulli patrem narrat Cic. in Rull. III, 8, 8 totum agrum Hirpinum (magnam eius partem tu rectius intelligas) possidere partum tempestate Sullana, et ita, ut opinor, partum, ut sortibus colonorum coëmptis fundos suos continuaret, id quod in agro Praenestino a paucis factum esse paulo supra demonstratum est. Iam Beneventum non fuisse coloniam Sullanam intelligere videor ex Cic. in Verr. I, 15, 38, ubi Verrem ait a Sulla iussum esse versari Beneventi *apud eos, quos suis partibus amicissimos esse intelligeret*, i. e. in ea urbe, quae partibus Sullae faveret, ut explicat Pseudo-Asconius p. 169 Orell. [2]). Relinquitur ut in altero praecipue Hirpinorum oppido agri publicati colonique Sullani collocati sint [3]).

Corfinium Pelignorum. Hoc bello Marsico a sociis caput novi imperii, quod condebant, delectum esse constat [4]). Postea quid eo factum sit non traditur: Diodor. Excerpt. XXXVII, 1 p. 539 ed. Bip. desertam esse ait rerumque summam Aeserniam delatam. Quis autem dubitabit, quin Romani sedem tanti belli, loco certe opportunissimo sitam, non incolumem reliquerint? At in bello Caesaris magnum est ac valido praesidio L. Domitii tenetur (Caes. bell. civ. I, 16 sqq.). Quid igitur veri similius, quam a Sulla Pelignis, qui item contra eum pugnarant, in vicos dispersis [5]), milites Corfinii esse collocatos? [6])

Cumae in Campania, quae cur a me existimetur colonia tum esse facta, infra in Neapoli explicabo. Addita postea est colonia Iulia.

Falerio sive *Faleriona* in Picene videtur *colonia* appellari in paucis inscriptionibus

1) Nec tam Cicero id urget, quod civis Romanus fuerit, quam quod, cum civem se esse clamaret, hoc nulla cognitione facta a Verre neglectum sit. Vide imprimis c. 65, 168.

2) Quamquam etiam in Beneventano agro nonnullorum privatorum possessiones proscriptas ac publicatas esse, quod Cic. l. l. narrat, quis miretur? Quod qua in urbe Italiae non accidit?

3) Quamquam ne haec quidem civitas Sullanis colonis aucta nomen aut condicionem municipii videtur mutasse. Certe cum IIIIviri saepius commemorentur, ut apud Grut. p. 223, 1 (Orell. n. 3849; G. Henzen tab. alim. Baeb. p. 92), Mur. p. 1039, 6 (Orell. n. 3854), Bullett. Inst. arch. ann. 1832 p. 208, nusquam appellatur colonia.

4) Vide Strabon. V, 4, 2; Vellei. II, 16; Flor. III, 18; Diodor. Excerpt. XXXVII, 1 p. 538 ed. Bip.

5) Sic enim vivere eos narrat Strabo V, 4, 2, duas modo urbes Pelignorum nominans, Corfinium et Sulmonem.

6) Magistratus summi commemorantur IIIIviri apud Mur. p. 665, 2. In libro coloniarum p. 228 ed. Lachm. est *agrum Corfinium* (sic enim barbare appellatur) *lege Sempronia esse assignatum.*

apud Cai. de Minicis. in Annal. Inst. arch. 1839 p. 61 et p. 44, et credo fuisse, siquidem etiam apud auct. de col. p. 227 et 256 commemoratur *ager Falerionensis* et in eo *termini Augustei*. Quid igitur statuemus? Augusti coloniam non fuisse censeo, quia Plin. nat. hist. III, 18, 111 sic non appellat, nec postea videtur esse deducta, quod Helvia Ricina prope est condita. Quare cum in bello Italico magnum ibi proelium factum sit et magna vastatio, Sullanam coloniam impositam esse coniicio, auctam fortasse postea ab Augusto. De magistratibus coloniae dictum est supra p. 177.

Forum Cornelii in Gallia Cispadana. Id Cluver. Ital. antiq. p. 290 ex martyrologiorum veterum testimoniis demonstrat opinionem fuisse conditum esse a Sulla; nec certe aut ante Ciceronem commemoratur aut res per se ipsa non est probabilis. Prope enim est Faventia, ad quam pugnatum esse referunt Appian. 1, 91; Liv. epit. libr. 88; Vellei. II, 29. Quare in agro fortasse Faventiae adempto (ipsum enim hoc oppidum constitisse intelligitur ex Strab. V, 1, 11; Plin. III, 20, 116) colonia quaedam collocata esse videatur.

Herculaneum Campaniae, quod cum a Romanis T. Didio duce captum esse eodem tempore quo Pompeios referat Vellei. II, 16, 2, Strabo tamen V, 4, 8 tamquam non exiguum commemorat, castellum (φρούριον) nominans et Sabinos, qui aliquando habitarant, expulsos esse narrans. Inde suspicio aliqua est colonos Sullanos ibi constitutos. Quamquam municipium postea fuit; sic enim appellatur in inscriptione apud Maff. Mus. Ver. p. 351, 2 (Orell. n. 3705).

Neapolis. Eam urbem Appian. 1, 89 tradit, cum a Marianis staret, nocturna proditione esse expugnatam incolasque omnes trucidatos. Quare cum et punita et hominibus frequentata esse videatur, tum Cic. in Rull. II, 31, 86 sic ait: *Nam dixi antea lege* (Servilia) *permitti, ut quae velint municipia, quas velint veteres colonias colonis suis occupent. Calenum municipium complebunt, Teanum opprimeint: Atellam, Cumas, Neapolim, Pompeios, Nuceriam suis praesidiis devincient: Puteolos vero, qui nunc in sua potestate sunt, suo iure libertateque utuntur, totos novo populo atque adventiciis copiis occupabunt.* Tria hic oppidorum genera discernuntur, unum municipiorum, in quo Cales et Teanum Sidicinum ponuntur, alterum earum coloniarum, quae alienis quasi praesidiis teneantur, tertium earum civitatum, quae liberae sint. Liberi sunt Puteoli, in quinque civitatibus, quas alienis praesidiis teneri dicit, nulla vetus colonia aut Latina aut civium; oportet igitur eas esse Sullanas, praesertim cum Sullam hoc ipsum voluisse demonstrarimus, ut praesidiis quasi civitates occuparet. Ac Pompeios coloniam Sullanam fuisse certum est; item igitur ceteras coniicio, nec moveor quod Cic. ad Att. X, 13, 1 sic dicit: *Evocavit* (Antonius) *litteris e municipiis decem primos et IVviros. Deinde cum esset nuntiatum venisse Neapolitanos et Cumanos — postridie redire iussit;* nam saepe urbes Sullanis praesidiis occupatas municipia fuisse vidimus [1]).

Nuceria Campaniae, vastata bello Marsico (Flor. III, 8, 11), quae cur colonos accepisse videatur, modo dictum est. Aucta est et constituta ab Augusto.

Norba in agro Pomptino, vetus colonia Latina, quae cum tota incendio cum incolis bello Sullano consumpta esset (Appian. 1, 94), a Plin. nat. hist. III, 9, 68 inter deletas Latii veteris urbes refertur; incolae separatim III, 9, 64 commemorantur. Quare in agrum vacuum colonos missos esse existimo.

Puteoli. Eius civitatis a Sulla frequentatae satis certum indicium colligitur ex iis, quae Plut. Sulla c. 37 narrat, dictatorem, postquam magistratu abiit, paucis diebus antequam decessit egisse: Δέκα μὲν γὰρ ἡμέραις ἔμπροσθεν τῆς τελευτῆς τοὺς ἐν Δικαιαρχίᾳ στασιάζοντας διαλλάξας, νόμον ἔγραψεν αὐτοῖς, καθ' ὃν πολιτεύσονται. Primum enim cum in otio remotus a republica viveret, cur licebat ei iure leges dare Puteolanis? Nulla potest excogitari causa, quam quod eo deduxerit coloniam; nam conditores coloniarum eo iure usos esse docet caput legis Heracleensis. Deinde quae seditio erat Puteolis? Nempe ea quae sedata est lege civitatis immutata. Itaque idem acciderat Puteolanis, quod supra Pompeianis diximus, ut cum colonis Sullanis, quos accepissent, dissiderent. Eodem postea Augustus colonos deduxit.

Ravenna. Agrum circumiacentem a Metello in bello Sullano vastatum esse scribit Appian. bell. civ. I, 89, ac Strabo V, 1, 11 eo colonos Romanos deductos esse sit, a Sulla, ut equidem censeo. Augustus novam ibi stationem classis superi maris extruxit, sed et ea statio aliquantum ab urbe aberat, nec coloniam tum esse factam Plin. III, 30, 115 multaeque inscriptiones documento sunt, in quibus municipium appellatur.

Salapia, quae cum bello Marsico a Romanis capta et incensa esset (Appian. 1, 52), a Strabon. VI, 3, 9 tamquam non exigua commemoratur. Quare a Sulla videtur colonos accepisse, pertineatque eo, quod quidam milites in agris parum salubribus collocatos esse querebantur; nam Salapina pestilentia infamis erat (Cic. in Rull. II, 27, 71) [1].

Setia et *Signia*, veteres coloniae Latinae, Sullae fortissime restiterant; nam Setiam

1) De Neapoli quidem Cic. pro Sulla, quem a societate coniurationis Catilinariae purgabat, c. 19, 53 sic dicit: *Ubi fuit Sulla? — Num in agro Camerti, Piceno, Gallico, quas oras maxime quasi morbus quidam illius furoris* (coniurationis Catilinariae) *pervaserat? Nihil vero minus. Fuit enim — Neapoli, fuit in ea parte Italiae, quae maxime ea suspicione caruit.* In quorum sententiam si altius penetres, potuisse tamen in illa quoque parte Italiae suspicionem coniurationis Catilinariae existere intelligas ac fuisse Neapoli quoque colonos Sullanos, qui fere Catilinae socii solebant esse. Ac quia dubitat, quin P. Sulla re vera coniurationi illi affinis fuerit et apud eos homines versatus sit, quos sibi coniunctos esse arbitraretur?

1) In libro coloniarum altero apud Lachm. p. 261 sic est: *Salpis, colonia, littore terminatur.* Sed num vere appellata sit colonia, quia desunt inscriptiones, decernere non audeo.

ab eo captam esse narrat Appian. I, 87 at prope Signiam ad Sacriportum ingens proelium factum esse tradit Plut. Sull. c. 28. Incolumes igitur eas urbes evasisse cum parum sit probabile, postea non invalidae sunt (Strabo V, 3, 10).

Sulmo Pelignorum. Hoc oppidum cum bello civili a Sulla deletum esset (Flor. III, 21, 28) [1], valuit tamen aliquid Caesaris tempore, et in bello Pompeiano septem cohortium praesidium recepit (Caes. bell. civ. I, 18), quare Sullanis militibus supplatum esse puto [2].

Telesia. Hanc Sullanam coloniam statuo propter Pontium Telesinum, acerrimum et infestissimum Sullae hostem, cuius patriae quis putabit esse parsum? Ac fuisse coloniam constat ex inscriptionibus insignibus apud Mur. p. 1118, 7 (Donium Cl. II, 175); Mur. p. 1119, 1 (Orell. n. 2626); Grut. p. 173, 4 (Fabrett. p. 606, 53); Marin. Papir. diplom. p. 374, ubi *patronus coloniae* est. Atque etiam hoc ex inscriptione apud Romanell. topograph. regn. Neapol. Tom. II p. 426 scimus, cognominatam esse *Herculeam*. Malo autem a Sulla conditam esse quam ab IIIviris, qui auxerunt modo.

Tuder. Capta ea urbs bello Sullano a M. Crasso (Plutarch. in eius vita c. 6), quare etsi deducta etiam ab Augusto, non neglecta tamen videtur esse a Sulla.

Volaterrae in Etruria, de quarum causa et satis supra p. 255 in Arretio explicatum est et infra dicetur.

Quadraginta iam et quinque coloniis Sullanis aut certis veterum testimoniis aut coniectura inventis, non videmur tamen explesse numerum coloniarum, quae deductae, aut civitatum, quae militibus frequentatae sint; nam si quadraginta modo conditae essent, terna milia colonorum singulae recepissent, multoque minorem numerum in plerisque collocatum esse mihi persuasum est. Parcam tamen coniecturis, in quibus vereor ne iam nunc quibusdam aliquando nimium ausus esse videar. Quamquam in iis, quae certo sciri nequeunt, etiam probabilia sequi nonnunquam videtur esse operae pretium. Diversi autem ab his colonis Sullanis sunt *possessores Sullani*, quorum duo discerno genera, unum eorum, qui proscriptorum bona auctioni publice subiecta emerant, quorum praedia et agri quoniam ex lege tenebantur, moveri non poterant, alterum eorum, qui aut agrum publicum passim possederant aut sortibus colonorum contra legem coëmendis suos fundos continuarant (vid. Cic. in Rull. II, 27 et 28). His verendum erat, ne reipublicae agri reddendi essent, atque horum causam iis quae proxime secutae sunt legibus agrariis maxima agitatam esse videbimus.

---

1) Diversum ab hoc est illud oppidum Sulmo, quod Plin. III, 4, 68 suo tempore non amplius extare ait, quare corrigendus Freinshem. ad Flor. l. l.

2) Appellatur quidem *colonia Solomentina* in libro coloniarum p. 229 ed. Lachm. Sed contra est auctoritas inscriptionis apud Mur. p. 839, 2 (ibid. p. 1115, 7; Donium Cl. V, 228; Orell. n. 3856.)

Caput septimum.

L. Sulla republica constituta non modo populares, a quibus maxime in re agraria contendi solebat, perculerat, verum etiam ipsum quasi focum actionum agrariarum extinxerat potestate tribunicia imminuta, in cuius tamquam possessione ex vetustissimis temporibus omnes leges de agro publico erant. Quare usque ad annum 70 a. Chr., quo Cn. Pompeius Magnus tribuniciam potestatem restituit, nullae nec leges agrariae latae sunt nec coloniae conditae. Paulo autem post *lex Plotia* videtur esse rogata, quae semel commemoratur apud Ciceronem ad Atticum I, 18, 6, qui Flaviam legem agrariam, de qua infra dicetur, eandem prope esse dicit, quae fuerat Plotia. Refero autem hanc legem ad eundem Plautium sive Plotium, tribunum plebis, ad quem pertinet rogatio Plotia de Lepidanis revocandis, cuius mentio fit apud Sueton. Caes. c. 5; Gellium XV, 3; Nonium s. v. necessitas [1]). Ea rogatio lata de seditione Lepidi, quae anno 77 a. Chr. fuit, a Suetonio ita cum ipsius tribuniciae potestatis restitutione coniungitur, ut paulo post accidisse videatur. Qua cum aperte Sullani peterentur, probabile est eundem tulisse eam legem, qua Sullanae imprimis possessiones, contra quas etiam in lege Flavia scriptum erat, moverentur. Sed nimia tum erat optimatium et eorum, qui a Sulla constituti erant, potentia, ut nihil ex actis eius rescindi posset. Itaque frustra haec lex lata est nec effectum ullum habuit, sed memorabilis est ad progressum actionum agrariarum significandum. In Flavia enim, quae ad eius similitudinem lata est, hoc modo accessisse puto, ut agri publice emerentur.

Maxime tamen tribunatus restitutus ad actiones agrarias P. Servilio Rullo duce incubuit eo anno quo Cicero consulatum gessit (63 a. Chr.). De hac *lege Servilia* ut hoc loco dicam, et series huius quaestionis postulat et ideo videtur esse faciendum, quia diligenti ac prudenti aestimatione orationum, quas Cicero in eam legem habuit, opus esse existimo, de quibus qui scripserunt, eos minus recte iudicasse censeo, ut non modo rei agrariae causam agi, sed totius huius temporis ingenium explicari posse putem [2]). Rempublicam igitur universam, qualis

1) Aliter Pighius in Annal. Rom. Tom. III p. 186, qui hanc legem ad A. Plautium Silvanum, trib. pleb. anni 98, et Ernestius in indic. leg. s. v., qui ad M. Plautium Silvanum, trib. pleb. anni 89, referendam esse censuerunt. Verum ne dicam illud, quod recte obiici posse videatur, vix fieri potuisse, ut quadraginta fere annorum spatio interiecto eadem lex referretur, maxima pars legis Flaviae ita comparata erat, ut ea Sullanae actiones dissolverentur. Uterque autem ille Silvanus ante Sullam tribunus plebis fuerat et Marcum quidem constat adeo stetisse pro optimatibus, in quorum favorem legem iudiciariam tulit.

2) Ut Drumannus in historia reipublicae Romanae Tom. III p. 147 sqq. et IV p. 426 multa in eam sententiam disputat, quasi tota haec tribunicia rogatio terrendorum optimatium causa de industria

tuno fuit, et legem Serviliam, quatenus ex Ciceronis orationibus cognosci potest, si diligenier examines, idem fere P. Servilio propositum fuisse invenias quod fuit Ti. et C. Gracchis aliisque tribunis plebis, qui cum inopiam esse intelligerent et libererum omnino heminum et militum, hoc imprimis agendum esse putabant, ut plebem egenam et pauperem in agris collocando Italiam frequentarent. Frustra enim huic rei L. Sulla mederi voluerat militibus suis deducendis, qui armis et bello assueti neo liberis suscipiendis prolem augebant et vitae durae ac laboriosae impatientes erant. Accedebat, quod Sulla cum optimatium et locupletum imprimis heminum ope potentiam adeptus esset, horum cupiditatem parum coërcere potuerat, qui variis artibus legem, qua sortes venire fundique continuari vetabantur, eludebant. Quare non minor fuit tunc causa actionum agrariarum quam fuerat aliquando Gracchorum tempore, cum ipsi optimates Livio tribuno plebis auctore aliquid necessitati plebis concedendum esse existimarunt. Causa igitur agendi cum similis vel prope eadem esset Servilio, ratio, qua uti potuit, alia longe esse debuit ac fuerat Gracchorum. Sulla enim cum totius Italiae faciem commutasset, plurimes homines non ex sedibus modo suis sed ex omnibus bonis evertisset, in agris ereptis alienos milites collocasset vel quos agros non diviserat, passim potentibus occupandos concessisset, ingens multitudo hominum egentium orta erat, ad omnem reipublicae ventum ac tempestatem intenta [1]. Quibus consulendum esse etsi qui prudentiores erant intelligebant, tamen nec, qui legibus Corneliis agros acceperant, quia ex iis legibus acceperant, quae sine eversione totius reipublicae mutari nequibant, moveri posse videbantur, et qui contra leges possederant, eos exturbari erat illud quidem iustum, sed ipso genere periculosum terrebantque Gracchorum exitus, qui similia ausi foede perierant. Quare si vere iudicare volemus, Servilia hac lege conciliationem quandam temptatam esse dicemus inter eos, qui ante Sullam agros Italiae habuerant et inter Sullanos homines, quae conciliatio si tum esset perfecta, nec Catilinaria ulla existere potuit coniuratio nec Caesar summam in re publica adipisci imperii. Una autem ad hanc rem haec supererat via, ut iis, qui agros suos amiserant, pecunia publice satisfierat, id quod a Servilio actum esse constat.

---

a C. Caesare excogitata sit Serviliusque nescio qua re inductus Caesaris insidiis inservierit. Itaque Ciceronem, cum contra eam pugnaret, cum simulacro contendisse ait et specie deceptum parum intellexisse, quae vera adversariorum consilia essent. A qua sententia ita equidem abhorreo, ut restituta tribunicia potestate fieri non potuisse censeam, quin talis actio agraria susciperetur.

1) Hac autem ipsa re P. Servilium in lege senatui probanda usum esse ostendit Cic. in Rull. II, 26, 70 *Et nimirum istud est, quod ab hoc tribuno plebis dictum est in senatu: urbanam plebem nimium in republica posse: exhauriendam esse: hoc enim verbo est usus, quasi de aliqua sentina ac non de optimorum civium genere loqueretur*, quae Cicero ad plebis iram excitandam in malam partem detorquet.

Ac dum omnium praeteritorum temporum memoriam mente repeto, occurrunt quae recenti tempore in Gallia gesta sunt, cum et totius reipublicae commutatio et ordinum veterum eversio et agrorum denique maxima ad novos dominos translatio facta esset. Qui rerum status ubi post plurima et cruentissima bella externa vi compositus est, iis, qui agris expulsi sua amiserant, pecunia publice satisfactum esse video. Qua in re ut est nonnulla cum iis quae Romae post Sullam gesta sunt similitudo, ita est aliquid dissimilitudinis. Quod enim in Gallia nisi aere alieno publice contracto fieri non potuit, id Romae dissolvi poterat et agro publico, qui plurimus erat in omnibus provinciis, vendito et tributis ac vectigalibus externorum populorum consumptis: atque in hac quasi restitutione veterum possessorum quia Italiae solitudo admonebat, simul hoc agebatur, ut agri liberis hominibus frequentarentur. Quod autem in Gallia vi externa expressum est ut fieret, in Romana republica quid mirum est, tum sua sponte optimates et qui a Sulla in rerum omnium potestate constituti erant, non concessisse, ut altero bello civili ad exaequandum reipublicae statum opus esset? Quare illud, quod in lege Servilia de agris dividendis erat, in perpetua tribuniciae potestatis contentione, quae iam ante Gracchos manifesto cognosci potest, positum erat, quod temptabatur de emptione agrorum, eius rei causa in singulari reipublicae condicione, quae L. Sullae victoria effecta est, videtur esse quaerenda. C. autem Caesar si quid postea ex liberalitate Servilii deminuebat, aliis causis movebatur, quas suo loco exponemus, illud certe non credo, quod quidam sibi persuadent aut Caesarem iam tum adeo potentem fuisse, ut haec regere posset, aut ceteros, qui reipublicae praeessent, tam imperitos, ut ab eo vel ad sua consilia inviti impellerentur vel stulte deciperentur.

Ut autem iam ad ipsam legem qualis fuerit accedam, primum de agris, quos Servilius dividi iusserit, dicendum videtur esse. Quo in genere nequaquam idem agebat, quod institutum a Gracchis ceteri deinceps tribuni, qui de colonis deducendis tulerunt, rogabant, ut non solum in ipsa Italia, sed etiam extra eam coloniae conderentur. Nam in sola Italia eum cives Romanos constituere velle significat haud dubie Cic. in Rull. II, 25, 66 *Cur eos* (agros) *non definis neque nominas, ut saltem deliberare plebes Romana possit, quid intersit sua, quid expediat, quantum tibi in emendis et in vendendis rebus committendum putet? Definio, inquit, Italiam,* nec in reliquis orationibus indicium est, ullam ab eo externam coloniam esse destinatam [1]). Hinc maxime apparet, verum esse, quod supra de consilio universae huius

1) Quare qui ex hac lege Servilia colligunt, omnes leges agrarias, quicquid in omnibus imperii provinciis agri publici esset, complecti consuevisse, non prorsus vere iudicant. Complectebantur sane omnes ita, ut eum agrum, de quo non peculiariter praeciperent, eodem iure esse iuberent, quo fuisset antea, non complectebantur ita, ut de singulis provinciis singula capita essent, id quod ne in hac quidem lege factum esse arbitror.

legis disputavi, qua si Servilius idem prorsus sequeretur ac superiores tribuni voluerant, extra Italiam in iis ipsis agris, quos vendebat, colonos constituere potuit. In Italia autem perpauci agri publici vere in reditibus reipublicae supererant, longe maxima pars possidebatur aut ex veteribus temporibus (neque enim totum hoc genus Gracchorum divisionibus consumptum erat) aut ex Sullano bello [1]).

Has possessiones quo iure P. Servilius esse iussit? Agit de iis Cicero prope tota oratione tertia, quam ad populum contra hanc legem habuit, hoc de iis legis caput quadragesimum fuisse dicens: *Quae post Marium et Carbonem cos.* (i. e. ann. 82, quo Sulla adversarios vicit) *agri, aedificio, lacus, stagna, loca, possessiones publice data, assignata, vendita, concessa, possessa sunt, ea omnia eo iure sint ut quae optimo iure privata sunt.* Ita apparet confirmari et assignationes Sullanas et quae singulis praemii causa donata (*concessa*) erant, et quae possidebantur; neque ii movebantur, qui contra legem colonorum sortibus coëmptis fundos suos continuarant. Quid autem est, quod lex iubebat haec esse eo iure, quo quae optimo iure privata essent? Intelligitur id ex Ciceronis oratione, quae de haruspicum responsis est, c. 7: *Multae sunt domus in hac urbe, patres conscripti, atque haud scio an paene cunctae* [2]) *iure optimo: sed tamen iure privato, iure hereditario, iure auctoritatis, iure mancipi, iure nexi: nego esse ullam domum aliam privato eodem, quo quae optima lege, publico vero omni praecipuo et humano et divino iure munitam*, unde eam rem alicuius optimo iure esse colligo, cuius ea maxime e legibus sit [3]). Sic Servilius intelligebat, cum Sullanas assignationes et possessiones optimo iure privatas esse vellet i. e. ita privatas, quasi eas vel hereditate vel emptione vel usucapione comparassent. Verum illud quod est *iure optimo*, apud ICtos habet etiam aliam significationem; praedium enim dicitur *optimo iure* esse, quod est liberum a servitutibus [4]). Atque ideo, quia haec sane parum diligenter a Servilio in lege scripta erant, Cicero tribuni voluntatem calumnians hoc eum agere ait, ut Sullanae assignationes et possessiones liberae sint nec ulli serviant. Sic enim dicit in oratione tertia 2, 9: *Optimo enim iure ea sunt profecto praedia, quae optima condicione sunt. Libera meliore*

1) Vide Cic. in Rull. II, 26; III, 3.

2) Nonnullae enim privatorum aedes in urbe erant iis locis aedificatae, quae publica populi Romani fuerant. Nam in urbe quoque ipsa agrum publicum fuisse supra dictum est p. 211. Aliter certe hanc exceptionem explicari non posse arbitror.

3) Dicit enim Cic. h. l. prope omnes domos Romae ab iis quorum sint, ita teneri, ut iure privato sollicitari nequeant i. e. iure optimo: suam domum et antequam a Clodio averteretur, optimo iure fuisse suam et postquam restituta sit, publico etiam iure omni iterum factam esse suam. Minus igitur recte hoc loco Rudorff. de lege Thoria p. 59 uti videtur.

4) Vide imprimis Rudorff. de lege Thoria p. 57 sqq.

iure sunt quam serva. Capite hoc omnia, quae serviebant, non serviunt. Soluta meliore in causa sunt quam obligata: eodem capite subsignata omnia, si modo Sullana sunt, liberantur. Immunia commodiore condicione sunt quam illa quae pensitant. Ego Tusculanis pro aqua Crabra vectigal pendam, qui mancipio fundum accepi: si a Sulla mihi datus esset, Rulli lege non penderem. Haec ut talia dici poterant ad verba legis calumnianda, ad ipsum legis consilium, nisi oratoria et si quis causae magis quam veritati serviret, transferri non poterant [1]). Quodsi Sullanae possessiones ita confirmabantur, quid arbitremur veteres illas, quas ut aequius longe erat conservari et quarum causa tot certamine optimates subierant? Quas omnes ita videntur intellexisse non posse moveri, ut Cicero nihil de iis dicendum esse putaret. Iam his possessionibus exceptis in Italia duo genere agrorum publicorum vere in reditibus reipublicae supererant, primum ager Campanus et Stellatis, qui poterat dividi civibus et arari ac coli, deinde ii agri, qui fructus illi quidem referrent, sed non apti essent ad dividendum. Ex altero hoc genere Cic. II, 14 nominat ea, de quibus vendendis M. Tullio Cn. Cornelio cos. (i. e. ann. 81 a. Chr.) propter inopiam aerarii senatusconsulta facta essent, quae qualia fuerint parum constat, tum in urbe ipsa loca publica et sacella, extra urbem montem Gaurum, salicta ad Minturnas, viam Herculaneam, silvam Scantiam (I, 1; III, 4). Quare quam pauci agri superfuerint, in quibus coloni collocari possent, apparet: Rullus quidem ipse quinque milia colonorum, si dena iugera dividerentur, Capuam deduci posse putabat (II, 28); iam tantundem numerum in agro Stellati, ubi duodena iugera dabantur, collocari potuisse sume: quantulus ille decem milium hominum numerus erat ad multitudinem civium agris carentium!

Quare cum ita essent, alia ratio reperienda erat, qua agri compararentur, neque sola reliqua erat in emptione, quae inventa primum ab Appuleio communis deinde esse coepit omnium legum agrariarum, quae apud Romanos valuerunt [2]). In hoc autem genere Rullus

---

1) Quamquam ne verba quidem ipsa legis recte videntur vituperari. Cicero enim agros Sullanos non *optimo iure* esse iubet, sed *optimo iure privatos*, quae qua ratione inter se differant, non opus est explicari. Omitto alia, quibus Cicero in oratione illa tertia Servilium in invidiam plebis adducere conatur, imprimis in singulis verbis agitandis sita, qualia fere in quavis lege reprehendi possunt. Unam hanc artem commemoro, quod Servilium, qui in Sullanorum hominum potentiam inveheretur (c. 1, 3), ipsum ait possessiones Sullanas confirmando Sullanis favere. Quod esse ita non negasset Rullus, sed necessario ita agebat, ut et Sullanis de lege adiuvanda persuaderet et omnino partes reipublicae inter se conciliaret.

2) Vide supra p. 224. Recte Cic. in Rull. II, 25, 65: *Hic ego iam illud, quod expeditissimum sit, ne disputo quidem, Quirites, non esse hanc nobis a maioribus relictam consuetudinem, ut emantur agri a privatis, quo plebes publice deducatur. Omnibus legibus agris publicis privatos esse deductos: huius-*

primum praescripserat, ut ager non emeretur, nisi a volentibus et tanti quidem, quanti inter Xviros hac lege factos et eos, quorum esset, convenisset (Vide Cic. in Rull. II, 25 extr. et 26). Quae ratio quamquam a Cicerone vehementissime reprehenditur, quod reipublicae inutilis, X viris hac lege constitutis solis grata ac quaestuosa sit, vix video, qua alia Cicero uti potuerit. Caesar enim quod postea ad moderandam venditorum cupidinem addidit, ut tanti ager emeretur, quanti proxime census esset, coërcebat ipse ea re agrum, qui dividi posset; Servilius cum hoc ageret, ut Marianos et Sullanos homines conciliaret, nullum agrum esse cupiebat, quem non comparare posset. Quare si quid in lege erat, quo reipublicae fraus fieri posset, id eius toto consilio, quod Cicero dissimulabat, satis excusabatur. Neque aut illud iure reprehendi poterat, quod Rullus non scripsisset, quos agros emi placeret (II, 24 sqq.); nam id quis possit facere, qui nisi a volentibus agrum emi nolit; aut hoc moveor, quod Cic. II, 25, 66 de inaequalitate agrorum queritur, ut multum interesse dicat, utrum coloni in Massici radices an in siccitatem Sipontinam (II, 27, 71) deducantur; nam pro bonitate agri sortes aut augebantur, aut minuebantur, ut Rullus ipse in campo Stellati binis iugeribus maiores esse iusserat sortes quam in agro Campano.

Venio ad rationem pecuniae conficiendae, qua ad agros emendos opus erat. Ea in Italia ipsa simplex erat; venire enim iubebat omnem agrum publicum populi Romani excepto agro Campano et campo Stelloti, quos dividebat. Item in Sicilia, quae populi Romani erant, vendebat i. e. urbium censoriarum agrum [1], vel plurima vendebat; nam nonnullis agris vectigal, de quo paulo post dicetur, impositum esse ager Recentoricus ostendit, quem excipit, ne vectigali oneretur [2]). Ceterorum autem agrorum extra Italiam duplicem hanc condicionem constituebat. Nam venire iubebat, *quicquid esset extra Italiam, quod publicum populi Romani factum esset L. Sulla Q. Pompeio cos.* (i. e. ann. 88 a. Chr.) *aut postea* (Cic. in Rull. I, 3 et II, 15, 38). In his imprimis Asia erat, a L. Sulla primum, deinde a Cn. Pompeio recuperata [3]).

---

eiusmodi me aliquid ab hoc horrido ac truce tribuno plebis expectasse: hanc vero emendi et vendendi quaestuosissimam ac turpissimam mercaturam alienam actione tribunicia, alienam dignitate populi Romani semper putavi. Appuleia enim lex sublata est. At idem tamen ipse Cicero postea in rogatione Flavia emptionem probavit.

1) Is enim publicus populi Romani erat. Vide C. T. Zumpt. ad Cic. in Verr. III, 6. Verba Ciceronis de his agris sunt haec: in Rull. I, 2, 4 *Vendit in Italia possessiones ex ordine omnes . . . . . Persequitur in tabulis censoriis totam Siciliam: nullum aedificium, nullos agros relinquit.* Ibid. II, 18, 48 *Perge in Siciliam. Nihil est in hac provincia, quod aut in oppidis aut in agris maiores vestri proprium vobis reliquerint, quin id venire iubeat.*

2) Vide Cic. in Rull. I, 4, 10 et II, 21, 57. Nescitur autem, ubi ager Recentoricus fuerit.

3) In hoc numero refert vel referri posse putat Cicero agros Attaleusium, Phaselitum, Olympe-

Ex reliquis, quae ante illos consules parta erant, nominetim persequebatnr, quae vendenda esse viderentur, in Macedonie Philippi et Persei regios olim agros, in Graecia agrum Corinthium, in Cyrene Apionis quondam agros, in Hispania agros prope Carthaginem novem, in Africa ipsam Carthaginem veterem (Cic. in Rull. I, 2 et II, 20). Soli in Africa excipiebantur agri, quos in ora maritima Hiempsal rex possidebat, qui cum proprio a P. Africano populo Romano adindicati essent, per C. Cottam foedere concessi erant (in Rull. I, 4, 10; II, 22, 58). Praeter hunc agrum quicunque publicus superesset, ei Servilius pergrande vectigal imponebat (in Rull. I, 4; II, 22), ut ea ratione, quatenus fieri posset, vectigalia populi Romani pro omissis agris reficerentur. Huic pecuniae sic ad agros emendos confectae addi denique iubebat Rullus, quaecunque pecunia post M. Tullium et C. Antonium cos. (i. e. eum ipsum annum, quo lex lata est) ex novis vectigalibus reciperetur (Cic. in Rull. I, 4, 13; II, 23, 62). Intelligi ea maximo vectigalia, quae ex Asia Pompeii victoriis pacata reditura essent, quivis sentiebat; nec tamen id aut Pompeio ipsi poterat esse ingratum, sua opera plebi Romanae agros partos esse videri, aut Cicero in lege Flavia eidem rei adversatus est.

In hac pecuniae confectione quae duae res a Cicerone vituperantur, difficile est penitus intelligere. Primum enim vehementer queritur (I, 3 et II, 20), quod Xviris hac lege creandis permitteretur vendere agros, quibus in locis videretur. Erat hoc quidem contra morem maiorum, sed habebat, quo et ipsi populo esset utile et externis nationibus, quarum opibus inopi plebi Romanae agri parandi erant, tolerabilius. Nam Romae si venirent agri, quos homines empturos fuisse existimemus? Publicanos opinor et equites Romanos et omnino eos, qui pecuniam suam cum magno foenore collocare vellent, quod genus hominum in reliquis rerum publicatarum auctionibus versari consuevisse notum est. Nec poterant facile alii, qui longius ab urbe aberant. At agri si in iis ipsis locis venirent ubi siti essent, nonne veri simile erat, ipsos possessores metu territos, ne patriis sedibus pellerentur, concursuros quantoque possent eos redempturos, cum in urbe paucitate ipsa emptorum fieri non posset, quin agrorum pretia minuerentur? Quare quod utile erat reipublicae cum equitibus Romanis minus placere posset, in horum invidiam ut Servilium haec criminando adduceret Cicero maxime operam dabat. Similiterque territabat ordinem senatorium. In eo enim quod sequebatur capite haec scripta

---

norum, Agerensem et Oriandicum et Gedusanum, quae anno 75 a. Chr. P. Servilius Isauricus ceperat, tum agros Bithyniae regios item anno 75 testamento Nicomedis regis populo Romano relictos, tum Mithridatis regis agros in Paphlagonia, Ponto Cappadociaque a Cn. Pompeio etiamtunc bellum gerente partos, tum Propontidem, Hellespontum, oram Lyciorum et Cilicum, Mysiam, Phrygiam, item a Pompeio expugnata. Vide Cic. in Rull. I init. et c. 2; II, 20. Ipsam adeo Aegyptum hac lege temptari auspicabatur II, 16, quae populo Romano hereditate relicta esse diceretur.

fuisse tradit (in Rull. I, 4, 12; II, 22, 59): *Quod ad quemque pervenit, pervenerit ex praeda, ex manubiis, ex auro coronario, quod neque consumptum in monumento neque in aerarium relatum sit, id ad decemviros referatur.* Haec Cicero callide interpretando efficiebat, ut magnum periculum iis, qui imperia gesserant, imminere videretur. Quod enim Servilius scripserat *pervenit*, haec addit: *Hoc capite multa sperant: in omnes imperatores heredesque eorum quaestionem suo iudicio comparant, sed maximam pecuniam se a Fausto* [1] *ablaturos arbitrantur. Quam causam suscipere iurati iudices noluerunt, hanc isti Xviri susceperunt.* Quae quidem vix fieri potest quin cavillatio appelletur. Nam si Rullus vere vellet eorum etiam, qui ante hanc legem imperia gessissent, praedam ac manubias examinari, ineptum erat annum non definire, ex quo quod pervenisset, iudicio subiiceretur; nec cum reliqua huius legis natura convenit, si Sullanos maxime homines et heredes sic petitos esse existimamus. Sed efficiebatur tamen invidiosa hac legis interpretatione, ut plurimi senatores legi adversarentur maximeque ii, qui communiter cum Sulla rem gesserant. Quamquam hoc ipso loco et multorum potentium hominum gratiam captabat Servilius et plebis opinioni Cn. Pompeium tunc laudibus efflorentis aliquid dederat; nam hunc solum nominatim excipiebat, ne oporteret apud Xviros causam quasi dicere de praeda, quam fecisset (Cic. in Rull. I, 4, 12; II, 22).

Confecta ita pecunia agroque coëmpto quaerebatur, qui homines deducerentur. Eos non esse definitos a Rullo quis miretur? [2] siquidem nec quantum agri nec in quibus regionibus parari posset, constabat; quare ea res non recte a Cicerone exagitatur. Duplex autem Servilii consilium videtur fuisse, ut et urbanam plebem, quam nimium in republica posse diceret, exhauriret et ex ceteris civibus, qui extra urbem habitarent, eos maxime in fundis collocaret, qui Sullana tempestate sua amisissent. Atque hoc quidem alterum antiquius ei fuisse coniicio. Nam interrogatus a Cicerone in senatu, quibus hominibus agrum divisurus esset, responderat, a Romilia tribu se initium esse facturum, quae cum esset rustica, sociorum olim, tunc iam civium Romanorum oppida complectebatur. Quod etsi vehementer a Cicerone vitu-

---

1) Erat enim anno 66 a. Chr. apud C. Orchivium praetorem, Ciceronis collegam, magna contentione a tribuno plebis pugnatum, ut Faustus Sulla, dictatoris filius, de pecuniis residuis, quas ex patris hereditate accepisset, causam diceret, nec tamen iudices locum ei causae constituerant. Vide Cic. pro Cluent. 34, 94. Callide autem in prima oratione in senatu habita de Fausto dicit, ut Sullanos omnes terreat, in altera ad populum nihil de eo commemorat, ne plebs laeta Sullanorum clade legem accipere velit.

2) Sic enim in lege scriptum fuisse narrat Cic. in Rull. I, 7, 20 *ut in omnia, quae vellent, oppida colonos Xviri deducerent, quos vellent.* Cf. II, 38, 75.

peratur, commendare tamen legem debebat Pompeius, cuius militibus ex ea et facile poterat et merito debebat consuli, quia illorum maxime virtute tot nova vectigalia parta erant. Iam sortes aut civibus inopibus aut militibus divisas quo iure esse iubebat lex Servilia? Num vectigal imponebatur? Parum hoc videtur esse probabile in eo tribuno plebis, qui Sullanas non modo assignationes, sed etiam possessiones et confirmarit et privatas esse iusserit [1]. Sed ne rursus fieret, ut a divitibus hominibus, qui in agris pecuniam quaestuosissime collocari intelligerent, sortes continuarentur itaque et ager desereretur et plebes inops in urbem refflueret, cautio legi addita erat eadem quae legi Corneliae, ne venire liceret sortes divisas [2]. De genere coloniarum, quae hac lege oriebantur, ex iis quae dixi facile indicari potest. Nam cum ager nec certus nec omnino emendus esset nisi a volentibus, fieri vix potuit, ut tota oppida colonis occuparentur: plurimi ita per Italiam dispergebantur, ut aut, quod pauci essent in singulis civitatibus, nihil ad rempublicam gerendam valerent, aut, si plures in unum locum coniungerentur, non peculiarem aliquam se separatam, sed communem cum ceteris incolis civitatem haberent. Sic enim fuit in lege (Cic. in Rull. I, 6, 17): *Quae in municipia quasve in colonias Xviri velint, deducant colonos, quos velint, et iis agros assignent, quibus in locis velint* [3]. Quamquam hac ipsa in re Cicero occultam aliquam vim quaeri suspicabatur, ne tota respublica a Sullanis ad Marianos transferretur. Meminerat enim Sullam eadem ratione egisse, ut per opportunissima loca distributis militibus suis totam Italiam in potestate sua contineret. Et poterat sane hoc fieri a Xviris quoque, nisi illud obstaret, quod nemo invitus expelli, nemo cogi poterat, ut venderet, eaque re multo lenior haec Servilia lex erat, quam Cornelia et Iulia fuerunt. Maximum autem remedium atque auxilium in ipsis Xviris erat, de quorum potestate nunc dicendum est, quem locum a Rullo in prima lege positum nos consulto in hanc partem disputationis nostrae extremam reservavimus.

Primum igitur tertius huius agrariae legis caput hoc fuit: *tribunus plebis, qui eam legem tulisset, crearet Xviros per tribus septendecim*, ut, quem tribus novem fecissent, is Xvir

---

1) Atque omnino post Thorium, qui vectigal agri a Gracchis divisi sustulit, non amplius videtur esse factum, ut vectigales essent sortes colonorum; nam Iulia lege cum constet non fuisse, ne in Cornelia quidem fuisse aut veri est simile aut traditur.

2) Cic. in Rull. II, 28, 78 *Ista dena iugera* (agri Campani) *continuabunt. Nam si dicent per legem id non licere, ne per Corneliam quidem licet. At videmus, ut longinqua mittamus, agrum Praenestinum a paucis possideri neque istorum pecuniis quicquam aliud deesse video, nisi eiusmodi fundos, quorum subsidio familiarum magnitudines et Cumanorum ac Puteolanorum praediorum sumptus tolerare possint.* Cf. supra in lege Cornelia p. 248 et infra in Iulia.

3) Notabile etiam, quod coloniarum et municipiorum iam nullum in agro ipso discrimen superest, quem in utrisque privatum et eiusmodi esse videmus, ut emi et posset et deberet.

esset; alterum adiungebat, ut eodem modo tota res administraretur, ut comitiis pontificis maximi ceterorumque pontificum (in Rull. II, 7). Quod cum Cicero ait ideo esse institutum, quia Servilius nec toti populo confideret et regiam aliquam potentiam quaereret, calumniatur sine dubio. Cur enim ita scriptum fuisse existimamus? Non ideo existimo, ut facilius totum negotium transigeretur (nam satis celeriter etiam per totum populum magistratus creari poterant), nec quod aliis tribubus magis Rullus confideret quam aliis. sed quod totam legem a partium studiis removere volebat. Ideo sorte omnes tribus educi iubebat, non unam modo, qua educta ceterae iure sequerentur, id quod fieri solebat in ceteris comitiis. Etenim si liberae reipublicae consilium aliquod publicum cogites, in eo fere tantum est partium studium, ut, eum suam quisque certam et ante constitutam opinionem afferat, ante prope, quam suffragia ferantur, iudicari possit, quid pluribus placiturum sit. At eodem ex consilio si sorte deligas, qui decernant, quia dissipatur illa maioris partis potentia, fit, ut et fortuose omnia permittantur et partium vis tollatur. Nec dubium est, quin quae hominum solet esse ratio, eadem fuerit tribuum, ex quibus aliae magis Mario, aliae Sullanis hominibus favebant, ut Corneliam tribum, in qua tot Cornelii a Sulla civitate donati suffragia ferrent, quis negat actiones Sullanas tuitam esse? Hoc igitur ut in ea lege, quae ad conciliandas partes ferebatur, evitaret, Servilius novum hunc morem videtur temptasse, non ut populum Romanum suffragiis privaret aut comitiorum tributorum vim frangeret [1]). Cum autem intelligeret, rite nullam esse Xvirum potestatem, quod non a populo, sed a parte modo populi facti essent, capite tertio addidit de lege curiata ferenda, ut *qui primus esset praetor factus, is legem curiatam ferret, sin is ferre non posset, qui postremus esset*, quod cave credas Ciceroni esse aut ita perversum, ut ridiculum, aut ita malitiosum, ut obscurum sit. Cum enim Xviris potestatem praetoriam daret [2]), necessario fecit, ut legem curiatam a praetore ferri iuberet; nam cum moris esset, ut magistratus a populo factos ipsa legem curiatam de imperio suo ferret, quoniam Xvirorum nulla iusta potestas erat a parte populi factorum, par erat, eum, qui iis potestate par esset, praetorem vel primum vel postremum eam legem ferre [3]). Quod autem quarto capite Servilius iubebat, etiamsi nulla lex curiata lata esset, eodem iure esse Xviros, quo qui optima lege facti essent, id cave tam

1) Nam tributis comitiis et celerarum legum agrariarum curatores creari consuevisse et hos X viros fieri voluisse Rullum intelligitur ex iis quae sunt II, 11, 27 *tributa* (comitia), *quae vestra erant, sustulit*, in quibus ipse Cicero nihil quod reprehendat, invenit.

2) In Rull. II, 13, 32: *Dat praeterea potestatem, verbo praetoriam, re vera regiam.*

3) Sic equidem explico, quod aut primus aut postremus praetor legem ferre iubebatur. Nam Xvirorum potestas cum praetoria esset, dubium tamen relinquebatur, utrum Xviri praetores dignitate ac potestate antecederent an insequerentur.

insolitum esse existimes quam esse dicit Cicero; nec dubito quin ab popularibus, ut optimatibus potestatem legum saepius impediendarum adimerent, frequenter usurpatum sit [1]). Denique quod Rullus praesentes tantum profiteri permittebat (II c. 9), id quod Cicero nulla alia lege, ne in iis quidem magistratibus, quorum certus ordo esset, praescribi dicit, fuerit illud tum nondum aut mos aut lex, sed utile tamen iam haberi coeptum esse inde colligi potest, quod paulo post cautum est, ut praesentes modo ad profitendum admitterentur [2]). Quae cum ita sint, omnia illa, quae de Xviris eligendis erant, praeter septendecim quidem tribus et praesentiam profitentium fuisse arbitror eadem in multis vel in omnibus legibus agrariis, quae inde a Gracchorum tempore latae sunt; illud certe, quod erat de iure Xvirorum, ut haberent auspicia coloniarum deducendarum causa, ut fasces (in. Rull. I c. 3), ut apparitores, ut scribas, ut librarios, ut praecones, ut finitores, ut cetera denique, quae magistratus reipublicae causa absentes ab urbe consequebantur, illa igitur eadem IIIviris lege Sempronia factis concessa fuisse ipse indicat Cicero in Rull. II, 13. Iam maxima quidem haec quam diximus potestas videri poterat et ea, quae intoleranda existere posset, praesertim cum non ut ceteri magistratus annuo spatio circumscriberetur, sed in quinquennium produceretur [3]), sed sentire tum coepit respublica Romana, non omnia annuis et parvis potestatibus administrari posse, illoque ipso tempore Cn. Pompeium, latissimo imperio in praedonum bello functum, rursus maximis rebus cum summa potestate praefecerat. Si autem ulla res, certe agrorum illa divisio et magnam et diuturnam potestatem postulabat. Ac promptum potentiae nimiae remedium in ipso Xvirorum numero erat, quem non sine causa denarium factum esse censeo. Quamquam enim singuli iudicabant, quis ager esset publicus, quis privatus, quis vendendus, quis emendus [4]), plus tamen valebat par potestas, ut unus si minus iuste iudicasse videretur, collegarum intercessione coërceretur.

---

1) Ac quamquam Cic. in Rull. II, 12, 30 saepius dicit consulibus legem curiatam ferentibus a tribunis plebis intercessum esse, idem tamen Cic. epist. I, 9 sub fin. dicit *legem curiatam consuli ferri opus esse, necesse non esse*, ut nonnunquam legem curiatam negligi potuisse appareat.

2) Vide W. A. Beckeri compendium antiq. Rom. II, 2, 50. Si autem vera id agebat Servilius, ut hoc loco Pompeium in Asia tunc bella gerentem excluderet, quid reprehensione dignum est? qui si admitteretur, verendum erat, ne suis militibus prospiceret, ceteros cives negligeret.

3) Omnino autem omnium curatorum, qui agris dandis assignandis fierent, nunquam video fuisse annuam potestatem, sed aliis terminis circumscriptam. Ita ex IIIviris Semproniis cum Ti. Gracchus occisus esset, Appius autem Claudius, socer eius, mortuus, subrogati sunt duo, Fulvius Flaccus et Papirius Carbo; C. Gracchus, qui ab initio factus erat, mansit (App. bell. civ. I, 18). Ille autem Fulvius Flaccus idem et consul erat et IIIvir.

4) Cic. in Rull. II, 13, 34 *singuli de rebus maximis iudicent*. Cf. supra p. 232.

Iam omissis reliquis, quae a Cicerone contra hanc legem disseruntur, de quibus secundum ea, quae disputata sunt, recte iudicari poterit, restat, ut de exitu huius legis pauca addamus. Quam etsi cum Rullo alii nonnulli tribuni rogabant [1], ab optimatibus tamen stabat L. Caecilius tribunus plebis [2], paratus ad intercedendum, si ferretur, aderatque imprimis M. Tullius Cicero propugnator, qui cum senatui et optimatibus probari se cuperet, summa vi contendebat, ne se consule tribuniciae potentiae conatus repeterentur [3]. Quare Servilius cum certamen difficillimum instare sibi intelligeret, spe legis, quam pro concordia civitatis componendaque republica susceperat, abiecta temporibus calamitosissimis exitioque prope imperii Romani permisit, quod si per hominum cupiditates tunc fieri potuisset, et Italiam honestissimo aratorum genere frequentasset et publica turbarum ac seditionum semina sustulisset.

Libri secundi

Caput primum.

Tanta facta erat conversio universae reipublicae, ut per triennium actiones agrariae quiescerent neque post id ipsum tempus essent motae, nisi alia quaedam quasi externa causa accessisset, qua factum est ut tota natura huius legis diversa existeret a superiore. Nam si Serviliam legem conferri placet cum Livia, quae fuit superiore aetate, id quod potest recte quodammodo fieri, hanc Flaviam non minus recte compareveris Appuleiae, non quo L. Flavii similia fuerint studia reipublicae perturbandae ac Saturnini, sed quod utraque militaris potius erat origine quam popularis. Redierat enim tunc Cn. Pompeius ex Asia cum maximo exercitu, cuius non ea erat ratio quae veteribus temporibus, ut milites bellis compositis ad penates suos reversi agrum colerent, sed homines erant fortes et in armis exercitati, ac, quod diu vel in hostium vel in sociorum terris tamquam domini versati erant, prodigi sui, cupidi alieni, nullis domorum et sedium avitarum vinculis cum republica coniuncti, sed si bello parta consumpsissent, inopes, eo magis timendi, quod cum vi se omnibus superiores esse intelligerent,

1) Cicero enim cum saepe plures tribunos appellet, tum II, 9, 22 *ascriptores legis* commemorat, a quibus hoc tantum Rullo concessum esse dicit, ut nomen eius in indice poneretur, exequendae legis communionem illis quoque reservari.

2) Vide Cic. p. Sulla c. 23.

3) Quare Cicero magnopere gloriari solebat, sua opera factum esse, ut lex Servilia a cervicibus reipublicae depelleretur. Vide in Pison. c. 2 init. et Plutarch. in vit. Cic. c. 12.

inferiores legibus esse nolebant. Haec erat necessitas huius legis, quam ut Cn. Pompeius libenter susciperet, faciebat quod suam quoque potentiam augeri videbat militibus sua opera commode in agris collocatis.

Tulit igitur hanc legem L. Flavius, tribunus plebis, initio anni 60 a. Chr.; Cicero enim ad Att. I, 18, 6 a. d. XI Kal. Febr. vel IX Kal. Febr. vel Kal. Febr. (nam de lectione eius loci ambigitur) eam promulgatam esse scribit. Erat ille Flavius familiaris Pompeii et Caesaris nec ab Cicerone alienus [1]), idem, qui anno 58 praetor Tigranem filium, quem Pompeius in triumpho duxerat, in custodia habuit, doloque Clodii, tum tribuni pleb., sibi ereptum gravibus inimicitiis ultus est [2]). Moverat eum ad legem ferendam Cn. Pompeius, qui cum medio fere mense Ianuario ann. 61 Romam ex Asia advenisset [3]), duo maxima habebat proposita, primum, ut acta sua rata haberentur, deinde ut militibus suis agri assignarentur. Quorum alterum cum per optimatium contentiones, Lucullorum imprimis et Catonis et Metelli consulis, non assecutus esset, militibus suis certe ut consuleret, per Flavium agere coepit [4]). Sed cum difficile esset, populo de agro militibus solis dividendo persuadere, adiectum est, ut etiam plebi urbanae sortes agrorum darentur. Eius legis quod caput fuerit, colligendum est ex iis, quae de ea Cicero ad Att. I, 19, 4 a se dicta esse narrat. Etenim cum senatus, et quia omnem largitionem agrariam improbabat, et quia recens Sullae exemplum, quam periculosi essent milites ab imperatore in coloniis collocati, admonebat [5]), adversaretur, Cicero gratificans et Pompeio, cui tum erat amicissimus, et equitibus maxime ceterisque, mediam quandam viam ingressus ita dixit, ut et agrariorum commoda tueretur et Pompeii tamen militibus consuleret. Haec igitur Cicero *secunda contionis voluntate* se proposuisse ait: primum, ut *liberaret agrum eum, qui P. Mucio L. Calpurnio consulibus publicus fuisset*, i. e. cum agrum, qui illis cos. (anno 133), quo Ti. Gracchus tribunus plebis fuit, in possessione privatorum fuerat [6]), eximeret

1) Vide Cic. ad Quint. fratr. I, 2, 3, 10.

2) Vide Dion. Cass. XXXVIII, 30 et Ascon. in Cic. p. Mil. p. 47 Orell. Idem videtur esse Flavius, de quo Cic. ad Att. X, 1, 2 rumorem esse scribit, legionem ei datam esse a Caesare et Siciliam, pro quo postea missus est C. Curio.

3) Cic. ad Att. I, 13, 4, quae epistola scripta est a. d. VI Kal. Febr., primum de eius adventu loquitur.

4) Vide imprimis Dion. Cass. XXXVII, 49—50, diligenter haec narrantem.

5) Quare Cic. in illa epistola §. 4 *huic toti rationi agrariae senatus adversabatur, suspicans Pompeio novam quandam potentiam quaeri.*

6) Nam altera eius pars, quam aut assignaverant IIIviri Sempronii aut intra licitum modum possidebant privati, Thoria lege in privatum mutata erat, ut ea nulla amplius lege in disceptationem vocari posset.

de lege, ut de eo omnino non amplius ageretur, sed ita maneret, uti possideretur. Ultra hos enim cos. progredi non solebant huius temporis leges agrariae nec poterant, post nos autem aut nihil omnino agri publici ascitum erat, aut, si quid erat ascitum Sullanis temporibus, id praeter paucos, qui infra dicentur, erat divisum [1]. Quid igitur scriptum erat in lege Flavia? Nihil omnino, opinor, de consulibus, a quibus divisio repetenda esset, sed redibatur fere ad Semproniam, ut, qui ager publicus populi Romani esset, divideretur [2]. Ita non assignationes illae quidem aut Sempronia aut Sullana aut alia lege factae in divisionem vocabantur (nam eas nemo optimatium attigit), sed omnes omnino *possessiones* i. e. ii agri, qui contra leges a privatis occupati erant, quas possessiones proprie vocari constat. Sullanae autem possessiones recte commemorantur propterea quod praeter ea, quae vere a L. Sulla erant donata et divisa, multa impudentissime ab eius amicis occupata erant [3]. Item Volaterrani et Arretini recte dicuntur agrum suum *possidere*, quippe qui publicatus esset, et ex quo vectigal, ut censeo, penderetur [4]. De his autem possessoribus et possessionibus dicere Ciceronem apparet ex eo, quod oratione sua confectum esse dicit: *ego magna cum agrariorum gratia confirmabam omnium privatorum possessiones; is enim est noster exercitus, hominum, ut tute scis, locupletium* [5]. Locupletibus certe hominibus agri non assignantur, sed eo quidem, quod

---

1) Hoc etiamsi non constaret ex historia, apparet ex hoc ipso Ciceronis loco, qui quidem, cum agrum, qui P. Mucio et L. Calpurnio cos. publicus fuisset, cum Sullanas possessiones, cum Volaterranos et Arretinos de lege exemisset, §. 5 addit, se *omnium privatorum* possessiones confirmasse.

2) Cicero in depellenda lege discernit ille quidem tria agri, qui possideretur, genera, quo facilius nullum dividendum esse persuaderet. Nam eum agrum, qui ante annum 133 publicus fuisset, non posse eripi, propterea quod tam diu possessus esset; Sullanas possessiones e republica esse retineri; Volaterranos et Arretinos satis cum aliis rebus a L. Sulla esse vexatos tum imposito vectigali, ut eripi iis agrum prorsus iniquum esset. Flavius vero stultus certe fuisset, si nominato unoquoque genere invidiam sibi conflasset. Drumann. in hist. Rom. IV p. 491 quod in lege Flavia fuisse existimat, ut, qui ager P. Mucio L. Calpurnio cos. publicus fuisset et post id tempus venisset, redimeretur civibusque divideretur, non probo; nam nec hoc *liberare agrum* dicitur et exigua pars videtur publica venisse, de quo in Thoria modo lege scriptum fuisse invenio.

3) Testatur Cic. de leg. agr. III, 3, 12: *sunt enim multi agri lege Cornelia publicati nec cuiquam assignati neque venditi, qui a paucis hominibus impudentissime possidentur*, et saepius in iis orationibus. Vide supra p. 261.

4) De Volaterranis vide Cic. Ep. XIII, 4; p. Caec. 7, 18; p. domo 30, 79; Liv. Epit. 89; de Arretinis Cic. p. Caec. 33, 97.

5) Equites a Cicerone significari non obscurum est, quod et *suum exercitum* dicit, ut saepissime se equestris ordinis consensu niti gloriatur, et quod cum irrisione quadam ipsum ait Atticum, hominem equestris dignitatis, scire possessores illos esse locupletes.

agros publicos possident, locupletes fiunt. Quas omnes possessiones Cicero ut confirmaret, primum, ut dixi, P. Mucium L. Calpurnium cos. praescribebat, deinde *Sullanos homines*, denique *Volaterranos* et *Arretinos* in possessionibus suis retinebat [1]). Alterum caput legis Flaviae hoc erat, ut *ager adventicia pecunia emeretur, quae ex novis vectigalibus per quinquennium reciperetur.* Adventiciam autem pecuniam dicit eam, quae ex vectigalibus a Cn. Pompeio in Asia constitutis redibat. Temperatum igitur est in hac lege, quod maius fuerat in rogatione Servilii, qui omnes agros, quo videretur Xviris, venire iusserat atque et ea pecunia et ex manubiis omnium imperatorum et ex his ipsis novis vectigalibus coëmi agros, qui plebi dividerentur. Nec eam unam rationem ex tota hac lege Cicero reiiciebat. Pompeius autem ideo de novis illis vectigalibus in lege Flavia scribendum curaverat, ut milites suo beneficio agros accepisse viderentur eoque promptiores essent ad se tutandum.

Superest, ut, quomodo lex Flavia non perlata sit, addatur. Cum enim Flavius legem primum promulgasset, deinde populo proposuisset, Cicero *secunda*, ut ait, *contionis voluntate* ita pro ea dixit, ut et Pompeio satisfaceret, et possessorum commodis non noceret. Sed adversabantur, ut supra dictum est, optimates rati Pompeio per militum colonias novam quandam potentiam quaeri. Quae dum magna utrimque contentione aguntur, affertur de bello Gallico metusque iniicitur, ne Helvetii Gallias ingrediantur ingensque bellum moveant. Ea re refrigerata lex agraria post tamen repetita est. Atque ibi Metellus consul summa vi omni conatui obstitit, dum tribunus iratus consulem in carcerem duxit, ubi eum ille senatum habere coepisset et, sellam opponente Flavio, ne introire patres possent, parietem aperiri iussisset [2]), pudore motus, simul metuens, ne plebs rei indignitate commoveretur, Pompeius desistere iussit tribunum dimittique consulem, parum fidem faciens hominibus, id eum a se petisse; siquidem is antea auxilium sibi ferri a ceteris tribunis noluerat. Nec postea motus est Metellus, ut cederet, eum Flavius se non passurum esse profiteretur, ut in provinciam, quae sorte ei evenerat, exiret, nisi legem perferri permisisset. Pompeius vero, quamquam invideri sibi qua-

1) Ad eandem hanc legem Flaviam refero, quod Cic. Ep. XIII, 4, 2 ait: *cum tribuni pl. legem iniquissimam de eorum* (i. e. Volaterranorum) *agris promulgavissent, facile senatui populoque Romano persuasi, ut eos cives, quibus fortuna pepercisset, salvos esse vellent.* Minus enim recte Manutius tribunos pl. dicit Rullum eiusque collegas, cuius lege nullos homines ex suis possessionibus motos esse supra p. 265 dictum est.

2) Vide Dion. Cass. XXXVII, 50; Cic. ad Att. II, 1, 8, quo loco quod addit *Quid ergo? istos, inquies, mercede conductos habebimus? Quid faciemus, si aliter non possumus? an libertinis etiam et servis serviemus?* satis ostendit, multa etiam ab optimatibus per vim esse acta operisque conductis. Atque in iis, qui praecipue legi restiterint, imprimis M. Cato et L. Lucullus nominantur a Plut. Cat. 31, Luculli. 42.

rebatur eamque rem se ad populum delaturum esse, quievit, ut tota res mense Iunio transacta esse videatur [1]).

Caput alterum.

Iam vero Pompeius cum optimatium insidiis fieri videret, ut nec acta sua rata haberentur nec milites sui, quod effecturum se promiserat, agros acciperent, in amicitiam C. Caesaris incubuit. Qui cum mense Iunio [2]) ex Hispania Romam advenisset, adiuncto M. Crasso, ita pepigerunt, ut Caesar consul factus Pompeio ea, quae frustra antea voluerat, efficeret. Haec igitur externa, ut ita dicam, causa Caesari erat legis agrariae; altera intima, quam ex tota eius vita cognoscas, erat populi demerendi potentiaeque suae quaerendae, quam omnes, qui leges agrarias pertulissent ac colonias deduxissent, assecutos esse intelligebat.

Quam legem agrariam Caesar antequam ferre institueret, consul etiamtunc designatus, agere coepit cum viris principibus, ut eos auctores eius nancisceretur. Cicero quidem ad Att. II, 3, quae epistola scripta est extremo mense Dec. ann. 60 [3]), ad se adisse narrat C. Cornelium Balbum, Caesaris familiarem, sibique narrasse, non dubitare illum, quin ipse legem suam esset adiuturus; illum omnibus in rebus et Pompeii usurum consiliis et, si fieri posset, M. Crassi. Id autem Caesar eo magis sperabat, quia in Flavia lege Cicero non modo non contra dixerat, sed adiuverat adeo Pompeium, idemque, si constare sibi vellet, in Iulia facere debebat, de qua, cum Caesar consulatum inisset, continuo agi coeptum est. Ea autem lex Iulia agraria haec fuit.

Primum confirmavit omnium privatorum possessiones. Id quamquam a nullo harum rerum auctore traditur, certo tamen videtur inde colligi posse, quod Caesar ita dicitur legem suam composuisse, ut nihil in ea a quoquam posset reprehendi [4]). Nec certe multorum reprehensionem effugisset, si quicquam ex iis movisset. Non dicam de senatoribus multis, nec de iis, qui lege Sullana in agros deducti erant, quorum multi multa possederant, at certe equites, homines locupletes atque imprimis agrorum publicorum possessores (vide sup. p. 275,) vereri debuit, quibus paulo ante tempestate Catilinaria optimatium opes sublevatas esse norat. Atque eosdem paulo

---

1) Cic. ad Att. II, 1, 6: *Quod de agraria lege quaeris, sane iam videtur refrixisse.* Scripta est ea epistola mense Iunio ann. 60.

2) Cic. ad Att. II, 1, 9 biduo affore Caesarem dicit, mense Iunio, ut supra dictum est.

3) Hoc argumento est, quod §. 3 ait *venio nunc ad mensem Ianuarium*, et quod extrema epistola Atticum invitat ad pridie Compitalia, quae Ciceronis tempore constat circa Kal. Ian. celebrata esse. Vide Cic. in Pison. 4 et ad Att. VII, 7, 2.

4) Vide Dion. Cass. XXXVIII init. Τοῦ *μὲν δὴ οὖν νόμου ἕνεκα οὐδεὶς αὐτῷ οὐδὲν ἐπικαλέσαι ἐδύνατο.*

post pecuniarum remissione sibi conciliavit. Ipsam etiam contionem, auctore Cicerone, in lege Flavia ad tutandos possessores consensisse meminerat. Tum rei natura ferebat, ut nollet de possessionibus agri publici pugnare. Quarum cum tria essent genera, quae supra commemorata sunt, vetustissimos illos possessores, qui ante ann. 133 occuparant, moveri iniquum erat, Arretinos et Volaterranos crudele ac parum ad eius mores accommodatum, qui C. Marii memoria renovanda gratiam plebis quaereret, de quibus traditur adeo, eos lege Iulia in suorum agrorum possessione esse retentos [1]. Sullanos denique possessores, quamvis et cuperet agris occupatis depellere et recte id faceret, prudentia tamen admonebat, ne homines longe tum omnium in republica potentissimos offenderet. Hac igitur in re Caesar Ciceronis plane auctoritatem secutus cavebat, ne propter suarum possessionum damnum locupletiores homines legi adversarentur. Alterum autem caput hoc erat, ut, qui superesset ager publicus in Italia (supererat autem multum, ut intelligitur ex Ciceronis orationibus de lege Servilia) plebi divideretur [2]. Excipiebat tamen agrum Campanum atque, ut arbitror, etiam campum Stellatem, quos propter praestantiam vectigalibus reipublicae relinquendos esse censebat [3]. Hac igitur in ratione idem prorsus Caesar iubebat, quod L. Flavius, qui item huic agro publico videtur pepercisse. Tertium caput hoc erat, ut ager emeretur, non tanto, quanto vellent agrorum divisores, quod fuerat aliquando reprehensum in lege Servilia, sed quanti aestimatus esset in proximo censu, nec ab invitis, sed a volentibus, quod iam Servilius praescripserat. Pecuniae autem superesse dicebat magnam vim et ex novis reditibus, quos Pompeius in Asia parasset, et ex iis, qui antea fuissent [4]. Quod quidem sic intelligendum esse existimo, ut, quantum quotannis ex illis reditibus superesset, tantum quotannis ad agros emendos consumeretur. In Servilia quidem lege praeterea hoc adiectum fuerat [5], ut, quicquid ex praeda imperatorum,

---

1) Cic. Ep. XIII, 4, 2 *hanc actionem meam C. Caesar primo suo consulatu lege in agraria comprobavit agrumque Volaterranum et oppidum omni periculo in perpetuum liberavit.* Vide supra p. 275.

2) Sic tradunt omnes de hac re auctores, imprimis Dio XXXVIII init.; milites lex civium nomine complectebatur.

3) Eum cur tunc quidem nondum divisum esse existimem, infra demonstrabitur. Stellatem autem campum hic adieci, quia Dio Cassius cum in hac lege Campanum agrum solum exceptum esse narret, postea (XXXVIII, 7) item eum solum divisum esse ait, cum tunc quidem etiam Stellatem divisum esse constet. Nam solebat omnino ager Campanus et campus Stellatis in eodem numero haberi.

4) Dio Cass. XXXVIII, 1 *Χρήματά τε γὰρ πολλὰ ἀπό τε τῆς λείας, ἣν ὁ Πομπήϊος εἰλήφει καὶ ἀπὸ τῶν φόρων τῶν τε τελῶν τῶν προκαταστάντων περιεῖναι σφίσιν ἔλεγε.* In quibus quod Dio dicit *ἀπὸ τῆς λείας*, ne ad eam praedam, quae proprie dicitur, et ad aurum coronarium referatur, quorum iudicium imperatoribus relinqui solebat, facit, quod opponit *φόρους καὶ τέλη προκαταστάντα.*

5) Cic. de leg. agr. II, 22, 59 *in posterum vero lex haec imperatoribus vestris constituitur, ut*

ex manubiis, ex auro coronario receptum esset, ad Xviros defarretur, quod Caesar, ne molastus esset imperatoribus, omisit. Hoc quoque in capite vides omnia vitata esse, quae invidiam movere possent; nam emptio quidem agrorum probata fuerat a magna parte optimatium in lege Flavia ac ne ii nimis magno emerentur, diligenter Caesar caverat. Simul autem praeclaram sibi munivit viam, suorum aliquando militum agris donandorum; nam si, quod tum iam cogitabat animo, Gallias vicisset et aerarium locupletassot, sibi quoque potestatem agrorum emendorum fore videbat. Atque erat ea omnino aptissima via, non tunc modo, sed in perpetuum utilis, qua militibus emeritis consuli possat, si quod eorum virtute partum esset nec opus esset ad rempublicam, id ad eorum commoda conferretur.

Quartum erat caput de divisoribus agrorum [1]). Quos primum ille, ne dominatio quaedam oriri posse videretur, viginti constituit, deinde ne quis indignos eligi putaret, non reos aliquos aut criminibus obnoxios [2]), sed integerrimum quemque et maxime idoneum. Se ipsum autem ex XXvirorum numero exemit, ne quid sui lucri causa facere videretur (Dio Cass. XXVIII, 1), aliter atque Rullus, qui se inter Xviros, quos constituebat, esse voluerat [3]). Quo annorum spatio XXvirorum potestas circumscripta [4]), aut qualis omnino constituta sit, nusquam traditur; nec tamen eam minorem fuissa existimo, quam Xvirorum, quos Rullus creari iusserat; ac ne poterat quidem minor esse cum multis multorum insidiis resistendum esset. In ipsa tamen ratione, qua eligendi essent, imminutum aliquid opinor ex diligentia illa, qua Servilius caverat, ne, perlata sua lege, quicquam potestatis Xviris suis detraheretur. Cognitionem

quicunque de provincia decesserit, apud eosdem Xviros, quantum habeat praedae, manubiarum, auri coronarii, profiteatur. In hac autem lege Iulia non de uno tantum anno praeceptum fuisse maxime intelligi potest ex iis, quae de agro Campano per plures annos diviso infra dicentur.

1) Quod quidem non sic dico, ut ipsius legis ordine hoc quartum caput fuisse existimem. Si quid ex legis Serviliae similitudine colligere licet, inter prima capita de XXviris constitutum erat. Vide Cic. de leg. agrar. II, 10.

2) Hos ipsis legis verbis exceptos esse puto, non modo narrari ab auctoribus nullos tales esse factos; nam in Servilia quidem lege queritur Cicero de leg. agr. II, 9, 24 illos non excipi.

3) Cic. de leg. agr. II, 8. Atque erant veteres quaedam leges tribuniciae, Licinia una, altera Aebutia, quae non modo eum, qui tulerit, de aliqua curatione ac potestate, sed etiam collegas eius, cognatos, affines excipit, ne iis ea potestas curatiove mandetur. Vide Cic. l. l. §. 21. Quare Cicero magnopere in P. Servilium, qui aliter statuerat, invehitur. Quamquam sine causa; nam non modo in Sempronia lege, sed etiam fere in omnibus vetustioribus, quibus coloniae deducebantur, fieri solebat, ut is, qui tulisset, princeps crearetur ad eas curandas.

4) Id enim fieri consuevisse in legibus agrariis supra expositum est de lege Servilia p. 272. Non autem fuisse annuum magistratum inde potest perspici, quod Caesar cum Ciceronem cuperet esse inter XXviros, invitavit eum in Cosconii demortui locum, non rogavit, ut proximo anno peterat.

vero de agro publico, qui esset dividendus, non videtur potuisse fieri, ut aliter ac Servilia lege constituebatur, XXviris ademptam traderet consulibus aut praetoribus, qui olim ex aliis legibus agrariis eam habuerent. Nam quod mortuo Caesare M. Brutus C. Cassius praetores narrantur edicto, quod praetores essent, colonis Iuliis permisisse ut venderent sortes, quod ipsa lege cautum erat ne fieret, et XXvirorum potestas erat tum sublata et aliud est ipsam legem mutare aliqua ex parte, aliud ex lege iudicare. Ac poterant praetores ex potestate sua edicere, facturos se, ut tales sortes venditae rite pro agris privatis haberentur [1].

Quintum denique caput [2], quod de condicione agri assignandi est, imprimis est memorabile. Etenim Appianus bell. civ. III, 2 extr., cum res post Caesaris necem gestas narrat, de M. Bruto et C. Cassio sic ait: *διαγράμμασιν, οἷα στρατηγοί, τοὺς κληρούχους ἐθεράπευον, ὅσοις τε ἄλλοις ἐπενόουν καὶ τὰ κληρουχήματα συγχωροῦντες αὐτοῖς πιπράσκειν, τοῦ νόμου κωλύοντος ἐντὸς εἴκοσιν ἐτῶν ἀποδιδόσθαι.* Interfectores igitur illi Caesaris, ut milites demererentur, praeter alia quaedam, quae nobis non nota sunt, hoc imprimis iis concesserunt, ut agri portionem acceptam vendere liceret; nam hoc intra vigesimum annum lege vetabatur. Quam illam legem esse existimabimus? Certe Iuliam hanc ipsam, de qua hoc loco agendum est. Nam nec alia interim lata est, et hanc etiam dictatore Caesare valuisse infra ostendetur. Itaque haec lex Iulia colonos vetabat agrum intra annum vigesimum vendere. Ita Caesar plus largiebatur, quam superiorum legum agrariarum auctores [3], qui omnino unquam venire sortes ac fieri privates noluerant, in quo vide tamen, quam et plebi commodis prospexerit et optimates offendere noluerit. Nam dum vigesimum annum praescribit, effecit, ut magna pars agri assignati ad publicum rediret. Finge enim milites emeritos esse anno aetatis quadragesimo: eorum certe longe maxima pars

---

1) Nec, quod Cicero Philipp. V, 19, 35 narrat ann. 44 a senatu consulibus esse mandatum, ut de agro publico cognoscerent, debet argumento esse videri, hoc tempore eandem cognitionem fuisse consulum. Sublata enim tum erat XXvirorum potestas delataque ad unum Caesarem, quo occiso necessario alii arbitri agri publici erant instituendi.

2) Posuit in lege Iulia non addito, ut solet, auctore Goesius in script. rei agrar. p. 351, quod ex Callistrati lib. 5 de cognitionibus affertur in Dig. XLVII, 21 (de termino moto), 3: *Lege agraria, quam C. Caesar tulit adversus eos, qui terminos statutos extra suum gradum finesve moverint dolo malo, pecuniaria poena constituta est: nam in terminos singulos, quos eiecerint locove moverint, quinquaginta aureos in publico dari iubet et eius actionem, petitionem ei, qui volet, esse iubet.* Eum plurimi secuti sunt, dum nuper Rudorffius in lege Mamilia de coloniis (in annalibus iurisprudentiae historicae IX p. 379 sqq.) eam legem, quam Callistratus C. Caesaris nominat, ad Caligulam potius quam ad Divum Iulium referendam docuit. Cui cum non omnia credam, tantum tribui, ut hic legi Iuliae illud caput non adderem, praesertim cum ad ipsius legis naturam cognoscendam non multum conferat.

3) Vide de proxima superiore, Servilia, supra p. 270.

intra viginti annos fato consumetur, ut is ager, quem possederant, rursus publicus fiat. Neque enim solebant milites matrimonia iusta contrahere, ut sortes eorum ad filios pervenirent. Unum superest, de quo cum nihil traditum sit a scriptoribus, coniectura videndum est, num quid colligi possit. Quaeritur enim, num quid de eo agro publico, qui extra Italiam erat, lege Iulia praeceptum fuerit. Equidem non arbitror. Duplici de causa de agro publico extra Italiam in lege agraria scribi poterat, aut ut divideretur aut ut veniret ad agros in Italia emendos, et haec quidem causa fuerat, cur in Thoria et Servilia legibus de eo constitueretur. Aliter C. Caesar, qui ex adventicia modo pecunia, i. e. novis vectigalibus Pompeii opera partis, eam quae superesset, in agris Italicis emendis consumi voluit [1]. Dividi autem iussisse Caesarem in consulatu quidem suo primo agros provinciales nullum est vestigium, nec tamen id aut propter rei ipsius gravitatem taceri aut propter easdem rationes, quas Cicero contra rogationem Servilium affert, non magnopere reprehendi poterat ab optimatibus, quorum vituperationem evitare volebat Caesar. Quamquam haec non ita dico, ut existimem nihil prorsus de agro publico extra Italiam commemoratum esse in lege Iulia agraria, sed poterant nonnulla in eius administratione rectius constitui; de eius aut venditione aut divisione nihil mihi certum est tum quidem latum esse.

Atque haec quidem sunt, quae de lege Iulia agraria traduntur praeter exsecrationem in fine additam, de qua postea dicam [2]). Quae satis certe, quid Caesar voluerit, ostendunt. Etenim plebis commodis augendis ita suas opes augere volebat, ut optimates, si posset, non offenderet. Parva enim tunc eius potentia erat, quam si crescere vellet, hoc sibi efficiendum esse intelligebat, ut omnes factiones coniungeret, quemadmodum illo ipso tempore adiunctis sibi Pompeio et Crasso aliquantum profecerat [3]). Quantum autem optimates etiamtunc valerent, modo expertus erat, cum absens consulatum petere vellet, qua spe depulsus est illorum consensu. Cum quibus pacisci ut certum illud afferebat damnum, ut minus largiri posset, ita obversabatur M. Livii Drusi exemplum, cuius interfecti L. Marcius Philippus consul leges, quod

1) Ac ne potuit quidem satis recte Caesar id agere, ut eos agros venderet, ne publicanorum animos a causa sua abalienaret, quibus alia ratione ab eo consultum esse constat. At Servilio diximus supra p. 266 illud ipsum obstitisse, quod equitum commoda neglexisset. Ibidem significatum est non verum esse videri, quod vulgo docetur, etiam agrum publicum extra Italiam legibus agrariis comprehendi consuevisse, p. 264.

2) Non commemeravi ea, quae Goesius in script. rei agr. p. 351 ex his scriptoribus affert, quae ad formam limitationis pertinent et parum ad legis naturam cognoscendam conferunt.

3) Dissentit autem totus ab hac ratione Drumann. hist. Rom. III p. 195 sqq., qui cum praeclaram quandam constantiam Caesaris in tyrannide occupanda efficere velit, eodem hanc eius legem detorquet.

contra legem Caeciliam Didiam et contra auspicia latas esse diceret, uno senatus consulto sustulerat omnes. Optimates vero vide, quam in hac lege cupidi fuerint, quam ea ipsa, quae reipublicae salutaria essent, tum noluerint, cum ab inimicis proficiscerentur. Qui si cum C. Caesare in gratiam redissent, et ipsi maiores conservassent opes, nec respublica perisset. Cicero denique prudenter illo tempore se gessit. Qui cum adiuvare Caesarem non honestum esse existimaret, ne tamen iis resistere videretur, quae aliquando suaserat, simul metuens sibi ab inimicorum insidiis, rus abiit [1]). Caesar igitur ipse, cum, si fieri posset, nihil invitis optimatibus agere vellet [2]), eam, quam dixi, legem initio in senatu proposuit [3]) ad eamque commendandam multa dicebat de nimia civium multitudine, quae, ne perpetua seditionum esset materies, minuenda esset. Solitudinem autem Italiae esse frequentandam, quod fieri optime, si et qui stipendia emeruissent, et egena plebs urbana in agris collocarentur. Simul se non laturum esse legem prae se ferebat, nisi omnibus ferretur volentibus. Et ceteri quidem omnes aut assentiebantur, aut, cum nihil haberent, quod in lege reprehenderent, non contra dicebant, impediendi tamen cupidi. Unus M. Cato, cum ne ipse quidem causam afferret ullam, nihil tamen novandum esse clamans, solita sua consuetudine dicendo diem eximere coepit [4]). Quare Caesar cum lictorem immisisset, ut eum in carcerem duceret, nec ille recusaret, ubi multos ex ceteris prosequi vidit, ex quibus M. Petreius aperte conviciabatur, Catonem quidem subornato tribuno, qui intercederet, liberavit, sed re omissa multa minatus senatui, se non amplius

---

1) Vide Cic. ad Att. II, 3, 3. Sed utinam Atticus affuisset, et commercium epistolarum inter eos habitum extaret.

2) Eius voluntatis etiam hoc argumentum est, quod Kal. Ian. in senatu Bibulum collegam adhortatus est, ut consentiret secum: nam dissentiri inter consules cum detrimento reipublicae; quod secus interpretatur App. bell. civ. II, 10.

3) Planissime haec narrat Dio XXXVIII, 2 sqq.

4) Sic equidem factum esse arbitror, quamquam apud scriptores admodum magna hac de re est dissensio, quae inde orta est, quod et alii nonnunquam et Cato saepe (vide Plut. Caes. 14) ita egerunt. Dio quidem XXXVIII, 3 Catonem contra dixisse solum, Suet. Caes. 20 interpellasse ait, Plutarchus denique memorabilem illam eius vocem affert in Cat. 31, *se non timere agrorum divisionem, sed mercedem eius largitionis*; sed has ob res nemo in carcerem duci potest. Succurrit Ateius Capito de offic. senat. apud Gell. IV, 10, qui lege, de qua ageretur, non nominata, Catonem refert interrogatum a Caesare cos. cum diem eximere vellet, in carcerem missum, sed prosequente senatu liberatum. Illud unum habet falsum, quod *viatorem* dicit immissum pro lictore, nisi forte, quod malo, illud ipsum vocabulum corrigendum est. Valerius Max. vero II, 10, 7, qui de publicanis tum actum esse ait, item Plut. Cat. 33, qui in lege Campana, de qua infra dicetur, Catonem abreptum existimat, similitudine rerum decepti sunt. Quam autem Caesar eiusque socii Catoni irati fuerint, Cicero significat ad Att. II, 21, 1 *qui Catoni irati omnia perdiderunt.*

eius auctoritatem secuturum esse, discessit [1]. Tum perrexit ad populum, ubi primum Bibulum collegam interrogavit, num quid in lege sua improbaret. Qui nulla re vituperata nihil tamen profitebatur se passurum novari se consule; ac cum populus auctore Caesare, qui per illum stare dictitabat, quominus lex perferretur, deprecaretur, ferociter respondit. Quo facto Caesar praeteritis contra consuetudinem magistratibus, quos sibi infestos esse putabat, Pompeium et Crassum in contione interrogavit, quid de lege sentirent. Qua in re atrox illa et superba extitit Pompeii vox, scuto se subventurum, si quis gladium strinxisset. Isque singula adeo legis capita percurrens laudavit, multosque, ut non resisterent certe, auctoritate sua movit. Bibulus vero cum sic nihil profecisset, tres tribunos plebis movit, ut intercederent, qua re impedita est aliquamdiu res. Sublata autem intercessione cum nihil sibi reliqui fieri intelligeret, per omnes reliquos eius anni dies comitiales se de coelo servaturum proscripsit, ne Caesari contionem habere liceret. Quo contempto cum Caesar certam perferendae legi diem constituisset, ne a vi quidem abhorrere decrevit [2]). Itaque cum Caesar nocte forum armatis hominibus complesset, Pompeiusque veteranos misisset, qui gladiis occultis metum praeberent [3]), Bibulus cum optimatibus, cum L. Lucullo [4]), cum M. Catone, Favonio, duobus tribunis plebis aliisque multis advenit, Caesarem ex aede Castorum contionantem interpellaturus. Quibus cum populus cessisset verecundia motus, Bibulus ut contra legem dicere coepit, coeno coopertus deiectusque per gradus, fascibus fractis vix, cum ipse iugulum praeberet incurrentibus, ut piaculo caedis Caesar quasi contaminaretur, invitus ab amicis in aedem Iovis Statoris subtractus est, tribuni vero adeo vulnerati sunt. Unus Cato ne tunc quidem cessit, sed denuo

1) Hac pertinacia senatus quod factum esse narrat Appian. II, 10, ut toto reliquo anno non amplius a Caesare cogeretur, nec uni consuli eum cogere liculsse, ideoque accidisse necessario, ut in Bibuli domum conveniret, id non recte referri iam exposuit Drumannus in Caesare p. 202; nam et Caesar postea in senatu non amplius M. Crassum, sed Cn. Pompeium, iam generum suum, principem interrogasse dicitur (Suet. Caes. 21; Gell. IV, 10; XIV, 7, 9; Dionys. Hal. XI, 16), et de quibusdam rebus senatusconsulta facta esse constat. Quare rectius tradit Dio 38, 4 init., quem secus interpretari videtur Drumannus, qui in ceteris legibus Iuliis senatum non consultum eiusque auctoritatem neglectam esse tradit.

2) Non recte h. l. Drumannus p. 203 inserit Caesaris et Pompeii nuptias, quas post conciliatas esse collige ex Cicerone ad Att. II, 17 init. Plutarch. Caes. 14 temporis ordinem non sequitur.

3) Vide Dion. XXXVIII, 6 init.; App. II, 10; Plut. Pomp. 48 init.

4) Auctor est Plut. Lucull. 42. Idem Pomp. 48 narrat de duobus trib. pleb. Illud autem miror, quod idem Cat. 31 de perlata hac lege ait; οἱ δὲ περὶ Λεύκουλλον καὶ Κικέρωνα Βύβλῳ συντάξαντες ἑαυτοὺς ἀντέπραττον, quod non licet sic interpretari, ut Cicero ipse abfuisse putetur. Videtur autem abfuisse, ut supra dictum est. Num igitur Plutarchum ipsum an librarios errasse dicemus, ut pro eo, quod est Κικέρωνα, fortasse Κουρίωνα legendum sit, quem cum optimatibus fuisse constat ex Cicerone?

intromissus contionari coepit, conviciabaturque Caesari, dum exturbatus redire prohibitus est [1]). Atque ita haec lex agraris perlata est [2]). Postridie autem eius diei rursus res acta in senatu (Dio Cass. XXXVIII, 6; Suet. Caes. c. 20), cum Bibulus, qui apud populum nihil profecisset, hic certo speraret, adiuto sibi a ceteris cessurum Caesarem. Qui cum tacerent metu populi omnes, republica deposita domum se recepit neque unquam postea in publicum prodiit [3]); sed domi sedens, quotiens Caesar novum aliquid moliebatur, per lictorem obnuntiabat; quare cum eum Vatinius, tribunus plebis, a Caesare subornatus per viatorem vi domo extractum in carcerem duceret, ereptus est trium collegarum intercessione, qui ceteris tamen in rebus quieverunt (Dio XXXVIII, 6; Cic. in Vat. 9, 21).

Caesar autem cum sic legem pertulisset, assecutus erat, quod voluerat; sed metuens, ne, quod vi extortum esset optimatibus, id, ubi primum eius rei facultas data esset, rescinderent, revocavit morem aliquotiens a popularibus usurpatum, quo eos, qui isla quid censerentur, religione certe obstringeret, quo sibi tum, cum invitis optimatibus legem pertulisset, necessario utendum esse Caesar intelligebat; in ipsa quidem lege nihil tale ab initio scriptum fuisse opinor. Offendisset enim popularis illa species, qua optimates uti non solebant [4]). Tunc autem Caesar non consuetum modo illum morem usurpavit, sed addidit etiam aliquid longe gravius. Primum enim L. Appuleius senatores solos iurare iusserat in suam legem, quia maxime id agebat, ut Metelli expellendi facultas daretur. Caesar autem totam contionem ad iusiurandum adegit, se semper ratam habituram esse legem Iuliam agrariam, deinde magistratus totumque senatum, exsecrationemque addidit, si quis mentionem fecisset, quo aliter ager possideretur atque ut ex legibus Iuliis. Auctor horum, quae dixi, imprimis est Cicero ad Att. II, 18, 2, qui

---

1) Vide Appian. bell. civ. II, 11.

2) Quod Cic. ad Att. II, 9, 1 ait: *orbis hic in republica est conversus: citius omnino, quam oportuit, culpa Catonis, sed rursus improbitate istorum, qui auspicia, qui Aeliam legem, qui Iuniam et Liciniam, qui Caeciliam et Didiam neglexerunt, qui omnia remedia rei publicae effuderunt*, quamquam ad omnes leges Iulias eo anno latas pertinere videtur, certe tamen etiam quid in agraria ferenda neglectum sit, significat. Aelia ad obnuntiationem, Iunia et Licinia ad aerarium, Caecilia et Didia ad trinundinum pertinebat.

3) Vide praeter ceteros Plut. Pomp. 48, qui Bibulum ait octo menses domi latuisse.

4) Hoc cum ex ipsa legis natura, quae supra exposita est, appareat, tum confirmatur Plutarchi in Cat. 32 testimonio προσεψηφίσαντο τὴν σύγκλητον ὀμόσαι πᾶσαν, ἦ μὴν ἐπιβεβαιώσειν τὸν νόμον καὶ βοηθήσειν, ἄν τις τἀναντία πράττῃ. Confirmat Appian. II, 12 init. Καὶ τοὺς νόμους ὁ Καῖσαρ ἐκύρωσε καὶ ἐπ' αὐτοῖς τόν τε δῆμον ὤρκωσεν cet. Nec enim Plutarchus dicere potuit προσεψηφίσαντο, nisi peculiare ea de re plebiscitum factum est. Minus igitur probo Drumann. p. 198, qui hoc ab initio in lege agraria fuisse putat.

de altera Caesaris lege agraria, de qua post dicetur, sic ait: ***Habet etiam Campana lex execrationem in contione candidatorum, si mentionem fecerint, quo aliter ager possideatur, atque ut ex legibus Iuliis*** i. e., opinor, habet illud non modo prior lex agraria, sed etiam Campana. Sed ipsum illud ***execrationem in contione candidatorum*** quid esse dicemus? Nec enim certe probandus Schuetzius, qui emendabat ***execrationem candidatorum, in contione si mentionem fecerint*** cet. Quasi vero in senatu eius rei mentionem facere licuerit! At senatores et magistratus ad aerarium in aede Saturni apud quaestores iurare solebant (Appian. bell. civ. I, 31). Quae igitur causa fuit, ut Caesar a vetere modo descisci vellet? Nimirum interest inter eos, qui magistratu funguntur et inter eos, qui petunt. Hos oportet versari in oculis populi, ut is sibi persuadeat, vere eos sibi consulere. Itaque hi iubentur in contione iurare pro aede Castorum, unde a populo conspici poterant [1]) De contione autem ipsa tradit Appian. II, 12, apud quem quod est ἐπ' αὐτοῖς (i. e. τοῖς νόμοις) τὸν δῆμον ὁρκώσειν, quid aliud potest significare, nisi execrationem fuisse ipsius contionis, si quid aliter statuisset [2])? Senatum idem Appianus l. l. et Plut. Cat. 32 tradunt iurasse, candidatos Cicero l. l. et p. Planc. 22. Ita cum Caesar totam civitatem iureiurando et execratione obstringi voluisset, non poterat tamen contentus esse. Quamvis igitur nullo vetere auctore utar, non dubito tamen, quin Caesar iusserit uniuscuiusque anni candidatos iurare, eo quidem temporis spatio, quod lege praefinitum erat, quoque ipsa XXvirorum potestas terminabatur [3]). Poenam denique iis, qui intra certam diem iurare noluissent, eandem prope Caesar constituit, quam olim Appuleius, pecuniariam (Plut. Cat. c. 32 μεγάλα τάξαντος ἐπιτίμια). Qua cum multi, auctore imprimis Catone, non moverentur, ut iurarent, alteram rogationem tulit Caesar, ut capitis damnaretur, si quis non iurasset [4]). Tum demum, exorati a suis, praeter alios Q. Metellus Celer, ex eadem gente, ex

1) Vide paulo supra de Caesare ex aede Castorum contionante. Re autem a me iam scripta similiter sentire intellexi Göttling. de republ. Rom. p. 486.

2) Posui sic, ne Appiani, accuratissimi in his rebus agrariis scriptoris, auctoritatem deseruisse videar, quamquam ipse subdubito. Quid enim contionem ipsam iureiurando obstringeret Caesar? quae comprobare modo, quae ferebantur, poterat, ferre ipsa nihil poterat. Satis erat magistratus omnes religione retinere, apud quos potestas erat contionandi. Aliter longe fuit in senatu; nam singulos senatores digredientes a sententia de re publica universa dicere licebat. At opinor Caesarem cum universam omnino civitatem complecti vellet, plebem omittere noluisse, magis speciei causa quam quod esset aut necessarium aut utile.

3) Nam post id tempus non esse amplius iuratum in legem Iuliam, intelligitur ex Laterensis exemplo, qui a Cic. ad Att. II, 18, 2 et p. Planc. 22 narratur destitisse tribunatum petere, ne iuraret, quem postea honores petisse constat.

4) Appian. II, 12 ἐνισταμένων δὲ πολλῶν καὶ Κάτωνος, ἐπηγεῖτο μὲν ὁ Καῖσαρ θάνατον τοῖς μὴ ὀμό-

qua Q. Metellus Numidicus Saturnini tempore exulare quam iurare maluerat, M. Cato, M. Favonius iurarunt (Dio XXXVIII, 7; App. II, 12; Plut. Cat. c. 32; Cic. p. Sest. 8).

Tum XXviri, a quibus lex iubebat agros dividi, creati sunt. In iis scimus fuisse primum Cn. Pompeium, qui idem IIvir Capuae factus est [1]), deinde P. Crassum [2]), M. Atium Balbum, Iuliae, Caesaris sororis, coniugem [3]), C. Cosconium, hominem alias ignotum, qui mortuus est in magistratu (Cic. ad Att. II, 19, 4), L. Pisonem, postea socerum Caesaris [4]), Cn. Tremellium Scrofam [5]), M. Terentium Varronem [6]), L. Cornelium Balbum, Caesaris familiarissimum [7]).

σαντι, καὶ ὁ δῆμος ἐπεχύρου. Itemque Appuleius quondam, eum Q. Metellos iurare nollet, peculiarem de eo fecerat legem.

1) Hunc in XXviris fuisse cum per se probabile sit (illius enim militibus imprimis consulebat lex Iulia, ut supra demonstratum est), tum aperte significat Cic. ad Att. II, 19, 3 *litterae Capuam ad Pompeium volare dicebantur.* Quid enim ibi ageret, si agrum non dividebat? Idemque Cic. ad Att. II, 12, 2 *de litteris ad Gnaeum missis* dicit. Itaque ibidem IIvir est constitutus: Cic. post red. in senatu 11, 29 *qui in colonia nuper constituta, cum ipse gereret magistratum, — vim et crudelitatem privilegii — consignarit;* idem p. Mil. 15 *qui cum decretum de me Capuae fecit* cet.; id. in Pis. 11 *me absentem, principe Cn. Pompeio referente, — revocarunt.* Campanum autem agrum ab iisdem esse divisum, qui hac lege constituti erant, postea docebitur.

2) Hunc etiam ab initio in XXviris fuisse puto, quamquam peculiare de eo testimonium extat nullum. Sed certe non diu fuit, cum mox in Asiam profectus sit.

3) Vide Suet. Octav. 4 *Functus — honore praeturae inter XXviros agrum Campanum plebi lege Iulia divisit.*

4) In XXviris eum fuisse nemo testatur, sed haud dubie significat ea res, quod IIvirum Capuae cum Pompeio fuisse constat ex Cic. p. Sestio multis locis, in Pison. 11, 24; post red. in sen. 7, 17.

5) Auctor est Varro de re rust 1, 2, 10 *Alterum collegam tuum, XXvir qui fuit, ad agros dividundos Campanos, video huc venire, Cn. Tremellium Scrofam, virum omnibus virtutibus politum, qui de agricultura Romanus peritissimus existimatur.* Vides igitur re vera a Caesare, quod ait Dio XXXVIII, 1, homines idoneos esse electos.

6) Plin. nat. hist. VII, 53, 176 *Varro quoque auctor est, XXviro se agros dividente Capuae, quendam, qui efferretur, foro domum remeasse pedibus.* Is quoque peritissimus erat de agricultura.

7) Cic. ad Att. II, 12, 1 *Iurabo, Gnaeum nostrum, collegam Balbi, Antii mihi narrasse se in auspicio fuisse.* Hunc Balbum Orellius in Onom. Tull. et Drumann. p. 206 putant esse M. Atium Balbum, de quo modo dictum est. Sed quid, quaeso, Cicero sperneret (nam contemptim dici de eo apparet) Iuliae coniugem, virum praetorium (Suet. Oct. 4)? Nam quod Aricia oriundus esset, nemo ei exprobrare poterat. At L. Cornelium Balbum, hominem Gaditanum, a Pompeio ipso civitate donatum, eiusdem esse collegam indignum erat. Atque is Balbus in re quadam, quae paucis diebus ante Caesarem mortuum Capuae facta est, auctor affertur a Suet. Caes. 81. Quamquam intelligo coniectura hunc magis effici quam certa ratione. Confer Mazochii commentarium in mutilum Campani Amphitheatri titulum (Neapoli 1727) p. 19.

P. Clodium, cum maxime vellet, non factum tamen esse XXvirum narrat Cic. ad Att. II, 7, 3. Cicero ipse in Cosconii demortui locum invitatus fieri noluit, ne Caesaris actiones probare videretur [1]), quem ei exilii caussam extitisse ait Vellei. II, 44, ac certe admodum aegre tulisse Caesarem constat ex Cic. ad Att. IX, 2, 1. Una superest in hac re quaestio, de qua cum recte olim videam esse iudicatum, nunc rursus quidam ad anxiam curam descenderunt. Etenim cum Cicero de prov. cons. 17 sic dicat: *me ille* (Caesar), *ut quinqueviratum acciperem, rogavit*, atque eundem Ciceronem ex ad Att. II, 19, 4 et IX, 2, 1 at Vellei. II, 44, Quintilian. 12, 1, 16 constet invitatum esse in XXviros, illi utrumque ita coniungere voluerunt, ut Vvirorum interius quoddam consilium fuisse putent, ad maiora munera in agro dividendo obeunda constitutum. Atque illud quidem concedo, fuisse nonnullos in XXviris, qui maiora essent auctoritate, quam ceteri, quod in quo consilio non fit? Sed, cum XXviri lege ipsa essent constituti, ut ex iis quinque ad peculiarem aliquam administrationem selectos esse putem, idque consilium Ciceronem publice potuisse commemorare, persuadere mihi nequeo. Rectius igitur videntur iudicasse Manutius, Mazochius Amphitheatr. Camp. p. 16, Geratonius, qui necessario *vigintiviratum* emendandum esse censebant. Sed altero loco ad Att. II, 7, 4 *sed illud quid sit, scire cupio, quod iacis obscure, iam etiam ex ipsis quinqueviris loqui quosdam*, cum Cicero et ad amicum et cum irrisione rei scribat, dubito paululum. Quamquam ibi quoque emendari malo.

Haec igitur est lex agraria Iulia, quae prima post Sp. Cassium a consule lata est. Perfecta autem tota erat mense Aprili. Nam Cicero ad Att. II, 6, 4 [2]) XXviros iam munus suum

---

1) Cic. ad Att. II, 19, 4 *Cosconio mortuo sum in eius locum invitatus. Id erat vocari in locum mortui. Nihil me turpius apud homines fuisset: nec vero ad istam ipsam ἀσφάλειαν quicquam alienius.* Quo loco quod ab Orellio editur *nihil me turpius — fuisset*, falsum esse utique existimo, necessarioque emendandum cum Ernestio *nihil mihi turpius fuisset*. Non dicam turpem esse apud aliquem non esse latinum pro eo, quod oporteat esse turpem haberi ab aliquo. At quae efficitur sententia? Nec enim Cicero nullos omnino homines turpiores futuros fuisse quam se putat, nec totus sibi videbatur turpis, si Caesarem in illa re adiuvisset, sed nihil existimat se posse facere turpius. Eadem autem de re dicit Cic. de prov. cons. 17.

2) Scripta est haec epistola initio mensis Aprilis. Nam cum in eiusdem libri ep. 4 dicat, se circa Kal. fore in Formiano aut in Pompeiano, id ep. 8, scripta, ut post dicetur, a. d. XV Kal. Mai. sic accuratius definit, ut Parilibus dicat se in Formiano futurum i. e. a. d. XI Kal. Mai., ceteraque itinera sua exponat. Illas enim Kalendas non recte video putari vel Martias vel Apriles. Animadverte autem in hac, de qua dico, epistola, quod narrat de studio Antiatium, inter quos neminem esse ait praeter se, qui quemquam ex XXviris vivum et salvum velit. Vide Strabon. V, 3, 5. Nimirum placebat is locus idque litus Antii ditioribus Romanis, hominibus minime popularibus. In ipsis autem verbis vitium est, servatum etiam ab Orellio, apud quem ita est *quin etiam dubitem, his an Antii considam et hoc*

obeuntes commemorat totamque contentionem agrariam, quippe iam praeteritam, silentio praetermittit. Idem in duabus, quae insequuntur, epistolis eum XXviros commemorat [1]), non, quomodo facti sint, narrat, sed de iis iocatur et quo hominum opinione sint, exponit; in epist. vero 9, scripta a. d. XIV Kal. Mai., breviter repetens praeterita legem Iuliam per vim latam esse demonstrat. Coepta enim erat peragi et collocabantur in agris maxime, ut videtur, veterani milites Pompeii, quibus primum consulendum erat [2]). Sed aliter aliquanto evenit ac Caesar speraret. Facta enim est inopia agri, qui emeretur. Nam cum privatorum omnes possessiones essent confirmatae, ager autem non posset emi vel non posset tanto emi, quanti in censu aestimatus erat, accidit, ut Caesar, quamvis vellet, nihil inveniret, quod largiretur plebi, cuius favore ad multas leges perferendas opus erat. Quemquem certe vel sic invenisset, quod largiretur, si propterea diutius Romae commorari vellet. Sed properabat in provinciam ac iam tum cogitabat de victoriis et gloria bellica ex Galliis colligenda. Rumor igitur dudum erat, quem de industria Caesaris familiares alebant, novum aliquid illum moliri; atque ipse solita sua consuetudine habere se aliquid profitebatur, in quo satis magna facultas agri esset, quod nemini noceret [3]). Ita prolata est ***lex de agro Campano dividendo.***

Caput tertium.

Quae res cum e veteribus auctoribus, magis quid effectum sit, quam quomodo quidque factum sit, narrentibus, non satis perspicue exponatur, factum est, ut iis parum fides habere-

---

tempus omne consumam, in quo prorsus prava est sententia. Primum enim scribit Antio, quod vel ex eo apparet, quod est §. 2 ***hic, hic nimirum*** πολιτευτέον i. e. opinor, ibi, ubi est, unde scribit. Deinde hoc aperte vult, adeo sibi placere Antium, ut fortasse Romae ipsi praelaturus sit. Sed ***dubito, num hic an Antii*** cum dicit, de Roma omnino non cogitat, sed nescit re vera, utro loco considat. Itaque necessa est esse ***an hic Antii considam,*** itaque est in codice Mediceo.

1) Epistolae sunt libri secundi 7 et 8, quarum illa proxime secundum ep. 6, haec a. d. XV Kal. Mai. scripta est. Potuerant enim epistolae huius diem accuratius finire Schuetzius et Gruberus in quaestione de epist. Cic. Nam cum constet, ep. 12 huius libri scriptam esse Cerealibus i. e. a. d. XIII Kal. Mai. (vide §. 4), nec illa octava ante XVI Kal. Mai. scripta esse possit, quia in ea Attici epistola illo die data perisse narratur, ex tribus epistolis 8, 9, 12, quae hoc spatio scriptae sunt, singulae cadunt in singulos dies.

2) Quaeras, in quibus agris collocati sint, cum coloniae nullae commemorentur. Ascriptos esse existimo in veteres colonias, etiam Sullanas, in quibus cum sortes vendere non licuisset, quamquam contra leges multum possessum erat, multum certe erat vacuum.

3) Cic. ad Att. II, 15, 1 ***Illud tamen explicare non possum, quidnam invenire possit*** (Caesar), ***nullo recusante, ad facultatem agrariam*** i. e. ut copia agri dividendi suppetat; id. ad Att. II, 16, 1 ***ex***

tur. A plerisque enim hodie cognovi [1]) priorem legem agrariam et hanc, quam Campanam dicam, confundi atque unam omnino legem Iuliam agrariam putari, in qua de agro Campano scriptum fuerit. Ipsa iam dicendi consuetudo aliter docere poterat. Nam in Livii ep. 103 de his rebus ita est: *Leges agrariae a Caesare consule cum magna contentione, invito senatu et altero consule M. Bibulo, latae sunt*; Cic. ad Att. II, 18, 2 *quo aliter ager possideatur, atque ut ex legibus Iuliis* [2]); abstineo enim consulto Graecorum [3]) exemplis. Sed illi Romani cum *leges Iulias* dicerent, certe plures esse oportebat. Ac peculiarem rogationem de agro Campano latam esse gravissimus longe et copiosissimus horum temporum auctor, Cicero ad Atticum, haud dubia ostendit. Nam cum ex libr. 2 ep. 6 constet, perlatam fuisse legem agrariam (sic enim simpliciter priorem illam nominabo), ut supra demonstratum est, mense Aprili, prima agri Campani dividendi mentio fit in ep. 16, quam vel Kal. Mai. vel insequenti die scriptam esse ex initio eius apparet, atque ita fit, ut tum primum consilium eius rei captum esse intelligatur, praesertim si cum ea libr. 2 ep. 15, 4, quae supra citata est, contuleris. Audi ipsum Ciceronem: *Coenato mihi et iam dormitanti prid. Kal. Mai. epistola est illa reddita, in qua de agro Campano scribis. Quid quaeris? Primo ita me pupugit, ut somnum mihi ademerit, sed id cogitatione magis quam molestia*, ubi quis non videt Ciceronem dicere de lege modo prolata ac promulgata? Atque in eadem epistola §. 2: *Nam adhuc haec* (Pompeius) ἐσοφίζετο, *se leges Caesaris probare, actiones ipsum praestare debere: agrariam legem sibi placuisse; potuerit intercedi nec ne, nihil ad se pertinere.* Quae necessario ad rem iam praeteritam, non, quae tunc ipsum ageretur, referenda sunt. Confirmant id ceteri auctores Romani, Suet. Caes. 20, qui primum de lege agraria obnuntiante collega perlata, deinde de agro Campano et Stellati diviso dicit. Apud Velleium II, 44, silentio praetermissa lege agraria, sola Campana commemoratur, quia maxime illa tum peracta est,

---

eo, quod superioribus litteris scripseras, ex familiari te illius audisse prolatum iri aliquid, quod nemo improbaret: maius aliquid timueram.

1) Ne Goesium quidem excipio in script. rei agrar. p. 350, qui in contrarium ac ceteri errorem incidit, ut Campanum agrum eximat ille quidem ex priore lege, sed de eo nihil omnino dicat. At recte dixisse video C. T. Zumptium in Annalibus veterum regnorum et populorum, Rudorffium in lege Mamilia de coloniis in libro supra citato p. 412, Schneiderum in praefatione editionis Caesaris p. XXV, et si quis forte alius breviter idem significat. Nam causae quidem a nullo afferuntur.

2) At, ubi alterutra singillatim commemoratur, *lex* dicitur. Suet. Caes. 81 *deducti lege Iulia Capuam coloni*; Cic. Phil. V, 19, 53 *qui ager iis coloniis esset, quo milites veterani deducti essent, qui contra legem Iuliam possideretur*, de priore lege agraria.

3) Nam hos solos de duabus legibus Iuliis tradere dicit Goettling. in hist. reipublicae Rom. p. 485.

et nobilitate urbis, quae ex ea condita est, memorabilior videbatur. Sed etiamsi in Romanis auctoribus nihil ea de re esset certi, Graecorum tamen testimonia spernere difficile erat, qui cum et peregrini essent et multo post viverent, explicarunt, quod Romani et cives et aequales, utpote in re nota, breviter tetigerunt [1]).

Sed antequam ad ipsam legem explicandam aggrediar, pauca praemittenda sunt de urbe Capua et de agro Campano. Constat autem Campanos, cum antea equites plenissimam civitatem Romanam, acceptam anno 340 a. Chr. [2]), ceteri incolae civitatem sine suffragio, acceptam ann. 338 (Liv. VIII, 14, 10), habuerant, expugnatos a Romanis, cum bello Punico ad Hannibalem defecissent, severissime esse tractatos; principum maiore parte necata plebem expulsam domis prope Romam esse traductam (Liv. XXVI, 34, 7). Ager atque ipsius urbis tecta et aedificia locabantur a quaestoribus publice (Liv. XXVII, 3 et 11; XLII, 19 init.), sed apud eos, qui in iis locis consedissent, urbem tantum esse placuit, *corpus nullum civitatis, nec senatus nec plebis consilium, nec magistratus esse* [3]) (Liv. XXVI, 16, 8). Iuri dicundo praeerat

---

1) Graeci autem aperte discernunt eas leges omnes, Dio XXXVIII, 1 et 7; Plut. Cat. 31 et 33; Pomp. 47; Caes. 12. Unus Appianus bell. civ. II, 10 videatur fortasse alicui dissentire. Qui cum comprehendat omnia, quae de agris dividendis acta sunt, leges tamen, non unam legem commemorat; sed retulisset sine dubio etiam distinctius de priore lege agraria, si ex ea tum multum agri divisum esset. Sic enim ait: *καὶ νόμους ὑπὲρ τῶν πενήτων ἐς τὸ βουλευτήριον ἐσέφερε καὶ γῆν αὐτοῖς διένεμε, καὶ τὴν ἀριστεύουσαν αὐτῆς μάλιστα περὶ Καπύην ἐς τὰ κοινὰ διεμισθοῦτο, τοῖς οὖσι πατράσι παίδων τριῶν.* Sed illa, ut posui, vitiosa sunt, quae ita esse oportere existimo: *καὶ τὴν ἀριστεύουσαν τὴν μάλιστα περὶ Καπύην, ἣ ἐς τὰ κοινὰ διεμισθοῦτο*, ut *αὐτῆς* ex postrema syllaba antecedentis vocabuli ortum, itemque simili de causa *ἣ* omissum esse videatur. Nam ea, quae Mazocchius de Amphitheatr. Camp. p. 18 de hoc loco disputat, nemo probabit.

2) Sic Livius VIII, 11, 16. De tempore paululum dissentit Vellei. I, 14, 3.

3) Attuli hunc locum Velleii causa libr. II, 44, 4, quo melius apud eum, quod recte emendatum est a Puteano: *ita circiter XX milia civium eo deducta et ius civitatis restitutum post annos circiter centum quinquaginta duos, quam bello Punico ab Romanis Capua in formam praefecturae redacta erat*, ut hoc recte etiam intelligatur. Nam eos, qui vel *ius ab his*, quod in codice est, tuentur vel *ius iis* emendant, non recte egisse constare arbitror. Sed ne Ruhnkenium quidem recentissimumque Velleii editorem, Kritzium, idem, ut videtur, sentientem, probo, qui cum *ius civitatis restitutum* interpretantur *civitatem Romanam redditam*, nec latino satis dicere iubent Velleium, et ademptam putant esse Campanis civitatem, quae nunquam adempta est. Omnino enim civitas nunquam adimitur; ne Sulla quidem, quamvis vellet, tantum potuit. Sed illud cogita, equites Campanos, qui vere cives Romani essent, paene omnes esse interfectos, ceteram multitudinem, cuius aliqua fortasse pars in vetere urbe remanserat, semper caruisse suffragio, ut postea demum iis connubium concessum esse Liv. XXXVI, 36 dicat. Plurima autem pars aratorum, qui postea erant, aliunde atque ex ipsa Roma confluxerat. Cf. Madvig. de iure et condic. colon. p. 241. Deinde est, quod differat inter *civitatem* et *ius civitatis*.

praefectus Roma missus, quare praefectura Capna nominatur [1]). Ager igitur quotannis publice locabatur, sed non multo tamen, postquam captus est, anno 205 cum P. Scipio ad bellum in Africam transferendum exercitum pararet, senatus, ut aerarii inopiae subveniret, partem aliquam eius agri a fossa Graeca ad mare usque venire iussit [2]); post audimus intermissa aliquamdiu a censoribus locatione, multum occupatum esse a privatis, quod recuperatum et rursus locatum est [3]). Mansit haec condicio agri Campani usque ad Caesarem, quod et Vellei. II, 44 testatur, qui Capuam circiter annos centum quinquaginta duo praefecturam fuisse narrat, et ex Cic. de leg. agr. II, 33 colligi potest, qui semel tantum tentatum esse ait, ut forma aliqua reipublicae Capuae constitueretur, nunquam re vera esse constitutam [4]). Quamquam excipienda est ea pars agri Campani, in qua a Sulla coloniam Urbanam constitutam esse demonstratum est supra p. 252, quae dubito tamen, an, cum non esset publica pop. Rom., privatis potius fuerit adempta.

Additus autem est legi Iuliae, ut fuerat Serviliae, ad dividendum campus Stellatis [5]). Est is campus ultra Calliculam montem, inclusus montibus fluminibusque Vulturno et Savone, prope Cales urbem, unde vix aliquando Hannibal fraude usus ex insidiis Q. Fabii evasit. Unum est in hoc campo, quod molestum sit. Nam Sueton. Caes. 20 eum dicit *maioribus consecratum.*

Vide Cic. p. Arch. 5, 10. Quamquam ea quaestio parum huc pertinet. Civitas enim hic non dicitur Romana, sed quaelibet. Habebat enim Capna speciem tantum quandam urbis, vero deerat ius, ut possent peculiarem civitatem constituere.

1) Vide de hac C. T. Zumptium in scriptione academica de colon., municip., praefecturis p. 53 sqq.

2) Sic Liv. XXVIII, 46, 4 narrat. Ex hac autem venditione cum aliquantum agri Campani interiectum esset publico, explico, quod Cic. de leg. agrar. II, 30 init. narrat, aliquando senatum Romanum coëmere voluisse agrum illum privatum, sed neminem adduci potuisse, ut venderet. Cf. etiam Livium libr. XLII, 1, 6 de eadem re dicentem eodemque libro c. 9, 7 Posthumius consul annum in recognoscendis agris publicis et privatis consumpsisse narratur.

3) Ita narrat Liv. XLII, 19 init. *Eodem anno, quia per recognitionem Postumii consulis magna pars agri Campani, quem privati sine discrimine passim possederant, recuperata in publicum erat, M. Lucretius tribunus plebis promulgavit, ut agrum Campanum censores fruendum locarent, quod factum tot annis post captam Capuam non fuerat, ut in vacuo vagaretur cupiditas privatorum.* Res acta est anno 172.

4) Ipsa eius verba haec sunt: *hos enim duos* (i. e. Brutum et Rullum) *adhuc vidimus, qui hanc rempublicam Capuam totam transferre vellent.* Cf. supra p. 14.

5) Unus de campo Stellati lege Iulia diviso dicit Suet. Caes. 20, sed ceteri Campani agri nomina comprehenderunt. Rullus duodena iugera singulis colonis describebat, qua de re reprehenditur a Cic. de leg. agrar. II, 31, cum haud paulum differat ager Campanus ac Stellatis. Caesar quantum singulis diviserit, non constat.

Quod video auctore Burmanno iam sic explicari ab interpretibus, tamquam is ager in publicum usum consecratus quasi et addictus fuerit, ut, qui ex publico eum eximere vellet, religione aliqua teneretur; nam diis quidem qui ager esset consecratus, eum intelligebant non posse coli et censeri. Qui quidem videant, ut Latine ita dici possit. Potest aliquid etiam alii rei, non modo divinae, consecrari, sed si consecratum aliquid dicas, non addito, cui consecratum sit, non possis intelligere, nisi diis consecratum. Quid enim consecratum sit, apertissime in Carthagine ostendit Cic. de leg. agr. I, 2, 5 *ipsam veterem Carthaginem vendunt, quam P. Africanus nudatam tectis ac moenibus, — ad aeternam hominum memoriam consecravit*, idemque II, 19, 51 *ipsam veterem Carthaginem vendit, quam videlicet P. Africanus non propter religionem sedium illarum ac vetustatis, de consilii sententia, consecravit, sed ut* cet. Ac de Carthaginis solo novimus, nefas fuisse id coli et habitari (Appian. Punic. 135 et 136), sed pascua in eo fuisse pecoris [1]). Quare Stellatem agrum consecratum explico pascendo pecori inservisse, sed hominum domiciliis caruisse et religione habitari prohibitum. Unde etiam illud fieri existimo, ut semper *campus Stellatis* dicatur, nunquam *ager*, in quo quaedam est humanae mansionis significatio. Illud unum miror, quod Cicero, cum diceret contra legem Servilíam, de consecratione illa, de qua aptissime multa poterant dici, nihil commemoravit, nec vero id tantum valere oportere existimo, ut ideo Suetonio iniuria fiat.

De hoc igitur agro Campano et campo Stellati dividendo lata est lex mense Maio, perlatis iam antea legibus de Aulete, rege Alexandrino, et de publicanis [2]); atque, ut priori legi agrariae, item huic auctor et suasor extitit Cn. Pompeius [3]). Situm autem erat in ipsa rei natura, ut tota haec lex priori agrariae adiiceretur eamque quasi emendaret. Nam cum in illa exemptus esset ager Campanus, hac exceptio illa sublata est. Eadem igitur fuit in utraque condicio agri divisi et colonorum, id quod videtur significare etiam Cic. ad Att. II, 18, 2 *habet etiam Campana lex execrationem candidatorum, si mentionem fecerint, quo aliter ager possideatur, atque ut ex legibus Iuliis* i. e. ex priore illa, quae de universa agrorum dividendorum condicione praescripsit, et hac, quae peculiaris de eo lata est. Itaque consentaneum est, XXviros illa lege creatos divisisse etiam Campanum agrum, vel potius, cum alius agri non multum ab iis divisum esse videatur, solum prope tum quidem divisisse Campanum.

1) Sic Appian. bell. civ. 1, 24 Σκιπίων αὐτὴν (Carthaginiensem terram), ὅτι κατέσκαπτεν, ἐπηρά-σατο ἐς ἀεὶ μηλόβοτον εἶναι.

2) De his quidem non mense Aprili, ut putat Drumannus p. 211, sed, opinor, Martio, quo Caesar fasces habebat.

3) Vide Cic. ad Att. II, 16, 2. *Gnaeus quidem noster iam plane quid cogitet, nescio* sqq.

Certe, qui nominantur ex XXviris, in agro Campano dividendo nominantur, Cn. Pompeius, M. Balbus, Cosconius, Cn. Tremellius Scrofa, M. Varro, L. Balbus.

Ipsa igitur lex haec erat, ut ager Campanus et Stellatis divideretur iis, quibus terni pluresve liberi essent [1]). Quod quidem imprimis est memorabile. Primum enim illa prima sunt vestigia earum legum, quae postea latae sunt ad matrimonia adiuvanda liberorumque procreationem augendam, nec antea quicquam simile in legibus agrariis invenitur. Deinde cur dicamus in lege Campana additam esse illam exceptionem: *quibus terni pluresve liberi essent?* Nimirum non omnibus sufficiebat ager Campanus, quare cum omnino inopiam agri fuisse demonstratum sit, periculum erat, ne, si nonnullis Caesar largitus esset, cetera omnis multitudo, quae praeterita esset, ab eo abalienaretur [2]). Quare aequa aliqua condicio quaerenda erat, qua maxima turba arceretur. Atque eximia bonitas agri Campani efficiebat, ut non promiscue dividi posse videretur. Denique ex hac ipsa exceptione, quae legi addita erat, apparet, nec militibus solis eum agrum divisum esse nec soli plebi urbanae, sed iis ex utroque genere, quibus, quod praescriptum erat, terni liberi essent. Minus igitur accurate Plut. in Cic. 26, aliud tamen agens, Caesarem tulisse dicit, ut ager Campanus militibus daretur [3]), qua in re ipse se redarguit in Cat. 33, in lege Campana explicanda, ubi eundem agrum divisum esse scribit τοῖς ἀπόροις καὶ πένησιν. Cicero autem Phil. II, 39, 101 *Agrum Campanum, qui cum de vectigalibus eximebatur, ut militibus daretur, tamen infligi magnum rei publicae vulnus putabamus: hunc compransoribus tuis et collusoribus dividebas*, consulto, quo maiorem Antonio invidiam conflaret, honestius colonorum genus nominavit [4]).

Eorum autem, qui ternos pluresve liberos alerent, extitisse narrantur continuo circiter

---

1) Sic Dio Cass. XXXVIII, 7; Suet. Caes. 20; minus accurate App. II, 10 τοῖς οὖσι πατράσι παίδων τριῶν, qua re non reprehendendus erat a Mazochio p. 19. Utitur enim suae aetatis ratione, qua *ius trium liberorum* etiam ad eos pertinebat, qui plures habebant liberos. Plut. Cat. min. 33 et Vellei. II, 44 nihil de hac re habent.

2) Sic sentit fere Cic. ad Att. II, 16, 1 *deinde, ut me egomet consoler, omnis expectatio largitionis agrariae in agrum Campanum videtur esse derivata: qui ager, ut dena iugera sint, non amplius hominum quinque milia potest sustinere: reliqua omnis multitudo ab illis abalienetur necesse est.*

3) En ipsa eius verba: ἐπεὶ δὲ Καίσαρι ψηφισαμένῳ τὴν ἐν Καμπανίᾳ χώραν κατανεμηθῆναι τοῖς στρατιώταις, πολλοὶ μὲν ἐδυσχέραινον ἐν τῇ βουλῇ. Ex loco Ciceronis, qui deinde affertur, colligitur eum Romae interfuisse in lege illa ferenda, quod confirmatur ex epistolis eius ad Atticum. Cf. II, 17 et II, 18.

4) Commemoro hic breviter errorem Mazochii de Amphith. Camp. p. 19 et p. 26, qui quod ex loco Appiani male intellecto colligit, non divisum esse agrum Campanum, sed parvo pretio elocatum, nemo probabit.

viginti milia [1]), qui Capuam deducti sunt. Quibus singulis quantum agri divisum sit, cum non tradatur, hoc tamen constare poterit, ad minimum tantum esse datum, quantum Rullus aliquando voluerat, Campani agri dena iugera, Stellatis duodena, idque fore suspicatur Cic. ad Att. II, 16, 1. Continentiorem enim Caesarem in plebem fuisse, quam Rullum, non probabile est. At magna in ea re lis exoritur cum Cicerone, qui l. l. cum nuntium accepisset, agi de divisione agri Campani, ita se consolatur, ut speret, si dena iugera singulis dividantur, non amplius quinque milia hominum posse collocari, eundemque numerum a Rullo aliquando scriptum fuisse constat ex Cic. de leg. agr. II, 28. Quid igitur? Tantumne potuit errare aut Rullus aut Cicero [2]), quorum uterque probe nosset hanc regionem, ut tribus partibus minorem numerum ponerent, quam posset deduci? Nec certe ager Stellatis adiunctus tantum poterat efficere, ut pro quinque hominum milibus efficerentur viginti milia, quem si circiter duo milia hominum aluisse existimamus, plus quam praeclare agitur. Ita supersunt tredecim fere hominum milia in agris collocanda. De quibus loqui videtur Cicero ad Att. II, 17 init. *Nihil est, quod non timendum sit. Quid enim ista repentina affinitatis coniunctio, quid ager Campanus, quid effusio pecuniae significant? Quae si essent extrema, tamen esset nimium mali: sed ea natura rei est, ut haec extrema esse non possint.* Et de affinitatis quidem ratione inter Caesarem et Pompeium inita supra dictum est; item de agro Campano apparet. Illam vero *pecuniae effusionem* recte Manutius existimat ad eam pecuniam pertinere, qua ager a privatis in Campania coëmptus sit. Quem multum fuisse supra a me p. 291 demonstratum est. Quare factum etiam esse opinor, ut Plut. Cat. 33 τὴν Καμπανίαν σχεδὸν ὅλην divisam esse scribat, Dio XXXVIII, 7 τὴν τῶν Καμπανῶν γῆν, quod maiorem aliquanto agrum, quam qui Capuae proprie erat, lex Iulia complectebatur.

Iam quaerat aliquis, quid veteribus aratoribus factum sit, hominibus, ut Cic. de leg. agr. II, 31 ait, optimis et modestissimis. Nam eiicere eos crudele erat nec id debet expectari a Caesare. Quos primum arbitror, si ternos liberos alerent, ascriptos esse in colonorum numerum [3]), qui minus alerent, iis pecuniam esse numeratam, ut huc quoque *effusio pecuniae*, de

---

1) Vide App. II, 10; Suet. et Vellei. l. l. Cicero nihil certi habet, quis Romae erat, cum lex ferretur.

2) Hic quidem de leg. agrar. II, 29 *si non modo dena iugera dari vobis, sed ne constipari quidem tantum numerum hominum posse in agrum Campanum intelligetis.* Quamquam ibi sine dubio ad augendam legis invidiam minus agri esse ait, quam fuit.

3) Non utor testimonio Cic. p. Sest. 4, 9 *quo de causa et tum conventus ille Capuae — huic apud me P. Sestio maximas gratias egit, et hoc tempore iidem homines, nomine commutato, coloni decurionesque — beneficium P. Sestii testimonio declarant*; nam magna pars incolarum certe mutata erat, ut *iidem homines* interpretandi sint item Campani. Sed ipsa tamen rei aequitas sic postulabat.

qua supra dictum est, pertineat. Atque id consuevisse fieri, ut pro agris ademptis pecunia daretur, etiam in aliis rebus ostendi potest. Unum superest in hac lege, de quo dicendum sit. Quid enim est illud, quod in huius rei narratione addit Suet. Caes. 20 *extra sortem* divisum esse agrum Campanum et campum Stellatem? Sors enim constituta erat in coloniis deducendis, ne quis iniuriam sibi factam esse quereretur, quoniam, quod cuique agri assignabatur, pari bonitate esse non semper poterat [1]. Idem arbitror fuisse in agro Campano: qui enim prope urbem Capuam erat, fructuosior sine dubio habebatur, quam qui remotior erat; campum autem Stellatem deteriorem fuisse supra intellectum est. Qui igitur sors in hac divisione tolli potuit? Nec arbitror esse sublatam. Rursus enim hic intelligi posse puto, Campanum agrum iisdem condicionibus esse divisum, quas superior Caesaris lex agraria praescripserat. Sic enim cogito. Omnibus civibus Romanis lege Iulia ager dividebatur, qui, quo quisque deducendus esset, sortiebantur. Ex horum numero lege Campana excipiebantur ii, qui ternos pluresve liberos alerent, quibus *extra sortem*, id est, ita, ut non sortirentur cum ceteris, ager Campanus assignabatur. Ipsi tamen illi, quid cuique agri Campani dandum esset, rursus inter se sortiebantur [2]. Denique adiecta erat etiam huic legi exsecratio senatus, candidatorum, magistratuum, de qua supra p. 284 dictum est.

Iam cum ratio probabilis ducitur, quot homines in agrum Campanum deducti esse videantur, incredibilis prope reperitur numerus. Si enim statuas viginti milia fuisse ipsorum colonorum, totidem eorum mulieres, quaternos deinde in singulis familiis fuisse liberos, centum viginti milia hominum efficient. Adde servitia, quae singula certe etiam ab tenuioris sortis hominibus alebantur; adde ceteram multitudinem, quae in magnas urbes confluere solet; adde honestiores homines, qui Capua delectarentur [3]; adde ludum gladiatorium, quem cum Romae non liceret [4], Caesar Capuae alebat maximum [5]. Tanta autem hominum frequentia, quamvis

1) Cic. Ep. XI, 20 *aequaliter aut sorte agros legionibus assignari puto oportere.*

2) Obiiciat autem aliquis pro numero liberorum fortasse agros assignatos esse. Sed primum eius rei memoria non intercidisset, opinor, deinde postea memini inter eos solum aliquid iuris interfuisse, qui minus ternis et, qui ternos liberos alerent, nihil praecipui tributum esse iis, qui plus liberorum alerent.

3) Cicero in Pis. 11, cum de Capua, quae post deductionem fuit, dicit, haec habet: *nam haec quidem, quae nunc est, splendidissimorum hominum, fortissimorum virorum, optimorum civium, mihique amicissimorum multitudine redundat.* Tria genera hominum discerni vides. Nam *optimi cives* pertinent ad colonos tenuioris sortis ex plebe Romana delectos, *fortissimi viri* ad veteranos Pompeii deductos; *splendidissimi homines* ad divitiores cives equestris ordinis, maxime negotiatores.

4) Cautum hoc erat Caesaris causa. Vide Suet. Caes. 10 extr.

5) Auctor est praecipue Cic. ad Att. VII, 14, 2, ubi initio belli civilis quid his gladiatoribus fa-

Cic. Phil. XII, 3 dicat: *quemadmodum vestrum hoc consilium Capna probabit, quae temporibus his Roma altera est*, non videtur una urbe unisque moenibus capi potuisse. Quare cum supra demonstratum sit, non eos modo agros, qui proprie ad urbem Capuam pertinerent, sed universam prope Campaniam a colonis occupatam esse videri, iam tum praeter ipsam Capuam constitutas esse puto duas alias colonias, quae postea in Campania commemorantur:

Calatiam. In ea aut ager coëmptus a colonis Sullanis aut qui supererat publicatus a Sulla divisus est. Fuisse enim coloniam Sullanam supra dictum est p. 252. Postea aucta a Caesare dictatore valida fuit; Octavianus enim cum contra Antonium copias colligaret, decem milia paternorum veteranorum contraxisse narratur ex hac urbe et ex Casilino. Vide Appian. bell. civ. III, 42; Ciceron. ad Attic. XVI, 18 init.; Vellei. II, 61, 2. Sub Augusto etsi corruit et a Strabone V, 4, 10 oppidulum dicitur, constitisse tamen docet inscriptio apud Maff. Mus. Veron. p. 354, 5 (Donat. p. 253, 5), in qua *decuriones*, *Augustales*, *populus Calatinus* commemorantur, et altera apud Grut. p. 59, 6 (Mur. p. 1104, 5; Gervas. Inscript. Sipont. p. 24), in qua *IIvir quinquennalis* et *patronus municipii Calatinorum.* Cf. etiam Grut. p. 168, 6.

Casilinum. Eo Cicero Philipp. II, 40, 102 negat anno 44 debuisse novam coloniam ab Antonio deduci ideo quod *paucis annis* ante a Caesare esset deducta; quos paucos annos malo ab hoc tempore quam ab eo, quo post pugnam Pharsalicam rursus eo coloni deducti sunt, numerare. Nec tamen constitit ea colonia, cui et homines ab Antonio deducti offecerunt et vicinia Capuae; Strabo enim V, 4, 10 oppidulum nominat, et Plinius III, 5, 70 Casilini morientis [1]) reliquias commemorat.

ctum sit, narrat: *Gladiatores Caesaris, qui Capuae sunt, de quibus ante ad te falsum ex A. Torquati litteris scripseram, sane commode Pompeius distribuit, binos singulis patribus familiarum. Secutorum in ludo quinque milia fuerunt: eruptionem facturi fuisse videbantur. Sane multum in eo reipublicae provisum est.* Confer Caes. bell. civ. I, 14. In quibus equidem minus rectam esse existimo eam lectionem, quam Orellius ex Mediceo praetulit *scutorum in ludo quinque milia fuerunt.* Noli enim numerum secutorum existimare nimium. Statue enim tum nondum omnibus colonis deductis decem milia patrum familiarum fuisse Capuae, quibus si bini gladiatores traditi sunt, viginti milia efficiuntur. Pauciores ut fuisse videantur, fieri non potest; nam binos non distribuissent, si singulis distribuendis gladiatorum numerum consumpsissent. Quot autem gladiatores Caesar aluerit, ex eo uno munere perspici potest, quod aedilis edidit, in quo cum aliquanto pluribus destinasset, 320 paribus edidit (Suet. l. l. Plut. Caes. 5). Quanto maiora munera eum postea edidisse existimamus! Ac quantas curas si gladiatores Capuae fuerint, ex Cic. ad Att. VIII, 2 perspici potest; nam peculiari epistola ludum suum Ciceroni commendarat. *Scutorum* autem, quod Orellius addidit, ne propter sententiam quidem placet. Tela potius eruptionem facturis prosunt, quam scuta; nec Cic. p. Mil. 24, 64 recte comparatur. Mazochius Amph. Camp. p. 21 aliquanto etiam maiorem numerum efficit.

1) Adnotanda ipsa *moriendi* vox, qua Plinius utitur, quae accipienda de colonis eorumque familiis emorientibus, quod in plurimis coloniis accidisse constat.

Nam alia tum oppida praeter haec duo, quae nominavi, circa Capuam condita sint, dubium est; nullum certe commemoratur.

De deductis autem coloniis illud primum constet, non potuisse fieri, ut universae statim deducerentur. Non dicam, multum agri fuisse amendum; sed etiam qui iam publicus erat, metiendus erat ante et describendus. Praeterea lex locationis servanda erat, nisi forte putes etiam eam in rem multum pecuniae impensum esse, ut ii, qui possidebant, ante suum tempus de agris discederent. Sed ne sic quidem res aut anno aut biennio confici potuit, ut non mirum sit, si per decennium fere de eadem re agi audimus. Quamquam forma ipsa et corpus quasi coloniae Campanae continuo constitutum est. Primum enim IIviri Capuae instituti sunt, municipalis magistratus, quibus nullum praeterea peculiare nomen videtur fuisse; nam quod nonnulli ex Cic. post red. in sen. 7, 17 collegerunt, Campanos nominatos esse consules, refutat Orell. Inscript. n. 3775. In ea quidem colonia, quae deduci coepta fuerat a M. Bruto, nominatos esse praetores tradit Cic. de leg. agrar. II, 34; sed postea eius nominis nulla mentio fit. Primi autem IIviri fuerunt Cn. Pompeius [1]) et L. Piso [2]), socer Caesaris. Ibidem erat decurionum ordo (Cic. p. Sest. 4, 10), quem tamen nomen patres conscripti sibi assumpsisse non audimus, quod Cic. de leg. agr. l. l. in priore deductione factum esse ait. Civitatis etiam iura tertio anno, postquam constituta est colonia, in rebus Ciceronis usi sunt. Cum enim Capuae urbi periculum aliquando a Catilinae consiliis fuisset, et statim conventus Capuae, qui ante coloniam deductam fuerat, gratias Tullio egerat eumque patronum asciverat, et tunc, eiecto eo P. Clodii insidiis, referente Cn. Pompeio, eius periculo succurrere statuerunt et cum Romae senatus consultum duorum tribunorum intercessione impeditum esset, primi totius Italiae de restituendo eo honorificentissimum decretum fecerunt [3]).

Colonia igitur Capuae constituta erat et iacta fundamenta reipublicae; sed in supplenda ea et reliquo agro occupando nonnulla impedimenta extiterunt. Ac primam quidem moram

---

1) Constat hoc ex Cic. p. Mil. 15 et in Pis. 11 *et absentem, principe Cn. Pompeio referente et de corpore reipublicae tuorum scelerum tela revellente, revocarunt*, quo loco minus probo Garatonii coniecturam, qui, cum Campani primi de Cicerone revocando decreverint, legendum esse putat *et absentem principes Cn. Pompeio referente* cet., non quod recte illud Orellius defendisse videatur, sed quia imitatur illum Pisonianae locum, qui orationem post red. in sen. scripsit, ubi c. 11 de eadem re ita est: *qui in colonia nuper constituta, cum ipse gereret magistratum, in qua nemo erat emptus intercessor, — princeps Italiae totius praesidium ad meam salutem implorandum putarit.* Confer autem etiam ea, quae supra p. 286 de XXviratu dicta sunt.

2) Vide Cic. p. Sest. 8 et praecipue in Pis. 11 extr., quo loco de tempore, quo IIvir Piso fuerit, cf. Garatonius. Ideo Piso a Cicerone saepius vocatur Campanus consul cum irrisione.

3) Cic. p. Sest. 4 et cf. supra p. 295 de gratiis Sestio actis.

videtur intulisse ipse ille P. Clodius, qui initio tribunatus sui C. Caesarem adiuverat. Cuius quidem rei auctoritas quamquam tenuis est, ipsa tamen res aliquam habet veri similitudinem. Sic enim sese habet. Piso et Gabinius cos., cum iis provinciis, quae a senatu iis decretae erant, parum delectarentur, cum P. Clodio, tribuno plebis, pepigerunt, ut is per populum alias sibi provincias conciliaret, ipsi Ciceronem ne adiuvarent. Quare cum Pisoni Macedonia, Gabinio Syria tradita esset, vasarii nomine addita magna vis pecuniae, quam, qui scripsit orationem p. dom. ad pontif., c. 9 criminatur ad emendos agros fuisse constitutam ereptamque vi ex C. Caesaris rebus actis. Cicero autem ipse cum saepe dicat de pecunia illa ex aerario erepta (in Pis. 12, 16, 24, 35; p. Sest. 30), nihil usquam, eam ad agros emandos destinatam fuisse, quamvis id invidiosissimum esse oporteret L. Pisoni et P. Clodio. Sed illud tamen sponte apparet, aerarium si exhauriretur, nullam pecuniam ad emendos agros potuisse redundare.

De hoc quidem genere impedimenti facile quivis intelligit, licuisse pecunia aliis rebus consumenda moram inferri legi Iuliae; sed illud aliquis quaerat, cum de ipso agro Campano reipublicae restituendo contentio inducta esse narretur, qui fieri potuerit. Religione enim iurisiurandi tenebantur et senatus totus et, cum candidatos per annos nonnullos iurasse existimem, omnes magistratus, qui nihil se de legibus agrariis Iuliis moturum esse spoponderant; nec illud temere violari potuit. Sed, quia obnuntiante M. Bibulo latae erant, ideo non has modo agrarias, sed omnes omnino leges Iulias, Caesare consule rogatas, iure latas esse negabant, praesertim cum in omnibus legibus addi soleret, si quid contra leges rogatum esset, uti id ne rogatum esset [1]). Nec dubium est, quin optimates, si potuissent, continuo omnes leges Iulias fuerint sublaturi, quod contra leges latae essent (Cic. ad Att. II, 9, 1). Cum autem Caesar et Pompeius nimium in republica valerent, actum tamen est de lege Campana rescindenda. Nam ceteros agros plebi et militibus divisos non tam indignabantur, sed Campanum agrum ereptum ex vectigalibus reipublicae et tantum pecuniae consumptum esse in agros emendos eo molestius ferebant, quia frumenti tum maxime extitit caritas et aerarii inopia. Sed quid tamen proprie in senatu de ea re actum sit (nam ad populum nihil est latum), non certo narratur a Cicerone, solo eius rei auctore; illud apparet, minus Caesarem quam Pompeium iis actionibus esse offensum. Fortasse Pompeius suos milites ascribi colonis cupiebat, optimates

1) Cic. de prov. cons. 19, 47 *Nam summi civitatis viri, quorum ego consilio rempublicam servari, et quorum auctoritate illam coniunctionem Caesaris defugi, Iulias leges et ceteras, illo consule rogatas, iure latas negant.* Quo loco maxime Cato notatur, idem Iuliarum legum inimicus, Clodiarum sua causa defensor. Cf. Dio Cass. XXXVIII, 7. Itaque Cic. ad Att. II, 14, 1 Caesaris actiones [illegible]τρέπτους dicit.

agros reddi aerarii reditibus. Quod ut credam, facit ipsum tempus, quo de agro Campano restituendo agi coeptum est. Primus enim egit de ea re P. Rutilius Lupus, tribunus plebis, qui ut Decembri mense ann. 57 tribunatum iniit, continuo in senatu frequenti de agro Campano referre coepit. Eo autem anno ager, si qui forte supererat publicus, rursus erat alocandus, quod, quamquam censores nondum electi erant, a consulibus tamen vel praetoribus urbanis fieri poterat (Cic. in Verr. II, 1, 50). Sed nihil magnopere est effectum, cum plerisque tacentibus Cn. Marcellinus, consul designatus, nihil absente Pompeio agendum esse diceret (Cic. ad Q. fratr. II, 1 init.). Repetita est res vehementi contentione Non. April. insequentis anni [1]; sed cum rursus refrixisset, ne Idibus quidem Maiis, quibus actum iri dictum erat, actum est [2]. Nam cum Cicero imprimis effecisset, ut senatus ea de re agendum esse censeret, Pompeius et Caesar graviter de eo questi per Quintum fratrem effecerunt, ut ille nihil amplius in ea re laborare constitueret. Totam rem cum causis, quae se moverint, Cicero exponit ad Lentulum Ep. I, 9, 8 sqq. Eandem denique rem movit C. Curio, trib. pleb., anno 51, de quo non laborabat magnopere Caesar, quia, si quid agri publici vacuum remansisset, eo dividendo novam gratiam apud plebem quaerere poterat, Pompeius autem valde nolebat, non perfici deductionem, ne qua redeunti Caesari demerendae multitudinis facultas esset. Vide Cic. Ep. VIII, 10, 4.

Caput quartum.

Atque haec quidem dicenda erant de iis actionibus agrariis, quae fuerunt C. Caesaris consulis, quas, dum Campanorum colonorum historiam enarramus, usque ad id tempus persecuti sumus, quo dissensiones civiles a foro ad aciem translatae sunt, et, quae cum toga antea et ex magistratuum potestate acta erant, armis et imperio militari administrari coepta sunt. Quod insequitur tempus dictaturae Caesaris, longe est difficilius ad explicandum, propterea quod, cum multa gererentur longe graviora, eorum magnitudo dum videtur admirabilis, admodum ubique obscura rei agrariae conservata est memoria. Ipsa etiam coniectura minus est hoc loco facilis, quia, cum multa aut per vim agerentur, non per leges, aut commutarentur saepius, ne ex iis quidem, quae sequuntur aut antecedunt, quid vere factum sit, certe intelligi potest. Discernenda autem sunt coloniarum, quas Caesar dictator deduxit, duo genera, quorum unum fuit militarium, in quas emeriti milites deducti sunt, alterum dicam civilium, quae

1) Cic. ad Quint. fratr. II, 5 *vehementer actum de agro Campano, clamore senatus prope contionali.*

2) Cic. ad Quint. fratr. II, 8, 2, ubi *in hac causa aquam sibi haerere* fatetur.

ad urbem Italiamque exhauriendam provinciasque frequentandas susceptae sunt [1]. Quae quidem non natura solum et origine discernuntur, sed etiam terris, in quas deductae sunt. Siquidem militares coloniae in Italia, in Hispania, in Gallia fere constitutae sunt, civiles in transmarinis provinciis. Quare ipsa coloniarum enumeratio adiuvatur, quandoquidem, dum terrarum ordinem sequemur, simul genera coloniarum distinebuntur. Sed praemittenda esse video nonnulla, ut intelligatur, quomodo et qua potestate Caesar tum agros diviserit.

Quaeritur enim, num quam forte novam legem Caesar dictator tulerit agrariam. Quam neque usquam apud scriptores commemorari video, neque necessariam fuisse intelligo. Neque enim Caesar dictator ea crudelitate utebatur, qua fuerat aliquando L. Sulla, qui plurimos homines sedibus suis ac domibus eiecit, quas militibus divideret, ut ideo peculiaris aliqua lex opus esse videretur, sed, si nullus esset ager publicus, in quo milites collocari possent, emptione a volentibus comparabat, ut constitutum erat in ea lege, quam consul primum tulerat. Accedunt huc alia quaedam indicia. In Campanam enim coloniam Suet. Caes. 81 narrat dictatore Caesare deductos esse colonos *lege Iulia* [2]. Quam certe nullam aliam potest dicere, nisi priorem illam agrariam. Nam si qua nova esset lata de coloniis a dictatore deducendis, eam non ipse tulisset, sed per alios ferendam curasset, ut solebat omnia, quibus ipsi potestas aut negotium aliquod deferretur, per alios administrare. Quae si in Capua etiamtum valuit, valuit certe in omnibus. Atque eandem post Caesaris necem servatam esse, haud dubie colligitur ex eo, quod iam supra p. 280 commemoratum est, Brutum et Cassium praetores Caesare interfecto concessisse colonis, ut agros assignatos vendere liceret, quod *lex*, qua deducti erant, vetaret. Tum in bello Mutinensi, cum praemia iis militibus, qui M. Antonio relicto Octavianum secuti erant, decernenda essent, in senatus consulto auctore Cicerone sic scriptum est: *uti C. Pansa, A. Hirtius consules, alter ambove, S. E. V., cognoscerent, qui ager iis coloniis* [3])

1) Noli autem existimare, pugnare me cum Valleio, cuius memorabile illud dictum ab initio huius totius disputationis positum est, omnes, quae post ann. 100 deductae sint, colonias fuisse militares; certe enim Caesar aliam harum coloniarum rationem instituisset, nisi princeps cura fuisset, militibus providendi.

2) Ipsa verba haec sunt: *Paucos ante menses, cum in colonia Capua deducti lege Iulia coloni — vetustissima sepulchra disiicerent.* De ipsa colonia infra p. 304 dicetur.

3) Sic cum nunc edatur, malo tamen esse *in iis coloniis*; nam is ager, quem coloniae habent publicum ad civitatis sumptus erogandos, h. l. non dicitur (eum enim ipsa lex Iulia videtur reliquisse), sed dicuntur eae sortes agrorum, quae erant in coloniis nondum assignatae, quae possidebantur vel contra leges vel ab iis, qui lege Antonia post Caesaris necem deducti erant, quos maxime a Cicerone dici existimo. Cod. autem Vat. quod habet *agriis coloniis*, non minus recte nostra ratione videtur posse explicari.

esset, quo milites veterani deducti essent, qui contra legem Iuliam possideretur, ut is militibus veteranis divideretur (Cic. Phil. V, 19, 53). Nam acta Caesaris etiam ipso interfecto rata manserunt.

Quid igitur? quaerat aliquis, nihil prorsus ex illa superiore lege agraria videtur esse immutatum? In iis quidem, quae de condicione colonorum et de agro ad dividendum comparando scripta erant, nihil existimo, in quibus rebus valuit vetus lex Iulia. Sed lata est primum rogatio de agro publico extra Italiam dividendo, de quo nihil in priore lege scriptum fuisse diximus; deinde in administratione rei nonnihil aliter fuisse constituendum intelligo. Est etiam aliqua de ea re significatio ex iis epistolis Ciceronis, quibus iis, qui a C. Caesare ei negotio praefecti erant, familiares suos eorumque commoda commendat. Tres autem homines, qui ei negotio praesint, commemorat Epist. XIII, 4 et 5 et 7 et 8, Q. Valerium Orcam, M. Rutilium, qui in Italia, Cluvium, qui in Gallia agros dividebat. Quartum nominat ad Att. XVI, 16 Cn. Plancum, cui, cum agro Buthrotio in Epiro dividendo praeesset [1]), Attici sui causa Buthrotiorum rem commendat. Quintus accedit Ti. Claudius Nero, imperatoris Tiberii pater, quem Suet. Tib. 4 narrat ad colonias quasdam deducendas a Caesare missum esse in Galliam [2]). Ex his cum M. Rutilius et Cluvius ignoti sint, Valerium fuisse scimus legatum pro praetore, Plancum praetorem designatum, Claudium pro quaestore. De potestate autem iis permissa aliquotiens Cicero in epistolis illis non sine invidia aliqua talia iactat *susceptum negotium — ex voluntate Caesaris — gerere possis* (Ep. XIII, 5, 1), *ager, qui Caesaris iussu dividatur* (ibid. XIII, 5, 3), *tibi negotium datum esse a C. Caesare, non iudicium praeclare intelligo* (Ep. XIII, 7, 1), *ei negotio te praeficere* (ad Att. XVI, 16, 5), alia similia. De potestate, quae proprie dicitur, habet nihil, de negotio tantum delato, de munere. Ex quibus hoc intelligendum esse puto, quod Cicero in uno Valerio nominat, fuisse in omnibus, ut legati essent Caesaris et sic praeessent agris dividendis et intra Italiam et extra eam. Vigintiviros igitur illos, de quibus in superiore lege scriptum fuerat, quorum potestas aliquanto ante exierat, intelligimus non esse refectos, sed eorum potestatem ad unum Caesarem esse delatam, qui dissimiliter ac Sulla dictator aliquando, suo iudicio per legatos colonias deducendas curaret. Atque id necessarium adeo videri debuit Caesari. Sic enim opinari volebat milites, ut suo beneficio, sua largitione agros accepisse sibi viderentur, non publica auctoritate, in eiusque salute suarum quoque possessionum ius contineri arbitrarentur. Denique in ratione possessionum nonnihil

1) Eo enim cum destinasset Caesar coloniam, postea deducta et constituta est ab Augusto.

2) Ipsa Suetonii verba haec sunt: *Pater Tiberii, quaestor C. Caesaris, Alexandrino bello classi praepositus, plurimum ad victoriam contulit. Quare et pontifex in locum P. Scipionis substitutus et ad deducendas in Gallia colonias, in quis Narbo et Arelate erant, missus est.*

potest videri esse mutatum. Videbimus enim infra, possessiones Sullanas a Caesare esse divisas, quamvis nonnulli homines, in iisque Cicero ipse pro iis niterentur (vide p. 303). Quare confirmatae hae quidem nequaquam sunt, sed tamen pro aequitate Caesaris pecuniam possessoribus datam esse arbitror [1]).

Venio ad id colonorum genus, qui intra Italiam deducti sunt, qui fuerunt omnes milites. In quibus quid egerit Caesar, significat Dio XLIII, 50 πολλὰς μὲν γὰρ καὶ ἄλλας ἐν τῇ Ἰταλίᾳ καὶ ἔξω πόλεις, τὰς μὲν ἀνῳκοδόμησε, τὰς δὲ καὶ ἐκ καινῆς κατεστήσατο, idemque Antonium in funere Caesaris sic dicentem facit ἀποικίας μείζους ὧν ἐκεῖνοι (οἱ πάλαι βασιλεῖς) πόλεων ἐβασίλευσαν κατεστήσατο. In quibus rem paulo existimo esse auctam, illud certe, quod ait intra Italiam multas a Caesare conditas esse colonias. Qui quamquam volebat consuli veteranis militibus, multum tamen aberat a crudelitate Sullana aut ea, qua triumviri paulo post totius Italiae iura permiscuerunt. Qui quid voluerit, exponit Dio Cass. XLII, 54 init., qui, cum milites ante bellum Africanum suscipiendum seditionem movissent, sic ait de Caesare, eum et de publicis et de suis possessionibus agros divisisse militibus, non ut coniunctim deduceret, sed ut, separatis iis et in diversis sedibus constitutis, prospiceret, ne aut ceteris incolis essent molesti aut rursus seditionem excitarent [2]). Quod ne quis existimet aut tum necessarie ad distrahendos milites esse promissum nec postea servatum, aut in illa una re excogitatum, aliter factum in ceteris, accuratior eiusdem rei testis accedit Appianus bell. civ. II, 94 δώσω δὲ καὶ γῆν ἅπασιν, ἐκτελεσθέντων τῶν πολέμων οὐ, καθάπερ Σύλλας, ἀφαιρούμενος ἑτέρων, ἣν ἔχουσι, καὶ τοῖς ἀφαιρεθεῖσι τοὺς λαβόντας συνοικίζων καὶ ποιῶν ἀλλήλοις ἐς ἀεὶ πολεμίους, ἀλλὰ τὴν τοῦ δήμου γῆν ἐπινέμων καὶ τὴν ἐμαυτοῦ καὶ τὰ δέοντα προσωνούμενος, ex quo apparet, agros illos post bella civilia divisos esse. Idemque testatur, universi temporis iudex, Sueton. Caes. 38 *assignavit et agros, sed non continuos, ne quis possessorum expelleretur.* Ubi vides simul causam veram significari, cur totas urbes et universas regiones militibus Caesar dividere noluerit, quod nec clementia eius ferebat nec tutum sibi esse arbitrabatur, Italorum animos vel damno possessionum vel damni metu ab se abalienari, a quibus certum erat odium, a militibus incerta beneficiorum memoria.

Ex quibus intelligendum est, Caesarem, si quid agri in coloniis et municipiis esset, aut emptum aut recens publicatum aut nondum possessum, id militibus suis divisisse; idque con-

---

1) A quibus possessionibus discernendae sunt diligenter venditiones et assignationes Sullanae, quas Caesar, quo firmiores essent suae, ratas tum quoque esse volebat, ut voluerat antea. Vide Cic. Epist. XIII, 8.

2) Ipsa eius verba haec sunt: καὶ χώραν ἔκ τε τῆς δημοσίας καὶ ἐκ τῆς ἑαυτοῦ δὴ πᾶσι σφίσιν ἔνειμεν, ἄλλους ἄλλῃ καὶ πάνυ πόρρω ἀπ' ἀλλήλων ἀπαρτήσας, ὥστε μήτε τοῖς ὁμοχώροις σφᾶς φοβεροὺς μήτ' αὖ πρὸς νεωτερισμὸν ἑτοίμους, καθ' ἓν που κατοικοῦντας, γενέσθαι.

firmant, quae ab eo acta esse narrantur. Constat enim ab eo agrum Volaterranum, quem Sulla publicatum non assignaverat, esse divisum [1], in quo Cicero Ep. XIII, 5 Curtii cuiusdam, qui a Caesare in senatum lectus sit, bona excipi vult, ut non dividantur. Quod certe fieri non potuit in eo agro, in quo colonia condebatur, cuius territorium continuum esse oportebat [2]. Alterum exemplum hoc est. Cicero Phil. IV, 2, 4 de Antonio, quem notum est Brundisii, cum legiones ex Graecia traiectae non obedirent, aliquot milites supplicio affecisse, sic dicit: ***se recipiebat*** (Romam) ***cruentus sanguine civium Romanorum, quos Suessae, quos Brundisii occiderat.*** Alterutrum igitur debet esse, ut aut coloni Suessae fuerint occisi aut milites ex iis legionibus, quae ex Graecia traiectae erant. Hoc quidem non videtur probabile, quia legiones illae cum Brundisii constitissent, profecto demum Antonio iter in Galliam susceperunt. Iam si colonos Caesaris Suessae fuisse existimamus, manifestum est, quomodo Caesar plerosque milites deduxerit. Nam Cic. Phil. XIII, 8, ubi eadem res narratur, Suessam dicit ***lautissimum oppidum, nunc municipium, honestissimorum quondam colonorum*** (nam colonia Latina superioribus temporibus fuerat), unde apparet, Suessam, cum municipium esset, eo, quod ager ibi divideretur, non esse factam coloniam; emptum esse opinor agrum [3].

Pecuniam autem ad hos sumptus necessariam aut multae nomine exegerat ab iis, qui a Pompeianis partibus steterant, aut ex agrorum auctionibus conficiebat. Nam Dio XLIII, 47 ait τοὺς χώρους τοὺς δημοσίους, οὐχ ὅτι τοὺς βεβήλους, ἀλλὰ καὶ τοὺς ἱεροὺς πάντας ἐς τὸ πρατήριον ἐσῆγε καὶ ἀπεμπόλει τοὺς πλείονας, quod aut ad eos agros pertinet, qui militibus dividi non poterant, ut mons Gaurus, salicta ad Minturnas, via Herculanea, aliaque, quae venire iusserat etiam Servilius (Cic. de leg. agrar. II, 14), aut ad eos, qui extra Italiam erant, quo colonos deducere nollet Caesar [4]. Ex quibus quae pecunia redierat, ea alii agri ad dividendum apti emebantur.

1) Testis est Cicero in Ep. XIII, 5, 2 ***minime convenit ex eo*** (i. e. Volaterrano) ***agro, qui iussu Caesaris dividatur, eum moveri, qui Caesaris beneficio usus sit.*** Non est igitur factum, quod Cic. Ep. XV, 4 ad Q. Valerium, qui ei negotio a Caesare praefectus erat, scripserat, ut is, si fieri posset, totum agrum Volaterranum, cui Caesar in primo suo consulatu pepercisset, etiam tunc liberaret.

2) In libro coloniarum p. 214 ed. Lachm. appellatur quidem *colonia Volaterrana*, nimirum quia corpus quasi colonorum in urbe constitutorum significatur, sed item ibidem nominatur colonia Arretium, quod municipium fuisse constat. Quare item Volaterras municipii iure usas esse censeo.

3) Ipse etiam Appian. bell. civ. III, 12 videtur significare, non novas colonias esse deductas, sed veteres esse suppletas. Sic enim dicit: οἱ τῷ Καίσαρι στρατευσάμενοί τε καὶ ἐς κληρουχίας διῃρημένοι, quod certe dicere non potuit, si peculiares omnes ac novae coloniae essent constitutae.

4) Quamquam certe etiam hoc in iniuria illorum temporum videtur factum esse, ut ii agri venirent, qui possent coli ac dividi, ut ea praedia amplissima, quae Caesar ex auctionibus suis Serviliae, M. Bruti matri, addixit (Suet. Caes. 50), ut ea, quae de bonis Plotianis a Caesare emerat Laberius, quae postea in periculo erant, ne dividerentur (Cic. Ep. XIII, 8, 2).

Quae cum ita sint, quamvis multi deducerentur milites, non tamen mirum est, non multas commemorari colonias illo tempore conditas, nec si quas urbes nominantur, in quas deducti sint milites, inde continuo potest colligi, eas esse factas colonias. Commemorantur autem hae urbes:

Capua colonia suppleta vel iterum constituta. Ibi enim sedes et ex bello civili vacabant, quo exorto Pompeius inde milites conscripserat per Ciceronem, quamquam ii parum prolixe responderant (Cic. Epist. XVI, 11, 3; Caes. bell. civ. I, 14), et ante bellum civile nondum omnes agri divisi fuerant. Eo igitur Caesar milites deduxit confecto bello Hispanico; nam Suet. Caes. 81 ait paucis mensibus ante, quam occideretur Caesar, colonos ibi esse collocatos. Quamquam ne sic quidem omnes agri divisi sunt. Nam etiam postea et Antonius eo novos colonos deduxit et senatus inde praemia militibus Octaviani et D. Bruti decernebat.

Casilinum et *Calatia*, item suppletae, de quibus vide quae supra p. 296 dicta sunt.

Castrum novum in Etruria huc referendum est propter duas inscriptiones saeculo tertio p. Chr. positas apud Mur. p. 1105, 1 et p. 1105, 2 (Orell. n. 1009), in quibus dicitur *colonia Iulia Castro Novo*. Nec ab Augusto esse deductum, eo coniicio, quod Plin. III, 5, 8 non vocat coloniam. Magistratus IIviri cognoscuntur ex Grut. p. 380, 4. At alterum quod *Castrum novum* erat in Piceno, cum vetus colonia civium esset (cf. Madvig. de iure et cond. colon. in Opuscul. Acad. p. 299), etsi etiam *lege Augustea* sive *Augustiana* assignatum esse narratur, non tamen denuo videtur esse deductum, siquidem Plin. III, 18, 110 non vocat coloniam. At in inscriptione apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 527 (Orell. n. 2600) sic appellatur, magistratusque eius IIviri cognoscuntur ex Marin. l. l. p. 608. Nec magis mirum *Crotonem* appellari coloniam apud Mur. p. 1106, 6 (Spon. Misc. p. 161), siquidem item vetus fuit civium Romanorum colonia.

Arretium. Cum Volaterranorum possessorum agros a Caesare divisos esse supra p. 303 demonstratum sit, Arretinorum autem eadem plane fortuna ac condicio narretur fuisse (vide supra p. 275), non videtur dubitandum, quin Arretii quoque, qui superesset ager publicus non divisus a Sulla, a Caesare assignatus sit. Et confirmatur hoc inde, quod Plin. nat. hist. III, 8, 52, cum duo genera Arretinorum discernat, alterum eorum esse dicit *Arretinos Iulienses*, itemque hinc videtur esse explicandum, quod Octavianus patris memoriam ulturus, quos veteranos ex Italia superiore excitaverat, Arretium convenire iussit. Vide Appian. bell. civ. III, 42 [1]).

---

1) Iulienses hos Arretinos a Caesare deductos esse iam vidit Norisius in commentario de Cenotaphiis Pisanis (Venetiae 1681) p. 22. Quamquam in eo errat, quod Fidentes ad eundem Caesarem refert coloniamque Fidentiam Iuliam ibi conditam esse putat. Cf. autem, quae supra de hac civitate dicta sunt in coloniis Sullanis p. 251.

Bovianum, rursus eo loco, quo erat etiam colonia Sullana (vide supra p. 256). Ideo a Caesare quoque frequentatum colonis existimo, quia *Undecumanorum* nominat Plin. nat. hist. III, 17, 107, nec cognomina a numero legionum sumpta inveniuntur nisi in Caesaris coloniis. Cf. infra p. 313.

Cures, vetustissima urbs Sabinorum, de qua sic est in altero coloniarum indice apud Lachm. p. 253 scriptum: ***Ager eius per quaestores est venundatus et quibusdam latercullis quinquagenum iugerum inclusus est, postea vero iussu Iulii Caesaris per centurias et limites est dimetitus***, quae sic intelligenda sunt: Sulla, cum Etruriam ex sedibus suis prope omnem everteret, Curium quoque agrum publicaret: eius pars aut ex senatusconsulto anno 81 a. Chr. aut Caesaris tempore veniit, reliqua pars usque ad illud tempus relicta veteribus possessoribus item a Caesare est assignata, ut Arretinorum et Volaterranorum agri. Utrum constiterit haec, ut ita dicam, colonia necne non discerno, sed Strabo libr. V, 3, 1 Cures κωμίον i. e. viculum appellat, quod nescio tamen, an ad vetus oppidum Sabinum, non ad hos recens deductos milites pertineat. Habuisse certe seviros Augustales, unde de propria republica atque ordine decurionum colligi potest, docet titulus apud Orell. n. 107.

Labicum, vetus colonia Latina, parum postea frequens. Eius mentio fit in inscriptione apud Orell. n. 188 (Mur. p. 1053, 3; Fabrett. p. 540, 388), in qua est ***respublica Lavicanorum Quintanensium***, ut Quintanenses esse putem appellatos a quintanis i. e. legionis quintae militibus ibi collocatis.

Ficulnea, item vetus oppidum in Sabinis, quod Cluverius in Italia antiq. p. 660 ponit eo loco, quo hodie est S. Vasila in via Nementana. Eius agrum, in altero indice coloniarum p. 256 ed. Lachm. scriptum invenimus eadem lege servari qua Curium Sabinorum, ut item videatur publicatus a Sulla, divisus a Caesare esse.

Capena, cuius ager maxime propter fertilitatem praedicatur a Cicerone p. Flacc. 29, 71. De eo Cicero Epist. IX, 17, 2 ***Veientem quidem agrum et Capenatem metiuntur: hoc non longe abest a Tusculano. Nihil tamen timeo***, quae scripta sunt Quintili fere mense anni 46 post bellum Africanum, unde quid voluerit Caesar, apparet, nec quin perfecerit, dubium est. Nam memorabile est, in inscriptionibus saeculi alterius post Christ. exeuntis apud Orell. n. 3688 et 3690 dici ***municipium Capenae foederatum*** sive ***municipium Capenatium foederatorum*** atque in alia apud Orell. n. 3687 ***Capenates foederatos***. Cur tandem foederatum dici putamus? Ea opinor de causa, quod colonia Iulia a Caesare constituta, postquam aliquamdiu seiuncta constitit, deinde cum vetere municipio in unam rempublicam coeluit, quae a magistratibus ex utreque civium genere electis administraretur. Indidem fit, ut in libello coloniarum p. 216 ed. Lachm. ***Colonia Capys***, cuius auctor tamen siletur, commemoretur.

Lanuvium. De eo auctor de coloniis p. 235 ed. Lachm.: ***colonia deducta a divo Iulio***, de qua quae nota sunt, infra in Augusti coloniis referentur.

Ravenna. Ibi Sullanam coloniam fuisse coniecimus supra p. 260, ac cum Caesar, ut paternos veteranos in coloniis collocatos contraheret, eo profectus esse narretur (Appian. bell. civ. III, 42), item eo, ut in ceteros agros a Sullis quondam publicatos, Caesar milites videtur deduxisse. Sed mansisse tamen municipium constat.

Suessa. Ibi fuisse colanos Caesaris supra p. 303 demonstratum est, at infra dicetur rursus in Augusti coloniis.

Veii. De his idem testimonium est, quod paulo supra de Capena; sed accedit auctor de coloniis, apud quem haec sunt p. 220: ***colonia Veios priusquam oppugnaretur, ager eius militibus est adsignatus ex lege Iulia; postea deficientibus his, ad urbanam civitatem adsociandos censuerat divus Augustus.*** Quae etsi obscura sunt nec ullius alius auctoris testimonio confirmantur, fieri tamen potuit, ut turbulentissimis IIIvirorum tempestatibus Veii aut ad D. Brutum senatusque partes deficerent aut postea in bello Perusino ad Antonium, eaque in re etiam oppugnatio urbis accideret. Tum legem Iuliam intelligi oportet hanc ipsam, de qua dicimus.

Capitulum, de quo cf. supra p. 252 in coloniis Sullanis. De eo sic habet auct. de col. p. 233: ***sed postea Caesar limites formari iussit pro merito.***

Volaterrae. De iis satis supra dictum est p. 303 et in Arratio.

Vulturnum, ad fluvium cognominem, vetus colonia civium, deducta ann. 194 a. Chr. De eo auctor de coloniis haec habet p. 239: ***colonia iussu imperatoris Caesaris est deducta***, quod minus ad Augustum quam ad Caesarem pertinere posse censeo.

Asculum Apulum. De eo auctor de coloniis p. 210 et 260: (ager) ***Ausculinus — lege Sempronia et Iulia.*** Atque appellatur ***colonia*** apud Lupul. Itin. Venus. p. 175 (Donat. p. 345, 4) et ***quaestor*** eius apud Grut. p. 427, 4. Nomen proprie esse ***Ausculum*** sive ***Ausclum*** ex nummis demonstravit Romanell. topograph. regn. Neap. II p. 248, ac Plin. nat. hist. III, 16, 105 appellat ***Ausculanos***, coloniam non commemorat.

Salapia, colonia Sullana, ut putamus, de qua auctor de coloniis p. 210: ***Salpinus*** (i. e. ager) ***et quae circa montem Garganum sunt, ... lege Sempronia et Iulia*** [1]), cum quibus cf. quae sunt p. 260 ed. Lachm.

Sipontum, vetus colonia civium, deducta ann. 194 a. Chr., unde colonia appellatur etiam

1) Coniungitur cum Salapino multarum aliarum urbium ager, ***Herdonianus, Arpanus, Collatinus, Teanus*** in Apulia, sed dubium est, num ideo quod item lege Iulia assignatae sint, an quod omnino limites agri iidem fuerint.

in inscriptione apud Gervas. Observat. de inscript. Sipont. p. 4, apud auct. de col. l. l. coniungitur cum Salapia eandemque fortunam videtur subisse.

Larinum. Eius ager in libello de colon. p. 260 dicitur *lege Iulia* assignatus. Sed mansisse tamen municipium ostendit inscriptio apud Orell. n. 142 (Mur. p. 1111, 8); Avell. Opusc. III p. 74 et 73.

Aesernia, vastata bello Marsico, vetus colonia Latina, de qua index coloniarum p. 233: *colonia deducta lege Iulia.* Sed eadem rursus suppleta ab Augusto. Eadem lege, qua Aesernia, assignatus ager narratur in indice colon. p. 260

Sulmonis, quem supra p. 261 coniecimus accepisse etiam Sullanos milites. In eadem fere regione sunt

Aufidena, Anxanum, Cluvia [1]), *Histonii*, quas omnes, cum bello civili a L. Sulla vastatae essent ac partim publicatae, a Caesare militibus occupatas esse credo auctoris illius de coloniis auctoritati p. 259 ed. Lachm. Quas si quis propterea appellatas esse putet colonias nec esse potuisse municipia, magnopere fallatur. Nam etsi Cluviae num ulla monumenta publica extent dubito et Anxanorum modo civitas (apud Orell. n. 1856) et decuriones (apud Orell. n. 4346) commemorantur, Aufidena tamen municipium appellatur in inscriptione apud Torciam (Saggio itinerario Peligno p. 152), Histonii item in duobus monumentis apud Grut. p. 332, 3 (Orell. n. 2603) et Grut. p. 374, 1 (Orell. n. 4052).

Praeter has autem, quae nominantur vel coloniae tum deductae vel urbes colonis frequentatae, non dubium est, quin aliis multis locis Caesar colonos constituerit. Idque potest colligi ex iis, quae Caesare interfecto gesta sunt.

Cum enim appareret, eum dominum Romae et totius orbis terrarum fore, qui milites veteranos Caesaris sibi conciliasset, et Antonius et Octavianus ad eorum favorem colligendum Italiam peragrarunt. Octavianus igitur, eum in Italiam ex Graecia transisset, dum iter Romam facit, magnum militum veteranorum numerum contrahit, antequam Terracinam pervenit (App. bell. civ. III, 12). Deinde eum, inimicitiis cum Antonio exortis, veteranorum animos pertentasset per nuntios ac corrupisset (App. III, 31), Antoniusque Brundisium ad legiones Caesaris ex Graecia traiectas abisset, ipse χρήματα φέρων ἐς Καμπανίαν ᾔει, πείσων τὰς πόλεις οἱ στρατεύσασθαι τὰς ὑπὸ τοῦ πατρὸς ᾠκισμένας [2]), ut App. III, 40 narrat. Idem, cum eum ex decem milibus, quae

1) Apud Lachm. est Clives, sed videtur dici ea urbs, quam Livius IX, 31 dicit *Cluviam*, quam prope Bovianum fuisse demonstrat Romanellius topographia regni Neapol. Tom. II p. 330.

2) Hic quod dicit τὰς πόλεις τὰς ὑπὸ τοῦ πατρὸς ᾠκισμένας, noli putare redargui, quod supra diximus, praeter quattuor illas colonias, quae dictae sunt, nullas esse conditas novas. Eodem fere modo loquitur Cic. ad Att. XVI, 8, qui nominato Casilino et Calatia haec addit: *cogitat* (Octavianus) *reliquas colonias obire.* Sed unam deinde nominat Capuam, et postea ad Att. XVI, 11 extr. *puero municipia*

ex Calatia Casilinoque contraxerat, maxima pars rursus deseruisset, Ravennam profectus ex iis regionibus alios colonos coegit, quos Arretium convenire iussit (App. bell. civ. III, 42). Ex his, quae disputavi, intelligendum est, cum totam Italiam, tum imprimis Campaniam veteranis Caesaris esse frequentatam.

Enarratis iam iis coloniis, quae intra Italiam a Caesare deductae sunt, unum superest oppidum, **Novum Comum**, quo si non rogatore, at auctore et duce Caesare coloni deducti sunt, de quo vel nihil vel brevius dicerem, nisi dissensionem de eo etiam apud recentissimos scriptores esse intelligerem, quorum alii Latinam, alii civium Romanorum coloniam fuisse existimant [1]). Est autem res ita gesta. Cum Raeti, supra Comum habitantes, id oppidum vastassent, Cn. Pompeius Strabo, Magni pater, coloniam ita ibi constituit, ut veteribus incolis, in coloniam ascriptis, ius Latii tribueret [2]). Eo circiter tria milia colonorum addidit C. Scipio, quos item Latini iuris fuisse constat. Iam vero C. Caesari cum rogatione Vatinia Gallia Cisalpina cum Illyrico provincia tribueretur, quia tum bellum Gallicum atque Helveticum imminere videbatur, simul hoc latum est [3]), ut ad firmandos Italiae fines Comum rursus deduceret quinque milia colonorum, ex quibus principes longe erant quingenti Graeci. De iis sic tradit Strabo V, 1, 6 ὧν οἱ πεντακόσιοι τῶν Ἑλλήνων ὑπῆρξαν οἱ ἐπιφανέστατοι· τούτοις δὲ καὶ πολιτείαν ἔδωκε καὶ ἐνέγραψεν αὐτοὺς ἐς τοὺς συνοίκους [4]). Ex quibus iure aliquis collegerit, cives Romanos fuisse in illa colonia, idque videtur confirmare Sueton. Caes. 28 *Marcellus — retulit etiam, ut colonis, quos rogatione Vatinia Novum Comum deduxisset, civitas adimeretur, quod per ambitionem et ultra praescriptum data esset.* Nam *civitas* cum dicitur, plena illa et optima intelligatur necesse est. At Appianus bell. civ. II, 26 probrum in ea re a Marcello cons. Caesari inflictum esse sic accurate narrat: πόλιν δὲ Νεόκωμον ὁ Καῖσαρ ἐς Λατίου δίκαιον ᾠκίκει, ὧν ὅσοι

---

mire favent. Iter enim faciens venit in Samnium, venit Cales, mansit Teani. Mirifica ἀπάντησις *et cohortatio.* Uterque igitur colonias nominat non eas modo urbes, quae novae constitutae erant, sed eas etiam, in quas ascripti erant coloni.

1) Ut vide Drumann. in hist. Rom. III p. 218 et Goettling. hist. reip. Rom. p. 419. Ne Sigonius quidem de antiquo iure Italiae lib. III c. 2 recte videtur de Novo Como sensisse, et recte Madvigius in Opusculis academicis p. 291.

2) Vide Asconium in Cic. Pison. init. (Orell. p. 3).

3) Non traditur illud quidem, una rogatione provinciam Caesari esse datam et Comum coloniam deduci iussam; sed ipsa res sic videtur suadere. De belli metu vide supra p. 276, et plenius Drumann. Caes. p. 216.

4) Perversum prorsus est, quod Goettlingius l. l. dubitat, an pro eo, quod est τῶν Ἑλλήνων, scribendum sit τῶν Ἑνετῶν: sibi enim Graecos illos suspectos esse. Nam etiam posterioribus temporibus Graecas familias Novi Comi fuisse constat. Vide et paulo infra quae a nobis afferentur, et Grosskurd. in interpret. german. Strab. l. l.

κατ' ἔτος ἦρχον, ἐγίγνοντο Ῥωμαίων πολῖται· τόδε γὰρ ἰσχύει τὸ Λάτιον· τῶν οὖν Νεοκώμων τινά, ἄρχοντά τε αὐτοῖς γενόμενον καὶ παρὰ τοῦτο Ῥωμαῖον εἶναι νομιζόμενον ὁ Μάρκελλος ἐφ' ὕβρει τοῦ Καίσαρος ἔξηνε ῥάβδοις cet. Is igitur Latinam coloniam esse dicit, quod in aadem ra narranda videtur confirmare Plut. Caes. 29 init. Νεοκωμίτας γὰρ ἔναγχος ὑπὸ Καίσαρος ἐν Γαλατίᾳ κατῳκισμένους ἀφῃροῦντο τῆς πολιτείας· καὶ Μάρκελλος ὑπατεύων ἕνα τῶν ἐκεῖ βουλευτῶν εἰς Ῥώμην ἀφικόμενον ᾔκισατο ῥάβδοις, ἐπιλέγων, ὡς ταῦτα τοῦ μὴ Ῥωμαῖον εἶναι παράσημα προστίθησιν αὐτῷ καὶ δεικνύειν ἀπιόντα Καίσαρι ἐκέλευε. Quamquam hic quidem atiam de civitate adimenda dicit, ut supra Suatonius, et manifesto duas res confundit. Accedit ad haec locupletissimus omnium testis Cic. ad Att. V, 11, 2 *Marcellus foede de Comensi. Etsi ille magistratum non gesserat, erat tamen Transpadanus. Ita mihi videtur non minus stomachi nostro Gnaeo fecisse* [1]. Quo ex loco quamvis, nisi Appianus et Plutarchus ita testarentur, non constaret, verberatns ille a Marcello magistratum Novi Comi gessisset nec ne, mentio tamen ipsa da magistratu gerendo facta Latinam fuisse coloniam coarguit. Quid igitur statuendum erit? Illud ipsum, quod ab auctoribus traditur, colonism fuisse Latinam, sed quosdam in ea fuisse cives Romanos. Graeci nimirum illi quingenti, quos addidit Caesar, cives Romani facti sunt. Sic narrat Strabo l. l., apud quem quod est τούτοις, ad quingentos Graecos, de quibus etiam deinde dicit, refer. Nec ii certe, non ignobiles domi homines, ascribi voluissent colonis, nisi cives Romani fierent. Exemplo esse potest C. Avianus ille Philoxenus, quom Cic. Ep. XIII, 35 Acilio procons. commendat, quem ait suo beneficio a Caesaro in Novocomenses esse rolatum. Qui cum viris principibus uteretur familiariter, Latinitatem certo sprevisset. Nimirum Vatinia rogationa cum Caesar Novum Comum colonis firmare iussus esset, concessum simul est, ut, si quos vellet, in ea colonia cives Romanos faceret. Id non insolitum fuisse ostendit lex Appuleia, qua cum C. Marius iuberetur colonias condere, ei permissum est, ut ternos cives in singulis coloniis faceret (Cic. p. Balbo 21, 48), item lex Gellia, qua ii cives Romani esse iubebantur, quos Cn. Pompeius de consilii sententia singillatim civitato donasset, quae res L. Cornelio Balbo causa extitit, ut accusaretur. Similo igitur aliquid Caesari permissum est in Novo Como restituendo, qui ita fortasse legem transgressus est, ut plures cives faceret, quam licebat; nam eo refero, quod apud Sueton. l. l. est, Marcellum voluisse civitatem adimere, quae *per ambitionem* i. e., ut plures Caosari cives in comitiis suffragari possent, et *ultra praescriptum* (aliquid igitur

---

1) Scripsi *nostro Gnaeo* ex coniectura, quam prope eandem voluerat Bentivoglius. In codice Mediceo est *nostro Caesari*, quod ne sic quidem defendi posse puto, ut Caesaris nomen h. l. ironice Pompeio dari credam Manutio. Quod autem vulgatur *nostro ac Caesari*, contra grammaticam est. Causam autem, cur Pompeio quoque iniuria Novocomensi illa illata stomachum moverit, recte indicat Manutius.

ea de re erat praescriptum, sed excesserat Caesar numerum) data esset. Illum autem hominem a Marcello contra leges verberatum esse etiam Cicero concedit; nam Latinitas coloniae nullo modo negari poterat, nisi forte, quod in rogatione Vatinia ferenda leges non servatae essent, tota deductio non rata esse debere visa est. Fuit igitur Novum Comum Latina colonia. Ea postea cum omni Gallia Transpadana a Caesare civitatem accepit ac municipium factum est. Nam Plin. III, 17, 124 non recenset inter colonias et apud Grut. p. 376, 5 sunt *municipes Comenses*. Magistratus summi sunt constanter IIIIviri. Cf. supra p. 185 [1].

Caput quintum.

Praecipuam C. Caesaris curam et oportuisse esse et fuisse supra diximus eam, ut militibus suis provideret, quos cum omnes Italia sine iniuria veterum incolarum non caperet, fines eius egressus Galliam Narbonensem et Hispanias coloniis militaribus frequentavit, his potissimum provinciis electis, quia Gallia certe Italiae proxima erat, utraeque autem, a validis et ferocibus populis incultae, coloniarum praesidiis continendae esse videbantur. *Hispanias* igitur, ut hinc exordiamur, Caesar postquam rerum potiri coepit, bis visit. Primum anno 49 a. Chr. cum Pompeii legatos vicisset, usque ad Gades percurrit et conventu Cordubae habito *privatim ac publice* quibusdam civitatibus honores habuit, ut ipse ait bell. civ. II, 21 [2]. Ille quidem tempore nondum colonias videtur deduxisse; nam veteranis, quos secum habebat, opus erat ad alia bella conficienda nec certe, cum nondum unus rempublicam teneret, suo arbitrio eas res administrare ausus est [3]), denique cavendum erat, ne agris adimendis provincialium animos a causa sua abalienaret. Sed rediit Caesar in Hispaniam anno 45, cum Pompeii filios superavit. Quos ubi devicit, constituta iam republica de coloniis recte cogitare potuit, nec quod Dio Cass. XLIII, 39 nihil de ea re commemorat, ideo minus factum esse censeo. Deductae igitur tum sunt hae coloniae:

Hispalis, cognomine Romulensis, ut ait Plin. nat. hist. III, 3, 11. Praecipuus de ea

1) Eodem autem fortasse hoc tempore condita est Tergeste colonia eademque lege ad alterum latus Italiae tegendum. Certe eam circa hoc tempus deductam esse constat. Vide quae infra in coloniis Augusti exponentur.

2) Interpretatur hoc Dio Cass. XLI, 24 ἐτίμησέ τε καὶ ἰδίᾳ καὶ κοινῇ πολλούς. Pertinere hoc imprimis existimo ad civitatem aliis, Latinitatem aliis donatam, ut Dio ipso illo loco singillatim de Gaditanis addit, quos Caesar civitate donavit. At poena potius quam praemium erat, cum coloni in civitates deducebantur.

3) Ut ipsum illud, quod in Gaditanis fecerat, Caesar postea confirmandum curavit a populo Romano: Dio Cass. l. l. καὶ ὁ δῆμος σφίσιν ὕστερον ἐκύρωσεν.

locus est Strabonis III, 2, 1 Μετὰ δὲ ταύτην καὶ τὴν τῶν Γαδιτανῶν ἡ μὲν Ἴσπαλις ἐπιφανής, καὶ αὐτὴ ἄποικος Ῥωμαίων· νυνὶ δὲ τὸ μὲν ἐμπόριον συμμένει· τῇ τιμῇ δὲ καὶ τῷ ἐποικῆσαι νεωστὶ τοὺς Καίσαρος στρατιώτας, ἡ Βαῖτις ὑπερέχει, καίπερ οὐ συνοικουμένη λαμπρῶς. quo loco hoc est, primum Hispalim fuisse ἄποικον Ῥωμαίων i. e. aedificatam a Romanis et coloniam Latinam constitutam, ut modo narraverat de Corduba, quae ann. 152 a. Chr. in bello Celtiberico a Marcello consule aedificata est. Suo tempore emporium urbis, cuius proprium nomen esset Hispalis, manere addit in vetere Latinitatis condicione, in eam urbis partem, quae a flumine remotior esset, Caesaris milites deductos esse. Nimirum in bello Cn. et Sex. Pompeiorum Hispalis cum primum Caesaris praesidium recepisset, deinde seditionem moverat, quare urbs plurimis incolis interfectis capta et male affecta est (Dio Cass. XLIII, 39; Hirt. de bell. Hisp. c. 35) notaturque eius victoriae dies in Maffaeiorum kalendario (apud Orell. Inscript. Vol. II p. 396) a. d. IV Non. Aug. et a. d. V Id. Aug. ann. 45 a. Chr. Ideo Caesar in agris civitati ademptis milites praesidii loco collocavit [1]), qui τιμῇ, ut ait Strabo, i. e. civitate, quam habebant, reliquis antecedebant. Quae cum iam Augusti aetate parum frequens esset, adeo laborare coepit hominum inopia, ut imperator Otho familiarum adiectione subveniret. In inscriptionibus appellatur *Iulia Romulea* apud Grut. p. 255, 1 (p. 257, 12; Reines. p. 309, 26); *ordoque Romulensium* est apud Maff. Mus. Ver. p. 422, 1 (Orell. n. 3724); IIviratus commemoratur apud Orell. n. 3896; Mur. p. 707, 4 (Grut. p. 419, 4) et 736, 5. Nam de IIIIviro apud Murat. p. 200, 3 videtur esse dubitandum.

Itucci, cognomine *Virtus Iulia*, *colonia immunis* (Plin. III, 3, 12). Immunitatem ei ab Augusto potius quam ab Caesare, qui deduxit, datam esse conicio propterea quod nullam coloniam ab Caesare immunem esse factam constat, at constat ab Augusto [2]).

Attubi, cognomine *Claritas Iulia*, item *immunis colonia* (Plin. III, 3, 12). Nummi noti sunt nulli; inscriptiones duae cognomina coloniae confirmant, et aedilem commemorant, apud Mur. p. 1105, 6 et 225, 4 (Orell. n. 666).

Carthago nova (Plin. III, 4, 19) cognomina habebat *colonia Victrix Iulia Nova Carthago*, quae in multis nummis inveniuntur [3]). Consuerat hoc oppidum Baeticae regionis

1) Etiam Isidor. Orig. XV, 1 (p. 1190 ed. Gothofred.) a Caesare Hispalim conditam esse dicit et ex suo Romaeque nomine appellatam. Quarum legionum milites deducti sint, incertum est; nam etsi legio quinta et decima cum Caesare in Hispania erant (Hirt. de bell. Hisp. c. 30), haud scio tamen an dubiae fidei videri debeat titulus apud Mur. p. 1116, 5, in quo milites earum Hispali commemorantur. Ex nummis nihil de condicione huius coloniae colligi potest nec ita appellatur a Ptolem. II, 4, 14.

2) Inscriptio una, ex qua de summo IIvirorum magistratu colligi potest, invenitur apud Mur. p. 711, 8; nummos commemorat Eckhel. Doctr. numm. I p. 24, sed liberae, antequam colonis aucta est.

3) Vide Vaillant. numism. aer. imperat. in colon. municip. et urbibus iure Latio donatis percussa

praesidium esse; itaque etiam Caesar devictis Cn. Pompeii liberis, sed vivo relicto Sexto, denuo muniverat, Sextusque, cum Octaviano bellum inferret, imprimis sibi oppugnandum esse statuit (Cic. ad Att. XVI, 4, 2; Dio Cass. XLV, 10).

Valentia (Plin. III, 4, 20) condita ab D. Iunio Bruto cos. ann. 138 a. Chr. dataque iis, qui cum Viriatho militaverant, deleta postea a Cn. Pompeio [1]). Dubium autem est, utrum ab Caesare an ab Augusto haec colonia condita sit (nam ab alterutro necesse est), quoniam in quibus nummis sit C. I. V. i. e. ***colonia Iulia Valentia***, eos rectius ad Valentiam, Galliae coloniam, referri statuit Eckhel. Doctr. numm. Vol. I p. 60. At in inscriptione apud Orell. n. 2402 videtur appellari ***colonia Iulia Italica Valentia*** at in tribus aliis apud Grut. p. 274, 1—3 duo hominum genera, veteranorum et veterum, distinguuntur.

Tarraco, *Scipionum opus*, ut Plin. nat. hist. III, 21 dicit, quia a Cn. et P. Scipionibus aedificata est, ut Carthaginienses Carthaginem novam condiderant [2]). In bello, quod cum Cn. Pompeii legatis Caesar gessit, urbs ad hunc transierat (Caes. bell. civ. I, 61) ac deinde etiam Augusti studiosissima fuit, qui in ea et octavum et nonum consulatum iniit (Suet. Aug. c. 26) et in bello Cantabrico aliquamdiu aegrotavit (Dio Cass. LIII, 25). Cf. Quintil. VI, 3, 77. Eadem cum Augustus inter deos relatus esset, legatos Romam misit (Tacit. Annal. I, 78), ut Divo Augusto templum extruere liceret, cuius templi imago invenitur in nummis. Cognomina habet in nummis apud Vaillant. I p. 64 et 88, apud Eckhel. Doctr. numm. I p. 57 COL. I. V. T. TARRAC. quae recte explicari ***colonia Iulia Victrix Togata Tarraco*** docet Strabo III, 2 extr.: καὶ δὴ τῶν Ἰβήρων ὅσοι ταύτης εἰσὶ ἰδέας (i. e. qui Romanos mores induerunt) τογάτοι λέγονται; nam alio pertinet, quod Auson. epist. XXIV, 88 Tarraconem appellat *Tyrrhenicam*. In inscriptionibus item, ut in nummis, dicitur C. I. V. T. apud Grut. p. 429, 3 (Mur. p. 2016, 5) et p. 111, 3; simpliciter colonia apud Grut. p. 323, 10 et p. 487, 4. Magistratuum coloniae satis multa extant monumenta IIvirorum, IIvirorum quinquennalium, quaestorum, aedilium. Vide Grut. p. 377, 2

(Paris. 1688) p. 38, 143, 149; sed imprimis Eckhel. Doctr. numm. I p. 41, qui multa de iis habet, quoniam in nonnullis incertum est, quo referendi sint, multumque in ea re viri docti dissentiunt. Inscriptiones quidem et incertae nec multum novi demonstrant. Nam IIviri sunt apud Mur. p. 738, 4 et Orell. n. 630, ubi etiam colonia commemoratur; ***aedilis coloniae*** est in titulo corrupto ac vel interpolato vel ex duabus partibus male coagmentato apud Orell. n. 3040 (Grut. p. 174, 3 et 4; p. 349, 1; Maff. Mus. Ver. p. 466, 15). Praetereo autem hoc loco, quomodo urbs principio ab Hasdrubale condita, deinde a Romanis expugnata sit, de qua re vide Polyb. II, 13; Pomp. Mel. II, 6; Strab. III, 2, 1; Solin. c. 23; Diodor. XXV, 2; Isidor. Orig. XV, 1 extr.

1) Vide Liv. epit. libr. LV et epist. Pompeii ad senatum apud Sallustium.

2) Nec tamen ideo existimandum est, iam tunc coloniam factam esse Tarraconem, nec id Isidor. Orig. XV, 1 (p. 1190 ed. Gothofred.) dicit.

et 395, 10 et 457, 10 et 443, 1 et 430, 1 at 404, 4 at 352, 2 et 355, 4 et 489, 11, cf. etiam p. 411, 9 (p. 412, 1; Orell. n. 2165); *aedilicia ornamenta* apud Grut. p. 407, 5 (Orell. n. 3986); *aedilicii honores* apud Grut. 349, 2 at 622, 9 (Mur. p. 712, 6; Orell. n. 3985), ut non multa sane, quae ad rempublicam coloniae cognoscendam pertineant, in obscuro esse videantur.

Celsa (Plin. III, 4, 24) a Strabone quoque III, 4, 10 appellatur καρουία. Eius nummos habet Vaillant. I p. 40 sqq. et p. 103 et Eckhel. Vol. I p. 44, Augusti et Tiberii omnes, in quibus cognomina sunt haec C. V. I. vel C. I. V. CEL. i. e. *colonia Iulia Victrix Celsa.* Inscriptiones eius extant nullae.

Acci, cognomine *Gemella*; incolas certe Plin. III, 4, 25 *Gemellenses* appellat, additque habere ius Italicum, quo postea auctos esse existimo. Item vocatur in titulis duobus admodum memorabilibus apud Orell. n. 5057 et Grut. p. 271, 6, in quorum illo est *col. Iul. G. Accis*, in hoc *col. Iul. Gem. Accitana*, et in nummis, qui complures sunt Augusti, Tiberii, Caligulae, quorum inscriptio est COL. ACCI. vel C. I. G. A. vel COL. IVL. GEM. ACCI. Impositum est nomen propter duarum legionum veteranos ceteris incolis additos; nam in nummis eius nomina sunt legionis sextae et tertiae [1]).

In *Lusitania* eodem tempore, quo Hispanicas colonias, conditam esse censeo a Caesare

Scalabim, quae *Praesidium Iulium* vocatur, ut ait Plin. IV, 35, 117. Eius praeter unam, in qua *colonia Scalabitana* dicitur, mutilam inscriptionem Mur. p. 1117, 4, et Ptolem. II, 5, 7 nulla memoria invenitur.

Pervenimus ad *Galliam*, quae cum et Italiae finitima esset et modo barbaris erepta, imprimis validis praesidiis firmanda videbatur, nec dubium est, quin Caesar, nisi immatura morte exclusus esset, plures eo colonias deducturus fuerit. Sunt autem omnes constitutae in Gallia Narbonensi et hoc commune habent, quod a nomine legionum, quarum milites colonos acceperunt, appellantur, id quod praeter has in una Italica Boviano factum esse observavimus. Princeps autem longe Gallicarum coloniarum fuit

Narbo Marcius. Deducta ea fuerat colonia civium Romanorum iam anno 118 a. Chr. a Q. Marcio Rege cos., unde cognomen habuit Marcius [2]); tum anno 46 Caesar per Ti. Claudium

1) Sextam legionem, quae Gemina appellatur, cum Caesare in Hispania pugnasse narrat Hirt. de bell. Alex. c. 12 et postea ibidem constitisse docet Tac. Hist. V, 16. Cf. Bart. Borghes. de inscriptionibus Romanis Rheni (Romae 1839) p. 25. Ipsum cognomen Gemella cum alii tum Uckert. in geograph. antiq. II p. 406 minus recte iudicant impositum esse coloniae propter duarum legionum sextarum, Ferratae et Victricis, veteranos deductos.

2) Vide Cic. p. Fontei. 1, 3 et Madvigium de iure et condic. coloniarum populi Romani p. 290. Ceteras, quae quibusdam placuerunt, de nomine eius opiniones, quas vide apud Uckert. geograph. antiq. III p. 409, iam falsas esse constat. *Colonia* autem vocatur etiam a Ptolem. II, 10, 9.

Neronem, imperatoris Tiberii patrem, qui quaestor eius fuerat, novam veteri coloniam addidit ex decimae legionis sibi fidelissimae militibus; nam *Decumanorum colonia* dicitur a Plin. III, 5, 32, itemque *Decumani Narbonenses* commemorantur in inscriptione memorabili apud Maff. Antiq. Gall. p. 70 (Mur. p. 242, 2; Orell. n. 873 et 3682), quae anno 164 p. Chr. posita est L. Aurelio Vero, qui coloniam singulari aliquo beneficio videtur auxisse; nam arserat sub Antonino Pio (Capitol. in eius vit. c. 9); item apud Grut. p. 266, 7 anno 196 p. Chr., et apud Grut. p. 428, 10 est *Decimanus civis et Viennensis.* Quid autem esse dicomus, quod Pomp. Mel. II, 5 init. *Atacinorum Decimanorumque* coloniam appellat? Ipsorum quidem Atacinorum nomen nusquam alias invenitur, sed flumen est Atax prope Narbonem, quod qui accolunt, recte vocantur Atacini [1]), ut indigenae, qui urbem ante coloniam deductam tenuerant, significari videantur. Colonia Romana a Marcio deducta sine dubio parum valida fuerat, quae satis longo temporis spatio attenuata, ita militibus Caesarianis aucta et suppleta est, ut hi eum veteribus colonis coniuncti decumanorum nomen acciperent, indigenae adiecti Atacini appellarentur. Quare in inscriptione nobilissima anni 11 p. Chr., quo decretum coloniae de ara Augusto eiusque genti dedicanda continetur, apud Grut. p. 229, 1 (Millin. Itin. Gall. IV p. 375; Orell. n. 2489), primum communiter *plebs Narbonensis* dicitur, deinde *coloni et incolae* discernuntur, ut tamen communem utrorumque rempublicam eosdemque magistratus fuisse appareat [2]). Decumani autem Narbonenses ubi proprie dicuntur, coloni modo Romani intelliguntur. Cognomina colonis habebat *Iulia Paterna Narbo Martius*; sic enim est in ea quam modo citavimus arae Narbonensis dedicatione *coloni incolaeque col. Iul. Pater. Narb. Mart.*; at in alia inscriptione apud Maff. Antiq. Gall. p. 80 (Grut. p. 630, 12; Mur. p. 1061, 4 et 1111, 7) significatur modo nomen sic: C. I. P. N. M. Paternae autem nomen haud scio an huic, ut Arelatensi, datum sit, quod, quam pater inchoarat, Augustus constituit et auxit. Sed apud Grut. p. 454, 6 (Orell. n. 4241), Grut. p. 424, 12 et p. 426, 4; Maff. Antiq. Gall. p. 62 (Murat. p. 743, 3) additur etiam aliud nomen; nam his litteris significatur C. I. P. C. N. M. i. e. *colonia Iulia Paterna Claudia Narbo Martius*, ut equidem interpretor, sive quod Claudius imperator, ut Lugdunum, ita Narbonem singulari aliquo beneficio ornarat, sive quod ipsi Ti. Claudii Neronis, cuius opera principio

1) Ut P. Terentius Varro, de quo Hieronymus in Chron. Euseb. dicit: *P. Terentius Varro vico Atace in provincia Narbonensi nascitur*; Porphyr. ad Horat. Serm. I, 10, 46 *Terentius Varro Narbonensis Atacinus ab Atace fluvio dicitur.* Narbonam autem ipsam Isidor. Orig. XV, 1 (p. 1169 ed. Gothofred.) refert a propriis colonis, ut ait, conditam esse, ut Marcius cos. urbem non aedificarit, sed frequentarit.

2) Non dico utrosque ab initio habuisse civitatem, qua si uterentur, nullum in republica discrimen esse potuit, sed veteres incolas Latini iuris fuisse censeo. Plura de ea re infra dicentur, ubi de iure coloniarum disputabitur.

constituti erant, memoriam conservare volebant [1]). Simpliciter *colonia Narbonensium* dicitur apud Grut. p. 986, 2 (Orell. n. 2826) et apud Grut. p. 348, 1 (Orell. n. 2258). Ex magistratibus autem commemorantur *IIviri* apud Mur. p. 168, 2 et Grut. p. 496, 3; *praefectus IIvir* apud Grut. p. 61, 5; *aedilis*, *praefectus pro IIviro et IIvir* apud Maff. Aotiq. Gall. p. 56 (Orell. n. 4026; Mur. p. 740, 7); *aedilis* apud Grut. p. 380, 2 et p. 406, 3 [2]).

Forum Iulii. De eo sic oarrat Plin. III, 4, 35 *Octavanorum colonia*, *quae Pacensis appellatur et Classica*. Aedificatam esse orbem eodem tempore, quo Narbonom, legioois octavae militibus dedoctis documento est Cic. Epist. X, 15 et 17. Vocatur colooia apud Ptolem. II, 10, 8 et Tacit. Anoal. II, 63; Hist. II, 14, et III, 43; et *vetus et illustris Foroiuliensium colonia* est apud eund. Agricol. c. 4. Cor *Classica* appelletur, indicat Tacit. Annal. IV, 5 *rostratae naves*, *quas Actiaca victoria captas Augustus in oppidum Foroiuliense miserat valido cum remige*; atque indidem *Pacensis* nomeo repetendum esse videatur. Augustus igitur ad supplementom colooiae remigibus domos et agros assignarat, naves in portu collocarat, quare Strabo IV, 1, 9 dicit: καὶ τὸ ναύσταθμον τὸ Καίσαρος τοῦ Σεβαστοῦ, ὃ καλοῦσι φόρον Ἰούλιον. [3]).

Arelate, colonia veteraoorum sextae legionis sive *Sextanorum*, ut ait Plin. III, 4, 36 et Pompoo. Mel. II, 5 init., eodem tempore coodita quo Narbo (Suet. Tib. c. 4), coloniaqoe appellatur etiam a Ptolem. II, 10, 15. In inscriptione apud Spon. Miscell. p. 165, 1 (Orell. o. 202) dicitur *Col. Iul. Paterna Arelate* idemque scriptum erat in alia apud Millin. Itio. Gall. III p. 407 (Orell. n. 200), et apud eundem Millin. l. l. p. 494 (Grut. p. 448, 5; Mur. p. 1110, 1; Donat. p. 470, 11) *Col. Iul. Pat. Ar.*, apud Grut. p. 469, 3 *Col. Iul. P. Arel.*, semel etiam apud Maff. antiq. Gall. p. 62 (Murat. p. 1109, 6), ubi simul *aedilis*, *IIvir* commemorator, modo

---

1) Maffeius in aotiqoitatibos Galliao selectis p. 65 hanc ci nterpretator *Constans*, quod Aventici cognomen erat, quod ideo mious probo, quia tom idom cogoomen iam Augosti aetate videtur fuisse addendum.

2) Memorabile, qood item ad rempublicam Narboneosem pertioet, quod in arae dedicatione s. l. est anno 11 p. Chr. ab imperatore Augusto *iudicia plebis decurionibus coniuncta esse* i. e., si ipsam Latinitatem soquare, iodicia plebis coniuncta esso cum iudiciis decurionuo, non alios decurionum ac plebeiorum decuriones esse constitutos. Inde apparet etiam, cor plebs imprimis Narbooensiom grati animi testandi causa aram dedicarit. Aliter explicabat Orellius. Qoamquam ipsam rem fateor esse obscuriorem.

3) Ex inscriptionibus nihil de colonia colligi potest; nam *civitatem* modo *Foroiuliensium* commemorari video apud Grut. p. 470, 6. Nummos coloniae, qoos complures ex thesauro Goltziano Harduinus affert, emeotitos esse boc documonto est, quod io uno est *Col. Iul. Octavianorum*, quae falsa olim apod Plin. l. l. fuerat lectio pro eo quod esse oportet *Octavanorum*. Ne aos quidem nummos, quos Vaill. I p. 6 satis alioquin probabili coniectura huc refert, ad Forum Iulii, sed ad Lugduoum pertinere iodicat Eckhel. Doctr. numm. I p. 73.

Col. Iul. Arel., et apud Mur. p. 1110, 4 *col. Arelate*. In reliquis, velut apud Orell. n. 4120 et Mur. p. 1110, 2 et Donat. p. 89, 4 C. I. P. A. significatur. Milites autem a Caesare deducti similiter ac Narbone videntur separatam aliquam rempublicam habuisse; certe apud Grut. p. 257, 6 solos *Sextanos Arelatenses* video aliquid Divae Faustinae dedicare.

Baeterrae (sic enim urbs in inscriptionibus appellatur, et a Ptolem. II, 10, 9 Βαιτέρραι) *Septimanorum colonia*, ut tradunt Plin. III, 4, 36; Pomp. Mel. II, 5. Inter Caesaris colonias retuli et propter nomen legionis deductae coloniae additum et quia ex inscriptione apud Maff. Mus. Ver. p. 418, 5 cognomen ei *Iulia* fuisse discimus. Iuxta coloniam veterum incolarum communitas videtur constitisse, cuius nummi efferuntur ab Eckhel. Doctr. numm. I p. 67, *Septimani*que *Baeterrenses* separatim commemorantur in inscriptione apud Grut. p. 272, 10.

Arausio, *Secundanorum colonia* (Plin. III, 4, 36; Pomp. Mel. II, 5). Inscriptio apud Millin. Itin. Gall. II p. 457 (Mur. p. 714, 6) aedilem commemorat; apud Ptolem. II, 10, 14 vix dubium est, quin coloniae significatio errore exciderit. Kellermannus in Vigil. Rem. n. 219 ad refert etiam titulum militarem, in quo patria militis sic significatur COL. CL. ARA., ab Claudio auctam et suo nomine ornatam esse coloniam suspicans. Ac fuerit sane ita; est enim difficile, aliam urbem, quae cum titulo ille conveniat, reperire.

In *Aegypto* Caesar cum Pompeio superato id regnum constitueret et pacaret, unam coloniam condidisse fertur

Pharon in insula Alexandriae obiacente, a Plin. V, 34, 128, qui eam *coloniam Caesaris dictatoris* appellat. Ceteri auctores, Caesar ipse bell. civ. III, 112; Hirt. bell. Alex. c. 19; Strabo XVII, 1, 6 hoc tantum narrant, a Caesare insulam, cum antea ab Aegyptiis incoleretur, vastatam praesidiumque ad licentiam Alexandrinorum continendam relictum esse. Nec postea usquam haec colonia commemoratur.

In *Paphlagonia* a Caesare deducta est

Sinope, quondam Ponti regum sedes, Plin. VI, 2, 6 [1]. De ea Strabo XII, 3, 11 extr. sic narrat: νυνὶ δὲ (Σινώπη) καὶ Ῥωμαίων ἀποικίαν δέδεκται καὶ μέρος τῆς πόλεως καὶ τῆς χώρας ἐκείνων ἐστίν. Constitit igitur iuxta coloniam Romanam vetus oppidum Graecum, Milesiorum olim florentissima colonia. Ex nummis, qui plurimi extant et urbis Graecae et coloniae Romanae, colligitur hanc a Caesare deductam esse; eum enim ut conditorem usque ad Gallieni tempora in nummis celebrarunt et ab auctumno ann. 45 novam aeram inceperunt, ut illo ipso tempore

---

1) Ceperat eam anno 70 a. Chr. ab Mithridate L. Lucullus, qua re Graeci urbis incolae tantopere laetati sunt, ut ab eo anno novam aeram, quae dicitur, inciperent. Vide Eckhel. Doctr. numm. II p. 392. Sed quod Vaillant. tom. II p. 61 iam tum colonos Romanos Sinopen deductos esse existimat, falsum esse apparet.

coloni constituti esse videantur, cum Pharnaces, cuius bello Caesar in illas regiones evocatus erat, iam biennio ante superatus esset. Nomina coloniae in nummis plerumque sunt C. I. F. S. vel SIN (Vaillant. l. l. I p. 232 et 278; II p. 84) i. e. *colonia Iulia Felix Sinope*, nonnunquam etiam plenius C. I. C. (i. e. *Caesarea*) F. S., in paucis C. I. AV. SIN. (ut in eo quem Vaillant. II p. 61 exhibet), i. e. *Augusta*, quod nomen cum in Hadriani nummo inveniatur, ob aliquo posteriorum imperatorum, non ob Augusto Caesare videtur esse acceptum. Denique inde a Maximini aetate plerumque nummi inscribuntur C. R. I. F. S. i. e. *colonia Romana* cet. Haec docte exposita sunt apud Eckhel. doctr. numm. II p. 391 [1]). Commemoratur autem apud Plin. epist. X, 91 et ab Ulpiano in Dig. L, 15 (de censibus) 1.

In *Ponto* denique a Caesare deducta est

Heraclea. Strabo enim XII, 3, 6 narrat ibi colonos Romanos fuisse, qui partem urbis accepissent, sed Adiatorigem, regulum quendam illius regionis, Antonii iussu ante pugnam Actiacam cum alteram urbis partem sibi subiectam accepisset, Romanos omnes subito oppressos occidisse. Hoc facinus quin Augustus ultus sit, non debet dubitari; sed coloniam non restitutam et ex Strabone intelligitur et ex Plin. VI, 1, 4, qui nihil eiusmodi commemorat.

Superest tertium coloniarum genus, quod a Caesare conditum esse diximus, quod civilium nominamus. Qui cum secundum militum commoda etiam plebi ac reipublicae prospiciendum esse intelligeret, imprimis iis, qui rempublicam regebant, multitudinem plebis urbanae molestam esse videbat, hominum inopum atque egenorum, quae non modo perpetua materies seditionum esset, sed etiam intolerabilem prope sumptum aerario afferret. Quare eorum, qui frumentum publicum accipiebant, numero deminuto [2]), *octoginta civium milia in transmarinas colonias distribuit*, ut ait Suet. Caes. c. 42 init. Quas autem dici putemus colonias transmarinas? Non opinor eas, quae sunt in Hispania aut in Gallia, quo Romani saepius terra pervadere quam mari proficisci solebant, sed quae sunt in Graecia, in Africa, in Asia, quae terrae omnino transmarinae appellari solent [3]). Atque in Gallia et in Hispania milites, non cives

1) Duas aeras in nummis Sinopensibus inveniri dictum est, qua in re mirum videtur etiam Eckhelio, quod, cum sub primis imperatoribus ea fere usi essent, quae a colonia deducta exorditur, inde ab Elagabalo veterem rursus secuti sunt. Id equidem factum esse puto, quia colonia Romana emortua erat, graecaque urbs honorem per colonos acceptum retinebat, agri adempti memoriam fugiebat.

2) Suet. Caes. c. 4 *ex viginti trecentisque milibus accipientium frumentum e publico ad centum quinquaginta retraxit*, ut tertiam fere partem dempserit.

3) Cf. Cic. in Rull. II, 29, 80 *quid nos Asiae portus, quid Syriae rura, quid omnia transmarina vectigalia iuvabant, tenuissima suspicione praedonum aut hostium iniecta?* Ac Buthrotum colonia, in Epiro sita, transmarina dicitur a Cic. ad Att. XVI, 16, 11.

togatos de plebe urbana collocatos esse intelleximus. Iam universum hoc genus transmarinarum coloniarum a Caesare destinatum modo, non perfectum est; mors enim eius interveniens omnem conatum impedivit bellaque insequentia etiam ea, quae iam incepta erant, discusserunt. Atque una imprimis est colonia, in qua quod Caesar voluerat, quomodo non perfectum sit, persequi possimus. Ea est Buthrotum in Epiro condendum, de quo Cicero in epistolis saepe dicit, cuius causa, quam hoc loco breviter comprehendi oportet, erat haec. Buthrotii enim, quamquam initio belli Pompeiani a Caesaris partibus videntur stetisse (Caes. bell. civ. III, 16), post cladem tamen illam Dyrrhachinam ad Pompeii partes transierunt vel simile aliquid commiserunt, quod Caesarem movit, ut ingentem iis pecuniam imperaret. Quam cum totam illi solvere non potuissent, Caesar agrum eorum proscripsit Gnaeumque Plancum, praetorem designatum, cum Capitone et Cupiennio dividendo praefecit. Quare cum anno 45 homines ad spem agrorum excitati Romam convenire coepissent, Atticus, Ciceronis amicus, et communi Buthrotiorum civitati et suis possessionibus, quas plurimas in Epiro habebat, metuens agere cum Caesare instituit reliquaque pecunia de suo numerata decretum tulit, ut Buthrotii liberarentur. Quae res dum variis moris interpositis agitatur, Caesar interficitur. Cum deinde placuisset Caesaris acta rata haberi consulesque cum consilio de iis cognoscere, causa Buthrotia a consulibus probata Marcoque Planco negotium datum est, ut eos liberaret. Sed is parum ea re videtur motus esse; nam et Ciceronis plures epistolae enixissime ad eum scriptae extent, ne agros metiri pergeret, et cum ne sic quidem quicquam effectum esset, fama percrebruit, eum cum agripetis vi a Buthrotiis eiectum esse, Caesare interfecto iam nihil periculi metuentibus: alii eum pecunia accepta abisse dicebant. Utut fuit, hoc constat, agrarios illos homines, quibus sedes Buthroti destinatae erant, quos Cic. ad Att. XVI, 16, 11 et 5 ait convenire coepisse, mense Iulio ann. 44 a. Chr. mare nondum transisse [1]). Quid autem? Num postea eos traiecisse putamus, cum Brutus et Cassius Graeciam ac Macedoniam occuparent, minime certe ceterum Caesaris adiuvandorum studiosi, veteresque possessores eorum ope freti novis colonis minime cessuri essent? Quae autem Buthrotiae coloniae causa fuerat, eadem fuit omnium transmarinarum, quo inopes illi cives deducendi erant. Nam ne illas quidem duas nobilissimas urbes, quas Caesar restituere voluerat, Carthaginem et Corinthum, ab eo esse constitutas, sed ex actis eius perfectas a IIIviris reipublicae constituendae, auctas deinde esse ab Augusto infra demonstrabimus, eaque ratio fuit, ut eas non hoc loco, sed inter Augusti potius colonias referendas esse existimaremus.

---

1) Tota haec Buthrotiorum causa, ut a nobis exposita est, colligi potest ex Ciceronis epistolis ad Atticum XVI, 16 sqq. Cf. eundem ad Att. XII, 29; XVI, 2 et 4.

Caput sextum.

Accedimus iam ad aetatem illam turbarum domesticarum ac civilis sanguinis plenissimam, quae quicquid tulit in re agraria, ea etsi ad plebis egenae utilitatem videbantur esse suscepta, necessario tamen ad militum magis commoda spectabant. De quibus certe statuere difficillimum est: cum enim leges non semper servatae sint, sed necessitati fere obtemperatum, fit, ut neque ex iis, quae antecedunt, neque ex iis, quae sequuntur, quicquam recte colligi possit. Octoginta igitur milia civium egenorum supra diximus convenisse Romam, paratos ad proficiscendum in colonias, cum Caesaris caedes, ut alia omnia, ita hanc rem disturbavit ingentemque hominum multitudinem suis commodis ex rerum commutatione timentem destituit. Qui cum non ipsi modo metuerent, sed etiam iis, qui reipublicae praeerant, metum praeberent, Antonius et Dolabella consules paucis diebus post caedem Caesaris eos, qui ad spem coloniarum convocati essent, urbe excedere iusserunt [1]), se commodis eorum consulturos esse polliciti. Quod etsi vellent, quam praestare non potuerint, supra demonstratum est. Quare Octavianum, simul atque ex Graecia in urbem advenit, cum Antonio de patria pecunia sic agentem facit Appian. bell. civ. III, 17: Οἶσθα δ' ὅπως ἔχει μοι καὶ τὰ οἴκοι, δαπάνης τε ἐς τὴν διανομήν, ἣν ὁ πατὴρ ἐκέλευσε τῷ δήμῳ δοθῆναι, καὶ ἐπείξεως ἐς αὐτήν, ἵνα μὴ βραδύνων ἀχάριστος εἶναι δοκοίην, μηδ' ὅσοι καταλεχθέντες εἰς τὰς ἀποικίας ἐπιμένουσι τῇ πόλει, δι' ἐμὲ τρίβοιντο. Cui sic respondet Antonius c. 20: Ἐπεὶ καὶ σὺ τὰ λοιπὰ (τῶν πατρῴων χρημάτων) φέρων οὕτως ἀντὶ τοῦ δήμου τοῖς δυσχεραίνουσιν, ἂν σωφρονῇς· οἱ μὲν γὰρ ἐκπέμψουσιν, ἂν σωφρονῶσι, τὸν δῆμον ἐπὶ τὰς ἀποικίας [2]). Nec vero Augustum, quamvis vellet, colonos illos traiicere potuisse existimo; siquidem vel illud obstabat, quod pecunia, qua maxima ad eam rem opus erat, adeo carebat, ut ne legatum quidem patris commode solvere posset. Quae cum ita essent, M. Antonius plebis favorem captans, ut aliquod solatium hominibus egentibus si non ferretur, at ostenderetur, auctor fuit, ut lex agraria promulgaretur, quae etsi odio optimatium sublata nullum effectum habuit, ne quid tamen in serie actionum agrariarum deesse videatur, hoc loco explicanda est.

Tulit eam legem L. Antonius, Marci, qui deinde IIIvir reipublicae constituendae fuit, frater, tum tribunus plebis, initio mensis Aprilis. Hoc enim cum ex ipsa legis causa intelligi

---

1) Hoc enim videtur significare Dio Cass. XLIV, 51 ἐν δὲ τῷ τότε παρόντι τούς τε κληρούχους τοὺς ὑπὸ Καίσαρος προκεχειρισμένους ἐς τὰς ἀποικίας ἔστειλαν cet. Quem locum minus recte ad ea modo Fabricius refert, quae Dio XLII, 54 de militum coloniis dixerat; nam plebem inquietam tum non minus intererat placari. Illud vero Dio minus accurate tradit, quod homines in colonias missos esse ait.

2) Ex his non debet colligi, sua pecunia Caesarem deducturum fuisse plebem, sed certe publica. At Octavianus, qui tunc sine potestate erat, si patris acta servari vellet, ex sua pecunia colonos traiicere coactus erat. Quare Antonius respondet rectius id fieri publico et consilio et sumptu.

possit, tum certo argumento constituitur. Etenim cum ad plebem demorendam rogaretur, quam Antonius verebatur, ne Octavianus paterni nominis memoria et liberalitate sibi conciliaret, paulo postquam Octavianus paternam potentiam appetere coepit, ferri par erat. Octavianus autem extremo mense Aprili in urbem advenit [1], cum ineunte eodem mense ad Italiam appulsus continuo omnium animos sibi devincire incepisset. Atque eo ipso tempore M. Antonius iam Roma aberat, Italiam peragrans ad colonias, quae fratris lege iussae erant, deducendas [2]. Causa legis externa quae fuerit supra dictum est; verum etiam in ipsa lege Iulia, qualis sub dictatore Caesare fuerat, erat, cur mutanda tunc esse videretur. Etenim Caesari ut dictatori perpetuo, qui cum summo imperio in republica esset, omnem agrorum dividendorum curam mandatam fuisse supra demonstratum est: quo occiso quis agrorum divisioni praeesset? Cetera eius acta, quae consules cum consilio probassent, etsi consules exequerentur, eosdem tamen agros dividere ab instituto vetere abhorrebat. Opus igitur erat lege, quae Caesaris acta agraria quasi suppleret. Ac talem fuisse Antoniam ex signis haud dubiis intelligi potest. Nam equitibus quidem Romanis equo publico et tribunis militum, quibus ab Antonio agros datos esse inveniemus, si acta omnino Caesaris rata haberentur eiusque bellis probarentur, et par erat consuli et Caesar, si diutius vixisset, eadem praemia tribuisset. Deinde quod Antonius de paludibus Pomptinis scripsit, idem voluisse Caesarem certum est, de agro, qui in Sicilia dividebatur, probabile. Illud vero apparet, omnes assignationes priores et Sullanas et Iulias hac lege esse confirmatas neque id non commemorari a Cicerone mirum nobis videri debet, quod si non esset factum, opportunissimam occasionem exagitandae legis invidiaeque conflandae praebuisset.

Verum ut ad singula eius capita veniamus, primum cum quaeritur, quibus hominibus ager divisus sit, tria maxime genera inveniuntur. Primum est plebis Romanae; hanc enim, sive eius nomine etiam milites complectebatur sive his alia ratione consulere volebat, in lege appellatam esse intelligitur ex iis, quae de colonis Antonii in agro Campano collocatis dicit Cic. Philipp. II, 39, 101 *Agrum Campanum, qui cum de vectigalibus eximebatur, ut militibus daretur, tamen infligi magnum reipublicae vulnus putabamus: hunc tu compransoribus tuis*

---

1) Cicero ad Att. XIV, 10, 3 eum ait Neapolim advenisse a. d. XIV Kal. Maias, et eodem libro ep. 11, 2 modo eum venisse in Cumanum, quae epistola a. d. XI Kal. Maias videtur esse scripta, quia epist. 10 non potest cadere a. d. XII Kal. (nam non dixisset Cicero Octavianum a. d. XIV Kal. Neapolim advenisse, si is dies fuisset hesternus); epist. autem 12 a. d. X Kal. scriptam esse constat. Vide eam §. 3.

2) Cic. Philipp. II, 39, 100 *O praeclaram illam percursationem tuam mense Aprili atque Maio, tum cum etiam Capuam coloniam deducere conatus es* sqq. Itaque Cic. ad Att. XIV, 17, 2, quae epistola a. d. IV vel III Non. Mai. scripta est, Antonium Capuae esse significat.

et collusoribus dividebas; quo loce etsi compransores et eellusores invidiae faciendae causa nominantur, militum tamen nullam in lega mentionem fuisse apparet neque emnine, si de militum commedis ageretur, Cicare tantopere in illam agrerum divisienem invehi ausus esset. Itaque quie plebi agros diviserot, triginta quinque tribus L. Antonio, legis auctori, statuam eqnestrem inauratam in fero pesuerunt potreneque inscripsernnt [1]). Alterum genus erant equites Remani eque publico, qui item L. Antonie, ut patrene suo, statuam pesuerunt [2]). Equestris enim erdinis favorem cum Antenius, ut Caesar olim, sibi comparara vellet, occasienem sumpsit vel ab iis equitibus, qui in Ceesaris exercitibns stipendia fecerant, pre quibus stipendiis praemie afficiendi esse videbentur, vel ab aere herdearie, quod eum inter bella civilia selvi nen petuisset metuendumque esset, ut rursus ortis dissensienibus demesticis penderetur, agris dividendis cempensare velebat [3]). Tertium denique genus erant ***tribuni militum, qui in exercitu Caesaris bis fuissent***, ut Ciceronem Philipp. VI, 5, 14 dicere iubet Geratenius. Ac crederem, si ullo mede explicasset, quales illi tribuni bis vel iterum essent, aut si demenstrori pesset, qui bis fuissant, certum annerum numerum militasse [4]). Hec enim necessarium est, quie Cicere ipse sic pergit ***Quis est iste ordo? multi fuerunt in multis legionibus per tot annos.*** Nunc, cum in emnibus codicibns sit ***duobus fuissent***, melius videtur

---

1) Summns erat is henes, euius exsmplum veteribus temperibus mibi ignetum est, pestes nen habitus nisi imperateribus aut imperaterum filiis. Vide Grut. p. 246, 8 (Orell. n. 3065); Fabrett. p. 395, 275 (Orell. n. 3064); Fabrett. p. 684. Ac cum illud esset magnum statuam accipere a triginta quinque tribubus, tum intolersbilis intemperantise indieium erat, quod pstrenum se dici passus erat e populo Romano, idqne ipsnm vahementissime Cicero exagitat Phil. VI, 5. Cf. VII, 6, 16.

2) Cic. Philipp. VI, 5, 13 ***Altera*** (status posita est) ***ab equitibus Romanis equo publico, qui item ascribunt patrono***, et VII, 6, 16 ***Est enim*** (L. Antonius) ***patronus centuriarum equitum Romanorum***, ubi ***centurias*** sddit, quia sos modo equites, qni equo publico erant, dicere velebst.

3) Sic ceniicit probabiliter C. G. Z. patruus in quaestiene de equitibns Romanis et equestri ordine, inserta disputationibns scademiae regiae Berolinensis ann. 1840. Vide ibi p. 37 et 47.

4) Tribnni enim militares eum vel s pepule vel ab imperstore flerent in idem tempus, in quod provinela et exarcitus imperstori decernebatur, principio et plerumque annui erant. Cum prorogabetur imperium, dubinm est, ntrum vetsres tribubi iterum esse eeeperint, an munns continusrint. Iterum factos esse in libers republica demenstravit sxemplis nonnullis Garaton. ad Cic. l. l. Sed item fiebat sub imperstoribus, nt Q. Veturins tribunus militum II dicitur apud Grut. p. 485, 1; C. Iulius trib. militum bis ibid. p. 424, 8; alius ibid. p. 568, 5; alins apud Kellerm. Vig. Rem. n. 262. Qnamquam spud Csesarem imperstorsm, eui imperium in quinquennium decretum, deinde in slterum quinquennium prerogatum esset, si tribunis vateribus munus iteratum esse statuas, qui bis fuersnt tribuni militum, fuerant per decem annos. Tet autem annos appellsndos esse pntavi, quia qui equo merent, iis decem stipendia facienda esse constat.

esse emendari *decem annis fuissent.* Duplex autem omnino discernendum est tribunorum militarium genus. Primum enim nobiles iuvenes a tribunatu militari honorum ordinem auspicabantur, qui emeritis stipendiis ad munera urbana senatoriasque dignitates ascendebant [1]); deinde inferioris fortunae homines, equestri fere ordine, ad tribunatum perveniebant, qui si vita militari delectarentur, imprimis idonei erant ipsumque tribunorum robur efficiebant. Iam priori illi generi consulebatur ab imperatore adiuvando in honoribus petendis, non agris, quibus non egebant, dividendis. Nec altari huic generi, in quo plurimi essent homines locupletes, secundum veterem morem agri dari consuerant. Quo ut indigerent cum posset fieri, in Caesaris exercitu plurimos fuisse existimo tribunos militum genere et opibus non nimis insignes, qui virtute et industria adepti essent, quod aliis fortuna sola contingere solebat. Huic igitur hominum generi, ei, qui peritum belli exercitum habere vellet, maxime necessario Antonius prospiciebat, sed alia tamen ratione prospiciebat ac plebi, qua de re paulo infra dicetur [2]).

Quaeritur enim deinceps, quos agros lex Antonia dividi iusserit. Ea, quae extra Italiam sita erant, nec in potestate tum erant Antonii et longioris morae videbatur eo colonos deducere, quare Italiae fere finibus eius largitio continebatur. Itaque dicit Cic. Phil. XI, 6, 13 *Nuculam et Lentonem, Italiae divisores lege ea, quam senatus per vim latam iudicarit;* et V, 3, 7 *hic* (M. Antonius) *omnem Italiam moderato homini, L. Antonio, dividendam dedit.* Nominantur in Italia paludes Pomptinae, quas cum Caesar siccare constituisset [3]), Antonius, tamquam iam aptae essent ad agriculturam, plebi dividebat [4]), tum ager Campanus, qui, quamquam eius divisio a Caesare continuata erat, ne tum quidem expletus erat [5]). Tum etiam in Etruria agros divisos esse haud dubie intelligitur ex Cic. Phil. XII, 9, 23; denique Cicero ipse suis iam praediis timere coepit, ne Tusculanum, quo nullum ei carius erat, in divisionem veniret, quare de ea re agere coepit cum L. Antonio [6]). Quae cum ita sint, scriptum fuisse in-

1) Tales erant illi, quos Caesar ipse significat bell. Gall. I, 39, cum ab iis metum belli Germanici ortum esse ait.

2) Non recte Drumann. hist. Rom. I p. 115 ad hanc legem agrariam refert, quod etiam Ianus medius i. e. argentarii L. Antonio statuam posuisse narrantur a Cic. Phil. VI, 5, 15 et VII, 6, 16. Nam et priore loco Cicero horum argentariorum causam a ceteris disiungit diversamque fuisse significat, et aliis locis, ut VI, 4 et XI, 6, 14 commemorat de novis tabulis, ut propter has Antonius ab argentariis cultus esse videatur.

3) Vide Sueton. Caes. c. 44; Plutarch. Caes. c. 58.

4) Auctores sunt Dio Cass. XLV, 9; Cic. Phil. V, 3, 7.

5) Vide Cic. Philipp. II, 39, 101, quem locum supra attulimus, et XI, 8, 25. Ibique M. Antonius dividendi causa versabatur (Cic. ad Att. XIV, 17, 2) et Casilinum coloniam condidit.

6) Vide Cic. ad Att. XV, 12 et XVI, 3. Diversa erat causa fundi Casinatis M. Terentii Varronis,

telligo in lege Antonia primum de omni agro, qui publicus populi Romani superesset, dividendo, deinde, ut olim in Iulia, de emptione, addita fortasse vendendi aliqua necessitate, imprimis si quis a Pompeii olim partibus stetisset. Quare Cicero Antonium criminatur in privatorum possessiones invasisse et Phil. XIII, 18, 37 L. Antonium *aequissimum agri publici et privati decempedatorem* nominat. Verum non modo extra Romam agri assignabantur, sed etiam in ipsa urbe quae loca publica supererant, ea dividebantur. Quid enim aliud significat Cic. Philipp. V, 7, 20, qui sic ait L. Antonium animo cogitasse: *Hic pecunias nostras aestimabat, possessiones notabat et urbanas et rusticas; huius mendicitas aviditate coniuncta in fortunas nostras imminebat, dividebat agros, quibus et quos volebat; nullus aditus erat privato, nulla aequitatis deprecatio. Tantum quisque habebat possessor, quantum reliquerat divisor Antonius.* Quod quidem pertinere arbitror (nam plebi certe urbanae domus inutiles erant, nec equitibus Romanis equo publico tam utiles, quam fundi rustici) ad tribunos militares, quibus Cic. Phil. VI, 5, 14 ait *Semurium* a L. Antonio divisum esse. De quo agro utut iudicabitur [1]), maxime tamen suburbanum vel in urbe potius ipsa fuisse constat; addit enim Cic. l. l. *Campus Martius restabat, nisi prius cum fratre fugisset.* Quare hunc agrum, si ita appellari licet, minus ad colandum divisum esse arbitror, quam ad habitandum, idque significat Cic. Phil. VIII, 3, 9 *In hac autem tam dispari ratione belli miserrimum est, quod ille latronibus suis pollicetur primum domos: urbem enim se divisurum confirmat: deinde omnibus portis, quo velint, deducturum.* Quod etsi consecuturum esse M. Antonii victoriam dicit, respicit tamen ad legem prius ex eius auctoritate latam. Ita cum in Italia lex Antonii versaretur, externas terras non videtur attigisse, nisi forte Siciliam; nam ibi agri Leontini tria milia iugerum medico suo, duo milia Sex. Clodio rhetori assignasse accusatur a Cic. Phil. II, 34, 84 et II, 39, 101, et haec quidem immunia. Leontinos, qui decumani erant, cur potissimum ex Sicilia elegerit, nescio, sed deliquisse in Caesarem ideoque publicatos esse suspicor [2]).

De condicione agri assignati hoc constare poterit, non amplius servatum esse, quod Caesar lege sua praescripserat de viginti annis, intra quos non liceret agros acceptos vendere, qua de re supra dictum est p. 280, quod cum Brutus et Cassius ad militum Caesarianorum

---

qui cum a Pompeio stetisset, hoc praedio multatus erat, quod M. Antonius ex auctione compararat. Vide Cic. Phil. II, 40.

1) Commemoratur enim praeter hunc locum semel modo apud Macrob. Saturn. I, 10 *Cato ait, Larentiam meretricio quaestu locupletatam, post excessum suum populo agros Turacem, Semurium, Lintirium et Solinium reliquisse*; ubi fuerit, nescitur.

2) Nam Siculas etiam nonnullas civitates rem habuisse cum Caesare colligi potest ex Cic. ad Att. XV, 2, 4, ubi Tyndaritanorum causa commemoratur.

gratiam colligendam sustulissent, L. Antonius parcior esse non potuit. Equitibus Romanis qui divisus est ager, dubito, utrum privatus factus sit necne pendetque eius rei iudicium ex eo, utrum ius pro stipendiis emeritis an pro aere hordeario non soluto satisfactum esse statuas. Restat denique, ut exponamus, qui dividendo praefuerint. Quos VIIviros fuisse multis locis Ciceronis constat [1]). Nominat Manutius ad Cic. Philipp. XI, 6 M. et L. Antonios, Cn. Dolabellam, Nuculam, Lentonem, Mustelam, Tironem, ut duo tantum ad explendum numerum desint. De M. Antonio iam ex iis, quae supra de eius itineribus mense Aprili et Maio per Campaniam factis dicta sunt [2]), colligi potest; de L. Antonio intelligitur ex Phil. VII, 6, 17 ***O dii! quis huius*** (L. Antonii) ***potentiam poterit sustinere? praesertim cum eosdem etiam in agros deduxerit*** [3]); de Dolabella ex Phil. VIII, 8, 25 et XI, 6, 13; de Nucula ex Phil. VI, 5, 14; de Lentone ex Phil. XII, 8, 20 et XIII, 12, 26. De Mustela et Tirone non credo, qui inter compotatores modo et collusores M. Antonii nominantur, non inter collegas.

Hac igitur lege Antonia qui agri divisi sunt? Primum in constitutis iam a Caesare coloniis si quid vacabat, ut Capuae, quo cum M. Antonius contra Ciceronis consilium novam coloniam dissolutis veteribus assignationibus deducere vellet, prope necatus est a veteranis. Sed vere nova colonia collocata est

Casilini, ubi Caesar non multo ante milites constituerat. Cuius territorium dum metitur et quo pluribus largiatur, augere cupit, Capuae territorium minuit (Cic. Philipp. II, 40, 102).

Atque in his et in Leontino agro Antoniae legis largitio constitit; nam in Philipp. XI, 8, 25, cum M. Antonius legatis ad senatum missis [4]) postulasset, ***ut quos ipse cum Dolabella dederint agros, teneant ii, quibus dati sint***, Cicero hoc ita explicat: ***hic est Campanus ager et Leontinus, quae duo maiores nostri annonae perfugia ducebant.*** Verum quicquid hac lege divisum est, certe non mansit. Cum enim M. Antonius ex urbe ad Galliam occupandam profectus esset, continuo Cicero, tum longe in republica potentissimus, eiusque amici agere coeperunt, ut acta et ipsius et fratris rescinderentur. Sublata est igitur haec quoque lex agraria senatus consulto vel ipsis Kalendis Ianuariis, quibus Cicero Philippicam quintam habuit, vel, quod magis credo, biduo vel triduo post, ante prid. Non. Ian., quo die Sconsultum de

---

1) Quamquam ipse hic numerus videtur fuisse insolitus; certe Cic. in Rull. II, 7, 17 non commemorat.

2) Cf. etiam Cic. Phil. XIII, 6, 13; VIII, 8, 25; V, 12, 33.

3) Non confero Phil. V, 7, 20, ubi de lege tantum lata dicitur; sed Phil. XI, 6, 13 ***Antonii*** in VIIviris numerantur, et Philipp. XIII, 18, 37 L. Antonius vocatur ***decempedator.***

4) Non igitur postulabat, ut L. fratris assignationes ratae essent, non ut ceterorum VIIvirum. Quare ipsum cum Dolabella militibus, ceteros plebi agros divisisse suspicor.

legatis ad M. Antonium mittendis factum est [1]. Usus autem est senatus similibus tollendi causis atque olim in legibus Appuleiis et Liviis; nam quod contra auspicia inter tonitrua et imbres latae essent, eas *per vim latas esse* nec populum iis teneri iudicavit [2]. De iis autem, qui lege Antonia deducti erant, sic loquitur Cic. Phil. VI, 5, 14 *Possessores* (novi) *animo aequiore decedent* (de agris assignatis); *nullam impensam fecerant. nondum instruxerant, partim quia non confidebant, partim quia non habebant (unde instruerent).*

Huic legi Antoniae adiungenda esse censeo, quae expulso Roma Antonio belloque exorto senatus magis cupiebat agere quam egit, ut militibus, ex quibus reipublicae salutem pendere intelligebat, consuleret. Qui cum novam legem agrariam nec probaret nec opus esse existimaret, primis diebus anni 43 auctore imprimis Cicerone (Phil. V, 19, 13) decrevit, *C. Pansa A. Hirtius consules alter ambove, si eis videretur, cognoscerent, qui ager in iis coloniis esset, quo milites veterani deducti essent, qui contra legem Iuliam possideretur, ut is militibus veteranis divideretur; de agro Campano separatim cognoscerent inirentque rationem de commodis militum veteranorum augendis.* Addit eandem rem narrans Dio Cass. XLVI, 29 senatum iussisse *statim* eos agros dividi et Octaviani tum senatus causam defendentis militibus veteranis et iis, qui Antonium ante certam diem deseruissent. Sed nihil agri divisum esse constat. Nam cum tres fere menses apparando bello consumpti ac deinde consules in bellum profecti essent, secuta est Mutinensis pugna ac postquam varie de pace actum est, tandem mense Novembri ita inter Octavianum, Antonium, Lepidum foedus convenit, ut in quinquennium IIIviri reipublicae constituendae fierent. Sed una tamen per hoc temporis spatium vel colonia deducta vel urbs aedificata est, in qua deinde colonia constitueretur. Nam cum senatus timeret, ne M. Lepidus et L. Plancus cum legionibus suis M. Antonio se adiungerent, mandatum iis est, ut in Gallia subsisterent ibique ad confluentes Rhodani Ararisque Lugdunum aedificarent. Vide Dion. Cass. XLVI, 50. Haec fuerunt initia nobilissimae coloniae Lugdunensis, de qua suo loco inter Augusti colonias dicetur.

Caput septimum.

Has actiones agrarias, quae superiore capite explicatae sunt, cum populi Romani fortuna graviores casus adductura prohibuisset, eo maiores omnium rerum commutationes his, ad quae

1) Nam Philipp. V, 7, 21 i. e. Kal. Ian. Cicero sperat fore, ut acta Antonii rescindantur; Philipp. VI, 5, 13 i. e. prid. Non. Ian. sic dicit: *Sed haec agrorum assignatio paulo ante, Quirites, L. Caesaris, clarissimi viri et praestantissimi senatoris, sententia dissoluta est. Huic enim assensi Septemvirum acta sustulimus. Iacent beneficia Nuculae, friget patronus Antonius.*

2) Vide Cic. Philipp. XI, 6, 13 et cf. XII, 5, 12; XIII, 3, 5. De tonitribus et tempestate inter comitia obortis maxime dicitur Philipp. V, 3.

iam pervenimus, temporibus effecit. Nam IIIviri reipublicae constituendae cum Roma Italiaque potiti essent, ubi a M. Bruto et C. Cassio, Caesaris interfectoribus, validos iam exercitus in Graecia Asiaque collectos [1]) totumque prope orientem suis praesidiis occupatum esse acceperunt, praecipuam curam sibi habendam esse intellexerunt, ut militem ad pugnandum alacriorem redderent. Ferebat autem iam consuetudo, ut hi praemii loco agros acciperent, qui cum aut pauci aut nulli superessent publici in possessione populi Romani, IIIviri in privatorum hominum possessiones invadere coacti sunt. Neque eam tunc tempora aequitatem concedebant, qua Caesar aliquando usus erat, cum nullo relicto agro publico militibus suis praemia persolvere vellet. L. Sulla, ubi cum privatorum pernicie militibus consulebat, puniebat, quos nocentes esse dicebat, nec iis omnem agrum adimebat, sed parte plerumque certa multabat, C. Caesar, qui privatis nihil nocere cuperet, ex publico quantum poterat largiebatur, invitis nihil adimebat nisi inimicis: IIIviri soli inventi sunt, qui nulla culpa meritis, non interrogatis, num vellent aut quanti vellent, florentissimis Italiae civitatibus demigrandi ex agris suis necessitatem imposuerint.

Optimus harum rerum auctor est Appian. bell. civ. IV, 3, qui postquam de foedere inter IIIviros icto, deque provinciis et tota imperii Romani potestate divisis exposuit, haec addit: *ἐπελπίσαι δὲ ἤδη τὸν στρατὸν ἐς τὰ νικητήρια τοῦ πολέμου, ἄλλαις τε δωρεαῖς καὶ ἐς κατοικίαν δόσεσι τῶν Ἰταλικῶν πόλεων ὀκτωκαίδεκα· αἳ καὶ περιουσίᾳ καὶ ἐδάφεσι καὶ οἴκοις εἰς κάλλος διαφέρουσαι, ἔμελλον αὐτοῖς ἐδάφεσι καὶ οἴκοις αὐτῷ διανεμήσεσθαι, ὥσπερ αὐτοῖς ἀντὶ τῆς πολεμίας δορύληπτοι γενόμεναι. Καὶ ἦσαν αἱ πόλεις ἄλλαι τε καὶ αἱ περιφανέσταται μάλιστα αὐτῶν, Καπύη καὶ Ῥήγιον καὶ Οὐενουσία καὶ Βενεβεντὸς καὶ Νουκερία καὶ Ἀρίμινον καὶ Ἱππώνιον. οὕτω μὲν τὰ κάλλιστα τῆς Ἰταλίας τῷ στρατῷ διέγραφον.* Atque haec quidem promissa sunt militibus in ipso IIIvirum foedere sanciendo. Qualem autem fuisse existimamus legem, sive edictum appellare mavis, quod IIIviri, ut de aliis rebus, ita de coloniis his delata sibi omnium rerum potestate Romam reversi proposuerunt [2])?

Ac quamquam Appianus ita prorsus loquitur, quasi ademptus sit civitatibus Italiae ager, qui militibus divideretur, similiterque ceteri auctores, etsi eum fere exitum res habuit, nequequam ita aut in edicto IIIvirum aut in lege divisionis scriptum erat. Nam qua vel specie iuris, quae etiam ab iniustissimis quaeri solet, defendere potuissent, cum optimas et splendidissimas ex omnibus delectas urbes militibus assignarent? Ac postea cum vere agri dividerentur, veteres possessores pretium ab imperatoribus poscebant [3]), quod Octavianus, cui eius rei curatio

1) Viginti legiones ab iis paratas fuisse scribit App. bell. civ. III, 96 et IV, 1.

2) Hoc enim edictorum genere uti consueverant IIIviri, ut illius, quod erat de proscribendis inimicis, ipsa verba diligentissime servavit Appian. bell. civ. IV, 8.

3) Appian. V, 12 Καὶ αἱ πόλεις (quae assignabantur) .... τῆς γῆς τιμὴν τοὺς δωρουμένους ἤ-

obvenerat, certe solvisset, si ulla pecuniae copia suppeteret, quod pretium illi postulare non potuissent, nisi aliquid tale in lage fuisset. Deinde quid secutos esse arbitramur IIIviros, ut non eas urbes ad dividendum deligerent, quae quid forte contra se deliquissent (nam eas suo sibi iura etiam alia ratione puniendas esse putabant), sed fereutes adeo sibi, quae modo propter agri fertilitatem maxime militibus placere posse viderentur [1])? Nominat Appianus Capuam, Rhegium, Venusiam, Beneventum, Nuceriam, Ariminum, Vibonem Valentiam, ceterae quae nobis fuisse videantur, infra dicetur. Quae cum ita sint, profectos esse intelligo IIIviros ab lege Iulia, quam C. Caesar tulerat, quae tum sublata Antonia rursus valebat. Quo cum ager emi iuberetur a privatis, IIIviris occasio data erat optimi agri eligendi; etiam pretium pro agris ademptis se reddituros esse profitebantur, illud unum in iniquius mutarunt, quod necessitate vendendi imposita illud, quod iu lege Iulia fuerat, ne quis vendere cogeretur, neglexerunt. Nam quod postea ne pretium quidem solverunt, non ipsorum, sed temporum culpa videri poterat, speciemque aliquam babebant, quam rei iniquitati praetenderent.

Quibus autem et quot militibus agri promissi sunt? Appian. bell. civ. IV, 3 IIIviris, cum Bononiae se coniunxissent, fuisse ait legiones quadraginta tres, ex quibus constitutum, ut Lepidus in Italia ad urbis praesidium mansurus tres acciperet, reliquae aequaliter inter Antonium et Octavianum dividerentur (Appian. V, 6). Hic numerus sic afficitur. C. Caesar Octavianus cum post pugnam Mutinensem Romam ad consulatum senatui et optimatibus extorquendum proficisceretur, legiones octo habebat [2]), ad quas accesserunt tres occupata urbe Roma [3]), ad eundemque cum Dec. Brutus profugisset, sex legiones tironum transierunt (App. III, 97) [4]), ut omnino septendecim legiones haberet. M. Antonius Mutinam oppugnare coepit quattuor legionibus, decima, trigesima, quinta (Cic. Philipp. V, 19, 53), alia, cuius nomen ignoratur, quam

τουν καὶ ἀργύριον οὐκ ἦν, et ibid. c. 15 ὁ δὲ Καῖσαρ οὐκ ἠγνόει μὲν ἀδικουμένους, ἀμήχανα δ' ἦν αὐτῷ· οὔτε γὰρ ἀργύριον ἦν ἐς τιμὴν τῆς γῆς δίδοσθαι τοῖς γεωργοῖς, οὔτε ἀναβάλλεσθαι τὰ ἐπινίκια διὰ τοὺς ἔτι πολέμους.

1) Quare queruntur civitates, se nihil peccasse, apud Appian. V, 12: οὐδὲν μὲν ἀδικῆσαι λέγοντες, Ἰταλιῶται δὲ ὄντες ἀνίστασθαι γῆς τε καὶ ἑστίας, οἷα δορίληπτοι, et V, 14 ἀδικωτέρας εἶναι τὰς ἀποικίσεις τῶν προγραφῶν· τὰς μὲν γὰρ ἐπὶ ἐχθροῖς, τὰς δὲ ἐπὶ μηδὲν ἀδικοῦσι γίγνεσθαι.

2) Appian. bell. civ. III, 88 et 90. In his erant veteranorum quarta et Martia, quae ab Antonio ad eum transierant (Appian. III, 45; Cic. Philipp. multis locis), robur exercitus, quas mortuis Hirtio et Pansa cos. plane occupaverat (App. III, 76), duae constitutae ex veteranis paternis, quos undique collegerat, una tironum (App. III, 47), reliquae tres a consulibus relictae.

3) Appian. III, 92. Ex iis una a Pansa ad urbem relicta erat, duae veteres Caesaris ex Africa traiectae (App. III, 91).

4) Paulo aliter de D. Bruti legionibus tradit Plancus ad Cic. Epist. X, 24, 3, qui cum eo ait esse veteranam unam, alteram bimam, octo tironum.

ex veteranis in colonias deductis contraxerat [1]): aderat praeterea cohors praetoria Alaudarum, aderant tirones. Ad eundem P. Ventidius tres legiones deduxit [2]), transierunt ad eum veteranae legiones quattuor, quae antea cum D. Bruto Mutinae fuerant (App. III, 97). Tum M. Plancus habebat quinque legiones (Cic. Epist. X, 8, 6), M. Lepidus septem (App. III, 84), C. Asinius Pollio tres (Cic. Epist. X, 32, 4), qui cum omnes se cum Antonio coniunxissent, is viginti sex legionibus imperabat. Sic numerus legionum coniunctarum, qui ab Appiano ponitur, efficitur [3]). His igitur militibus agri promissi sunt a IIIviris, sine dubio ita, ut agri assignati privati fierent, ut iam supra demonstratum est factos esse eos, quos Caesar dictator militibus suis dederat. Ad eiusdemque exemplum per legatos suos dividere constituerunt. Ut autem haec praemia continuo repraesentari viderentur, non promitti solum, Dio Cassius XLVII, 14 narrat missos esse in urbes illas ad dividendum electas agrimensores et qui deducerent colonos (οἰκιστάς). Quare Appian. IV, 25 iam tum significat vulgo ex iis urbibus, quorum agri militibus destinati erant, homines praedas egisse totamque Italiam turbasse.

Secutum est animis militum ingenti utrimque studio excitatis bellum Philippense, quo vetus reipublicae libertas deleta est. In ipso proelio utrimque prope pares erant copiae, cum et IIIviri et Brutus Cassiusque legiones undeviginti haberent, sed illi numero abundantes, hi praeter duas parum ceteras completas, ut tamen octoginta circiter hominum milia essent (vide Appian. libr. IV, 88 et 108). Post pugnam autem victis Bruto Cassioque cum cerum milites pugnare amplius nollent ideoque Brutus etiam, ut antea Cassius, sibi ipse manum intulisset, quattuor circiter legiones i. e. quattuordecim milia adversariorum (Appian. libr. IV, 131 et 135) deditione facta per IIIvirum exercitus divisa sunt, postea multi alii, qui per castella prae-

---

1) In Macedonia C. Caesar habuerat quinque legiones, ex quibus initio quattuor advenerunt (Appian. III, 43), post etiam quinta (App. III, 46), ex quibus duas tamen ad Octavianum transisse, quartam et Martiam, supra dictum est.

2) Quas ille sua sponte pro Antonio conscripserat (App. III, 66 et 72): nominantur a Pollione ad Cic. Epist. X, 33, 4 septima, octava, nona. De coniunctione Ventidii et Antonii vide App. III, 84 et Cic. Epist. X, 34, 1.

3) Non immerito a Drumanno hist. Rom. I p. 364 Appianus reprehenditur, quod in his legionibus recensendis minus diligens fuerit, quamquam hoc nolim dubitari, quin summam legionum, quae cum IIIviris ad Mutinam fuerint, recte narrarit. Secundum eum libr. III, 46 Asinius Pollio habebat duas legiones, Plancus tres, Lepidus vel quattuor vel septem (App. III, 84), ut Antonii cum iis coniuncti essent tantum viginti quattuor legiones. Sed difficile sane fuerit, accuratam huius rei rationem inire. Interierunt etiam nonnullae legiones, ut Martia apud Mutinam et Antonii in Galliam fugientis copiae dispersae sunt prope omnes. De iisdem autem his rebus dixit nuper Grotefendius in historia legionum Romanarum a Caesare usque ad Gallieni aetatem, in diurnis scholasticis Darmstadiensibus, ann. 1842 p. 647.

sidii loco fuerant, idem fecerunt. Quae res cum ita compositae essent, omnibus veteranis dimissis praeter octo milia, quae deinde Octaviano Antonioque pro praetoriis cohortibus fuerunt [1]), IIIviri sic imperium diviserunt, ut Antonius in Asiam profectus et civitates componeret et pecuniam, qua ad praemia militum exsolvenda opus erat maxima [2]), cogeret, Octavianus, quia minus commode valetudine uteretur, in Italiam reversus et agros militibus divideret et, si quid periculi aut a M. Lepido immineret aut a Sex. Pompeio, tum iam potentissimo, id reprimeret (vide Appian. V, 3 et Dion. Cass. XLVIII, 2). Ita autem inter se constituerunt, ut suo prorsus arbitrio uterque res sibi commissas administraret, quaeque gessisset, ab altero utique rata haberentur [3]).

Octavianus igitur cum iis, quae relictae erant, copiis in Italiam profectus morbo vehementissime aegre Brundisii superato opus difficillimum et invidiae plenissimum agrorum dividendorum aggressus est. Debebantur autem praemia victoriae iam duodetriginta legionibus i. e. hominum circiter centum septuaginta milibus [4]), quae Philippensi militia perfuncta erant. Sic enim constitutum est, ne quis agros acciperet, nisi qui belli illius particeps fuisset. Miratur Appian. V, 6, cum quadraginta tres legiones ad Mutinam fuissent, qui factum sit, ut tum duodetriginta tantum superessent putatque bello interisse quod deesset ad illum numerum. Et perisse sane traditur legio quarta, quae in priore pugna ad Philippos caesa est (App. IV, 117), Martia, quae in ipso mari dum traicitur interiit (App. IV, 116), aliaeque item in transeundo male affectae sunt (Appian. IV, 115 sqq.). Sed praeter haec cum IIIviri ad Philippos frequentissimas legiones habuisse tradantur, nonnullas coniunctas esse existimo, alias denique, imprimis tironum, omnino non adhibitas ad pugnam [5]), cum robur modo exercituum traducendum

1) Appian. V, 3. Supererant autem his veteranis dimissis, cum adversariorum copiae suis adiunctae essent, IIIviris undecim legiones, quarum sex sibi sumpsit Antonius, quinque Octavianus. Cf. Dio Cass. XLVIII, 2.

2) Neque ea modo ad donativum militibus dandum, quod solum commemorant Appian. V, 5 et Dio Cass. XLVIII, 2, sed etiam ad veteres possessores Italiae, quibus agri adimebantur, mitigandos opus videtur fuisse.

3) Sic enim dicit App. libr. V, 22 *ὡρισμένον τῶν ἐγκεχειρισμένων ἑκάτερον αὐτοκράτορα εἶναι καὶ τὸ πρασσόμενον ὑπὸ ἀλλήλων εἶναι κύριον.*

4) Hunc militum numerum Antonius in oratione Ephesi habita definit apud Appian. V, 5, qui confirmatur iis, quae postea narrantur c. 22, ubi L. Antonius plus quam duodetriginta legionibus ab Octaviano agros assignari queritur, et c. 20 milites ita inter Antonium et Octavianum pacisci volunt, ut ne quis agros accipiat, nisi qui pugnae Philippensi interfuerit.

5) Sex certe illas tironum legiones, quas Octavianus ex D. Bruti fugientis copiis acceperat, non transisse inde conicio, quod L. Antonius has ipsas videtur significare, cum pro duodetriginta legionibus ab Octaviano dividi queritur triginta quattuor legionibus, apud App. V, 22.

esse videretur [1]). Verum utut haec fuerunt, quae media inter foedus Benoniense et inter pugnam Philippensem interiecta sunt, hoc constare poterit, numerum legionum, quibus agri ex promisso deberentur, recte ab Appiano traditum esse. Atque illas legiones omnes veteranorum fuisse et ex numero militum, qui in iis fuit, et ex auctorum consensu colligitur. qui Octavianum ad agros *veteranis* assignandos in Italiam redisse narrant (Dio Cass. XLVIII, 2; Suet. Aug. c. 13) [2]).

Cum ita eorum, quibus agri dividendi erant, sicut expositum est, bello Philippensi numerus imminutus esset, neu magis urbium ad dividendum destinatarum numerus constitit. Nam Rheginis et Vibonensibus, qui quia proximi ad Siciliam et ad fretum Siculum essent, ad Sex. Pompeii potentiam coërcendam plurimum conferre posse viderentur, Octavianus, antequam in Graeciam transiit, sanctissimam fidem interposuerat fore, ut ex numero urbium proscriptorum eximerentur (Appian. libr. IV, 86), nec dubium esse debet, quin id promissum servatum sit. Supererant igitur sedecim urbes, quibus bello confecto proscriptio agri immineret. Atque has, descriptas iam antea ab agrimensoribus, Octavianus militibus tradere parabat, duabus tantum exceptionibus propositis, primum si quis miles veteranus quid praemio accepisset, deinde si quid de publico i. e. de bonis proscriptorum emptum esset. Tum vero miserae illae civitates, agrorum suorum iactura permotae querentesque, cur ipsae potissimum ad dividendum electae essent, postulare coeperunt, ut aut tota Italia aequaliter onus illud militum recipiendorum sustineret aut certe sorte civitates ducerentur, quarum agros dividi placeret, ne propterea modo, quod optimos et opportunissime sitos agros haberent, possessionibus suis spoliatae esse viderentur. Nam de pecunia quidem, quae pro agris reddenda erat, iam desperabant. Verum his quidem nihil querelae proderant: plus profecerunt alia hominum genere. Discordare enim inter se coeperunt ipsi illi, qui tum in potestate omnium rerum erant. Nam cum inter M. Antonium et Octavianum ita convenisset, ut hic in Italia omnibus veteranis agros assignaret, L. tamen Antonius, IIIviri frater, illo tempore consul, et Fulvia, IIIviri uxor, mulier imperandi

1) Illud quoque mirum videri potest, quod, cum undeviginti modo legiones ad Philippos pugnarint, duodetriginta militia Philippensi perfunctae esse dicantur. Sed ceterae novem aut per praesidia Macedoniae divisae erant aut illo ipso tempore, quo pugnabatur, traiiciebantur.

2) Animadvertendum autem esse existimo, quod nusquam de equitatu agris donato narratur. Causa est ea, quam C. G. patruus in scriptione academica, quae supra dicta est, de equitibus Romanis, explicat, quod in legionibus nulli tum erant equites Romani, sed omnes auxiliares. Idque confirmatur diligentia Appiani, qui libr. IV, 98, ubi Crassi Brutique, et IV, 108, ubi IIIvirum equitatum recenset, omnem peregrinum fuisse significat. Quare Antonius in oratione Ephesi habita apud eund. libr. V, 5 equitatum non cum legionibus, sed cum auxiliaribus coniungit, quibus donativum quidem (nam id peregrinis quoque recte dari potuit), nusquam agros deberi ait.

cupidissima, eorumque amici, quoniam Octaviano molestiorem illam quidam, sed aandem gratiosiorem provinciam evanisse videbant, quod ita agros divideret, quasi ab ipso solo omnia praemia proficiscerentur, militumque favorem solus colligeret, querentes illud Antonium voluisse negabant. Ac cum res propter festinationem militum ad reditum Antonii differri nequiret, postulabant, ut legati et amici M. Antonii veteranos ex exercitu eius in suas colonias deducerent [1]. Id cum Octavianus aliter pactus cum M. Antonio, ut supra dictum est, concessisset tamen, L. Antonius, veteris libertatis, ut ferebatur, studiosus alia ratione discordias serebat. Veteribus enim possessoribus, qui agris suis expellebantur, spem faciebat fore, ut sua opera amissa reciperent, Fulviaeque suadebat, ut res perturbaret, quo certius Marcus a Cleopatrae consuetudine abstraheretur. Qui cum veteri libertati favere viderentur, crebra ad eos senatorum aliorumque nobilium transfugia fiebant plebsque ipsa vehementius tumultuabatur. Quibus rebus obsessus Octavianus callido consilio usus est, ut primum senatorum agros ex divisione exciperet, deinde eos, qui mulieribus dotis nomine dati erant, denique omnes, qui minores essent, quam singulorum militum sortes. Ac sic illis quidem satis fiebat, at milites, quicquid illis commodi accederet, id sibi incommodo esse rati, irascebantur eaque re impetrarunt, ut Octavianus eos quoque agros liberaret, quos cognati et parentes et liberi militum possiderent. Quamquam sic cum agri, qui divideretur, copia minueretur, par erat eam, quae ab initio ad divisionem destinata erat, non sufficere nec intra illas duodeviginti urbes, ex quibus ipsis duas exceptas esse diximus, assignationem constare. Quare non licentia magis militum quam necessitate ipsa accidit, quod Appianus V, 13 narrat: Καὶ ὁ στρατὸς καὶ τοῖς γείτοσιν ἐπέβαινε σὺν ὕβρει, πλέονά τε τῶν διδομένων σφίσι περισπώμενοι καὶ τὸ ἄμεινον ἐκλεγόμενοι [2]. Assumebantur igitur et a IIIviris, si quid commode situm erat, et a militibus ipsis rapiebatur. Accedebat, quod et urbes multae propter ea, quae per bella civilia deliquissent, agro multabantur et proscriptorum bona dividi poterant, tot illa quidem ac tanta, ut L. Antonius sola ea ad praemia militibus exolvenda sufficere clamitaret (Dio Cass. XLVIII, 7). Itaque factum est, ut, quamquam nihil eiusmodi ab initio in lege divisionis aut in edicto IIIvirum fuerat, tota prope Italia in divisionem venire videretur [3]) idqua potissimum hominum genus vexaretur, in quo robur civitatis et futurae prosperitatis spes posita erat.

---

1) Vide Appian. bell. civ. V, 14; Dion. Cass. XLVIII, 6. Difficile autem est, quae coloniae ab Octaviano, quae ab Antonio deductae sint, certe statuere, sed conabimur in praecipuis quicquid fieri poterit, colligere.

2) Exemplo possunt esse Virgilii poëtae bona Mantuana, de quibus paulo infra dicetur.

3) Atque ita prorsus loquitur Dio Cass. XLVIII, 6. Nec dissentit ab eo Appianus, ubi V, 22 Manius inimicus Octavianum incusat, τὴν Ἰταλίαν σχεδὸν ὅλην ἀντὶ μόνων ὀκτωκαίδεκα πόλεων τοῖς

Iam cum eo perveniamus, ut colonias a IIIviris tum deductas nominemus, eadem cautio adhibenda erit, quam supra in coloniis Sullanis et dictatoris Caesaris significavimus, ne, si quam in urbem milites deductos esse inveniamus, eam continuo coloniam existimemus itaque appellemus. Nam praeter eas urbes, quae opulentiae causa totae ad dividendum a IIIviris delectae sunt, dividebantur etiam proscriptorum bona, supereratque in privatorum hominum possessione non exiguus ager publicus, quem eum L. Sulla dividere noluisset, Caesar et Antonius consumere non potuerant. Cui tum parsum esse nihil est quod existimemus. Proficiscemur autem ab iis oppidis, quae Appianus tota militibus completa esse scribit. Ex quorum numero cum Rhegium et Vibo Valentia excepta essent ab Octaviano [1]), supererant haec:

Capua, quam de novo tunc constitutam esse arbitror. Nam si ternum liberum cives, quos Caesar collocarat, expellerentur, cum plurimi inde milites veterani Octavianum secuti essent, pauci veteres coloni videntur reliqui fuisse. In bello autem Perusino Octavianus quattuor ibi legiones habuisse narratur ab Appian. V, 24, ut huius coloniam fuisse appareat.

Venusia, vetus colonia Latina, quam occupatam esse militibus documento sunt etiam Q. Horatii res, qui quod patrio fundo se spoliatum esse scribit Epist. II, 2, 49, id ad proscriptionem pertinere nemo iam scholiastae credit. Plin. III, 16, 104 appellat coloniam et inscriptiones apud Orell. n. 867, Lupul. Itin. Venus. p. 348 (Fabrett. I n. 172), ubi ***coloni coloniae Venusinae*** sunt, in fragmento calendarii apud Lupul. l. l. p. 273. Ementitus autem titulus apud Orell. n. 3367.

Beneventum, de quo etiam auctor de coloniis apud Lachm. p. 231: ***ager eius lege IIIvirale veteranis est assignatus.*** M. Antonii fuisse coloniam demonstrat celebris inscriptio, apud Orell. n. 590, in qua L. Munatius Plancus, Antonii amicus, deduxisse narratur. Atque ex hoc tempore imposita videntur esse cognomina ***Concordia Felix***, quibus usam esse infra in Augusti coloniis dicetur.

Ariminum, quod cum in bello Perusino castellum quasi quoddam Antonianum fuisset (nam App. V, 33 eo se recepisse scribit Ventidium, cum L. Antonio Perusiae obsesso opem ferre non posset), Antonii coloniam fuisse intelligitur.

Nuceria, quae ***Alfaterna*** appellatur, data Antonii militibus. Nam cum auctor de coloniis p. 235 ed. Lachm. sic habeat: ***Nuceria Constantia, muro ducta colonia, de-***

ἐστρατευμένοις καταγράψειν, et M. Antonius in oratione ad Graecos Ephesi habita apud eund. V, 5 Octavianum ait Romam redisse, εἰ χρὴ τῷ λόγῳ τὸ ἔργον εἰπεῖν, ἀναστήσοντα τὴν Ἰταλίαν.

1) De Rhegio infra plura dicenda erunt; Vibonem autem Valentiam municipium etiam postea fuisse testatur insignis inscriptio apud Orell. n. 3705 (petita ex Millin. horreo encyclopaed. 1812. II p. 403).

ducto iussu imperatoris Augusti. — Ager eius limitibus Iulianis lege Augustana militibus est assignotus [1]), nec tamen a Plin. III, 9, 62 colonie nominetur, ab Antonio deductam, ab Augusto denuo constitutam esse coniicio. Commemoratur colonia etiam ab Tac. Annal. XIV, 17 et XIII, 31, cum eam a Nerone suppletam esse narrat.

Praeter has IIIvirorum colonias, quae Appiani potissimum auctoritate nituntur, haec oppida tunc verae coloniae videntur factae esse:

Ancona, quae colonia appelletur a Plin. III, 18, 111. Eo duas legiones deductas esse scribit Appian. V, 23, quae primum sub Caesare dictatore, deinde sub M. Antonio cum meruissent, ubi bellum Perusinum instabat, bellum componere malebant quam aut imperatorem suum deserere aut veteris imperatoris filio arma inferre. Fuit igitur Antonii colonia, sed suppleta et commutata postea ab Augusto, unde frequens fuit et valida Plinii tempore. Colonia commemoretur apud Grut. p. 451, 3 et p. 465, 6; magistratus IIvir est apud Grut. p. 459, 9, IIIIvir apud Mur. p. 688, 3, si hic ad Anconam pertinet.

Bononia, quae colonia appellatur a Plin. III, 20, 115 et Tacit. Annal. XII, 58. Fuit vetus colonia Latina, deducta anno 189 a. Chr., deinde post legem Iuliam municipium (vide Fest. s. v. municipium), a veteribus temporibus in clientela Antoniorum, quare ibi milites Antonii constituti sunt, qui cum in bello Actiaco cum M. Antonio sentirent, Octavianus iis *gratiam fecit coniurandi cum tota Italia pro partibus suis* (Suet. Aug. c. 17) [2]). De ea postea suppleta vide Dion. Cass. L, 6 et quae infra in coloniis Augusti dicentur.

Cremona, vetus colonia Latina, deducta ann. 219 a. Chr., quae colonia appellatur etiam a Plin. III, 23, 130 et Ptolem. III, 1, 31. Ibi veteranos Octaviani collocatos esse ex Virgilii poëtae rebus, quas paulo post narrabimus, intelligitur [3]). Cf. Hygin. de limit. constit. p. 170 ed. Lachm.

---

1) Cf. quae paulo infra de colonia Calena dicentur. Dubitabam autem aliquamdiu an apud Appian. IV, 3 vel scribenda vel intelligenda esset *Luceria* Apula; nam hanc et apud eum bell. civ. II, 38 Νουκερίαν appellari videbam et coloniam nominat Plin. III, 16, 104; sed Taciti et eius, qui libellum de coloniis scripsit, testimonia me retinuerunt. Dicitur autem Constantia etiam in catalogo militum apud Kellerm. Vig. Rom. n. 101 et apud Geogr. Ravennatem.

2) Hoc quid significet, explicavi in commentario meo ad monumentum Ancyranum (Berol. 1845) V, 3 p. 81.

3) Placentiam, cuius antea fortuna coniuncta solebat esse cum Cremona, non esse traditam militibus ex iis discimus, quae Dio Cass. XLVIII, 10 narrat. Cremonam autem Serv. ad Virg. Eclog. IX, 28 et 35 ideo dicit ad dividendum esse destinatam, quia ea D. Brutum in bello Mutinensi adiuvisset. Cremonensis quidem coloniae vestigia per inscriptiones Latinas sunt una apud Bianch. Marm. Cremon. p. 309 n. 22, ubi *aram Iovi Optimo Maximo Cremonenses Romanorum coloni* posuisse narrantur, qui ipse titulus non caret aliqua dubitatione. Honores Cremonenses cognoscuntur ex Orell. n. 3973, ubi duo aediles sunt, et Orell. n. 3843, non prorsus emendata inscriptione.

Aquinum, frequens municipium apud Cic. Philipp. II, 41, 106; p. Planc. 9, 22; sed colonia appellatur a Plin. III, 9, 63 et a Tac. Hist. I, 88 et II, 63. De eo auctor de coloniis p. 229 ed. Lachm. sic dicit: *muro ducta colonia, a IIIviris deducta.* Octaviani cur hanc oloniam fuisse existimem, infra in Augusti coloniis enumerandis dicetur [1].

Sutrium, vetus colonia Latina, ann. 383 a. Chr. deducta, quae a Festo s. v. vocatur municipium, nimirum post legem Iuliam, a Plin. III, 8, 51 colonia. Ab Appian. V, 31 appellatur χωρίον τι χρήσιμον Λευκίῳ (Ἀντωνίῳ), idemque antea a L. Antonio, cum bellum Octaviano inferre vellet, omnes Antonianorum militum colonias munitas essa narrat. Expugnavit id M. Agrippa, suppletumque esse ab Augusto infra dicetur.

Formiae, vetus municipium, quod saepe a Cicerone commemoratur. De eo auctor de coloniis p. 234 ed. Lachm. *Formias oppidum. IIIviri sine colonis deduxerunt* i. e., ut opinor, milites solos ibi collocarunt; certissimaeque coloniae inscriptiones [2]). Videtur autem Antonii fuisse colonia.

Falisca colonia, de qua Plin. nat. hist. III, 8, 51 *Argis orta (ut auctor est Cato), quae cognominatur Etruscorum*, nimirum ut discernatur a veteribus Faliscis, qui nonnullis non videbantur generis Etrusci esse. Vide Strabon. V, 2, 9. Auctor de colon. p. 217 ed. Lachm. sic de ea habet: *colonia Iunonia, quae appellatur Faliscos* [3]), *a IIIviris assignata*, unde intelligimus sollemne coloniae nomen inditum esse a Iunonia cultu in vetere urbe frequentissimo [4]). Hoc loco cum iam Caesar agros divisisset, Antonius veteranorum suorum coloniam constituit; nam ad hunc quam ad Octavianum referre malo, quia Strabo l. l. oppidulum esse dicit nec Augustus suas colonias postea adeo videtur neglexisse, et quod nusquam *Iulia* colonia appellatur. Iuxta coloniam autem constitisse etiam veterem urbem Falerios testis est Strabo l. l. ad eamque pertinent inscriptiones, in quibus municipium appellatur, apud Orell. n,

---

1) In inscriptionibus ubi colonia appelletur, nescio. Sed memorabilis tamen mutilus ille titulus apud Grut. p. 491, 3 positus . . . . LIO. Q. F. SATVRNIN(O. PRAE)F. QVINQ. TI. CAESARIS. AVG. F. (P)ONTIFICI. QVAEST. IIVIR. I. D., qui cum sit ex tempore imperatoris Augusti, honores coloniae paulo postquam condita est, ostendit. Adiicere eundem potueram praefectis, quos supra p. 57 attuli. Tum *curator reipublicae Aquinatium* est apud Orell. n. 133; incertum quomodo explicandus sit titulus apud Grut. p. 902, 13 (p. 900, 14).

2) Nam *colonia Formianorum* est apud Orell. n. 3782 (Donat. p. 466, 14) et Grut. p. 483, 3 (Orell. n. 3884), ex quibus etiam summus IIvirorum magistratus cognoscitur.

3) Apud Plin. l. l. *Falisca* est adiectivum, sed usu factum est, ut paulatim novae urbis nomen oreretur *Faliscos*, ut Strabo l. l. at Stephanus s. v. appellant, sive *Falisci*, ut Orosius IV, 15 et historia miscella libr. I in Camillo.

4) Vide Cluver. Ital. antiq. p. 542; C. O. Müller. Etrusc. I p. 109.

1304 et 3310, qui titulus Augusto est positus, apud Cl. Card. in Memor. Roman. III p. 74 n. 45 et n. 44. Sed *ordo et populus coloniae Faliscorum* est apud Grut. p. 288, 1.

Telesia, vetus nec ignobile Samnitium oppidum [1]), de quo auctor de colon. p. 238 ed. Lachm. *muro ducta colonia, a IIIviris deducta*. Atque appellatur colonia in inscriptionibus, in quarum una putatur habere cognomen *Herculea*. Est autem data Antonii veteranis; nam Plinius non recenset inter colonias Italiae.

Teanum Sidicinum, quae colonia appellatur a Plin. III, 9, 63. De ea auctor de coloniis p. 238 ed. Lachm. sic narrat: *colonia deducta a Caesare Augusto*. Ac credo eius fuisse coloniam, sed hoc tempore primum deductam. Nam cum Cic. Philipp. II, 41, 107 narret M. Brutum et C. Cassium, Caesaris interfectores, ab Teanensibus patronos esse adoptatos, non arbitror eos hoc diu impune tulisse.

Allifae, non ignobile Samnitium oppidum, de quo libellus coloniarum p. 231: *oppidum muro ductum. ager eius lege triumvirali est adsignatus*. Ac constat fuisse coloniam ex inscriptione apud G. Henzen. in Annal. Inst. arch. XVI p. 5 et alia apud Orell. n. 140, tertia apud Gud. p. 8, 10, in qua *IIIIvirum quinquennalem* commemorari notabile. Nam reliqui tituli monstrant *IIviros, aediles, quaestores*, ut Grut. p. 417, 3 (Orell. n. 3887), Grut. p. 152, 4 et 409, 3 aliique. Plin. III, 9, 63 non recenset inter colonias [2]).

Firmum Picenum, vetus colonia Latina, initio belli Punici primi condita. De ea auct. de colon. p. 226 et p. 256 ed. Lachm.: *Ager Firmo Piceno limitibus triumviralibus in centuriis est — assignatus*. Non limitibus ego modo opinor, sed lege etiam IIIvirorum. Nam cum Plin. III, 18 ignoret coloniam, sic appellatur in inscriptione apud Catalan. Orig. et antiq. Firm. p. 24, in qua sic est *patronus coloniae Firmi*, et Grut. p. 533, 4 (Mur. p. 1107, 5) et p. 359, 3 (Orell. n. 2223) et p. 490, 2 et 3. Dubito etiam magnopere, an huc pertineat *imperator Caesar Augustus parens coloniae*, qui est apud Apian. Inscr. p. 152, a Grut. p. 187, 7 male corruptus. Nam municipium, quod est apud Orell. n. 1025 (Donat. p. 233, 3) non pertinat ad Firmum [3]).

Cales. De iis auctor de colon. p. 232: *municipium muro ductum — ager eius limi-*

---

1) A Plinio III, 9, 64 non commemorari mirabar, dum ibi inter populos enumerari vidi *Telinos*, qui cum ignoti prorsus sint, eosa oportere censeo *Telesinos*.

2) *Albo Pompeio* a Murat. p. 1021, 4 de coniectura putatur esse colonia, sed ea coniectura admodum incerta, nec alias coloniam appellari video. Quod autem IIviros habet (Grut. 1093, 6 et 10; Grut. p. 1095, 10), propterea de colonia nihil posse coniici superiore commentatione demonstratum est.

3) Pro portu Firmanorum erat *Castellum*, de quo apud auct. de colon. p. 254 sic est: *Castellense municipium — in centuriis est assignatus*. Ac fuisse municipium ostendit, si modo verus est, titulus Ligorianus apud Mur. p. 58, 6.

tibus Gracchanis antea fuerat assignatus, postea iussu Caesaris Augusti limitibus nominis eius est renormatus. In quibus et falsum quod municipium appellat; nam coloniam fuisse inscriptio demonstrat nobilissima apud Maff. Mus. Ver. p. 449, 1 (Lupul. Itin. Venus. p. 112; emendatissima apud Ianssen. Mus. Lugd. Batav. p. 74), de qua explenda cf. G. Henzen. tab. alim. Baeb. p. 52; nec plene omnia narrantur. Nam cum a Plin. III, 9, 63 non nominetur colonia, constare poterit, non fuisse Augusti coloniam. M. Antonii fuisse coniicio, denuo deinde ab Augusto constitutam et fortasse auctam.

Abellinum a Plin. III, 16, 105 non appellatur colonia, sed fuisse constat ex inscriptione apud Orell. n. 1180, in qua *ordo splendidissimus coloniae Abellinatium* commemoratur. De eo auctor de colon. p. 229 sic habet: *muro ducta colonia, deducta Sempronia lege — ager eius veteranis est assignatus.* Quare hoc potissimum tempore veteranos deductos esse coniicio. Magistratus eius, quaestores, aediles, IIviri saepius commemorantur apud Lupul. Itin. Venusin. p. 59 sqq. Ipsi nos supra p. 81 citavimus *censores.*

Nominavimus plus quam sedecim colonias, quas hoc tempore, cum tota prope Italia IIIvirum militibus completa esse narratur, conditas esse existimemus. Nec vero dubium esse debet, quin fuerint plures. Commemorantur certe complures et coloniae veteres et municipia et alia oppida, quae coloniae an municipia fuerint, non constat, quae tunc novis colonis frequentata esse videantur. Ac coloniae quidem veteres fuerunt hae:

Pisaurum, deducta ann. 184 a. Chr. Huc M. Antonii colonos deductos esse narrat Plutarch. in vita Anton. c. 62, quae urbs cum paulo ante bellum Actiacum terra dissidente hausta esset, magnum id plerisque prodigium esse videbatur. Cf. quae infra de colonia ab Augusto suppleta dicentur [1]).

Potentia, eodem olim tempore deducta quo Pisaurum. Hanc auctor de colon. p. 226 et 257 dicit limitibus IIIviralibus assignatam esse. Apud Plin. III, 18, 111 non appellatur colonia; nec magis *Treia* fuit colonia, cuius ager similiter ac Potentinus narratur esse assignatus apud auct. de colon. p. 259. Cf. Orell. n. 3899.

---

1) Dubito num huc referendum sit etiam ***Casinum***, vetus colonia civium, ut recte statui puto a Madvig. de iure et condic. colon. p. 297, de qua est in fragm. colon. p. 232: *oppidum, milites legionarii deduxerunt.* Antea fortasse iam Sulla ibi milites collocarat (Cic. de leg. agr. III, 4, 14). Certe coloniam semper appellari video, si fides habenda est titulis, quos habent Mur. p. 1104, 7 (Donius p. 182, 14), Murat. p. 1104, 8; Grut. p. 432, 1 (Orell. n. 2797). Nec moveor, quod apud Orell. n. 3885 Alfius quidam vocatur *IIvir qq. in municipio suo Casini*; nam uti municipes recte possunt appellari aliquando coloniae incolae, item h. l. *in colonia sua* sine confusione sententiae dici non potuit. De magistratibus coloniae supra secundum fragmentum fastorum disputatum est itemque IIIIviri inveniuntur apud Grut. p. 194, 5; at IIviri praeter titulos modo citatos apud Grut. p. 100, 8 et 431, 7.

Puteoli, deducta ann. 194 a. Chr. [1]. De ea aucter de coleniis p. 236 sie dieit *colonia Augasta, Augustus deduxit — ager eius in iugeribus veteranis et tribunis legionariis est assignatus.* Ae probabile est, ab Auguste praecipuum maris inferi portum novis colonis et firmatum et occupatum esse, iam illo tempore, ut arbitrer, cum Sex. Pempeii bellum gereretur. Nam etiam puniendum esse videbatur oppidum, quia M. Brutum et C. Cassium, Caesaris interfecteres, patrones adoptarat (Cic. Phil. II, 41, 107). Ab Augusto autem deductum esse eeniicie, qued Plin. III, 9, 61 inter colonias recenset.

Florentia, quam Sullanam eoloniam fuisse supra p. 253 dictum est. De ea sie est apud auctorem de colon. p. 213 ed. Lachm.: *deducta a IIIviris, assignata lege Iulia.* A Sulla cum urbs publicata esset, superfuisse existime agrum publicum nen divisum, quem primum dictater Caesar, deinde IIIviri veteranis assignaverunt [2].

Luna, vetus colonia civium. In qua cum auctor de celon. p. 223 dicat agros eadem lege qua Florentiae assignatos esse, a IIIviris ibi milites eollocatos esse coniieio. Colenia autem videtur vocari imperatoris Neronis tempore apud Orell. n. 732, ubi quod est P. C., putatur *patronum coloniae* significare. Quidam autem huc retulerunt etiam Mur. p. 1112, 3, quod alii ad aliud oppidum pertinere voluerunt.

Sena, ad mare superum, vetus colonia civium maritima, cuius agrum auctor de eolon. p. 226 et 258 dicit lege IIIvirali et limitibus IIIviralibus assignatum esse [3].

Ex aliis oppidis, quae aut municipia fuisse constat aut coloniae an municipia fuerint, incertum est, nominantur ab eodem auctore, qui libellum de coloniis scripsit, haec:

Velaterrae, quarum agrum a Sulla, ut supra dictum est, proscriptum, auctor de cel. p. 215 lege IIIvirali assignatum esse narrat, ut aut Caesar non totum suis militibus explesse aut IIIviri denuo censtituisse videantur [4].

---

1) Commemoratur a Valer. Max. IX, 3, 8; Cic. in Rull. II, 31, 86; p. Coel. 2; a Festo s. v. municipium. Cf. C. G. Zumptil scriptionem academicam de coloniis, municipiis, praefecteris p. 56 et quae infra a nobis in Neronis coloniis dicentur.

2) In inscriptionibus quidem incerta admodum huius coloniae superest memeria. Nam unus mode est titulus apud Grut. p. 489, 7 (Orell. n. 3711), ubi videatur colonia significari, sed interpretatie eius difficilis se dubis. In insigni autem inscriptione apud Orell. n. 686, ubi expectetur aliqua coloniae significatio, reperitor nulla.

3) Etiam *Buxentum,* vetus colonia civium, haud scio an huc referendum sit. Magna certe cum probabilitate Lachmannus apud auctor. de colon. p. 209 conlicit scribendum esse: *Ager Buxentinus a IIIviris veteranis est assignatus.*

4) Dubito, num etiam *Nepete* hoc in numero referendum sit, vetus colonia Latina, postea municipium (vide Festum s. h. v. et inscriptiones apud Grut. p. 308, 2 et p. 441, 7). Cuius agrum auctor

Setia et *Signia*, veteres coloniae Latinae, postea a Sullanis militibus occupatae. De priore auctor ille p. 237: *muro ducta colonia, IIIviri munierunt — ager eius in soluto ex occupatione a militibus tenetur*, de hac ibid.: *muro ducta colonia, a militibus et IIIviris munita — ager eius in praecisuris limitibus IIIviralibus est assignatus* [1]).

Interamna ad Narem fluvium, quam a Sulla militibus divisam esse supra p. 253 dictum est. De ea sic narrat auctor de colon. p. 234: *oppidum, muro ducta, a IIIviris est munita — ager eius militi metyco est assignatus.* Intelligo militem additum esse veteribus incolis. Quare non mirum, quod mansit municipium; ita enim appellatur apud Grut. p. 113, 2 (Orell. n. 689); Grut. p. 411, 3 (Donat. p. 161, 1); Grut. p. 454, 4; Mur. p. 1052, 1 (Donat. p. 338, 4).

Ligures Baebiani et Corneliani, quos auctor ille p. 235 *muro ductos IIIvirali lege appellat — ager eius post bellum Augustianum veteranis est assignatus.* De bello Augustiano infra dicemus, a IIIviris autem deductos esse colonos inde fit veri simile, quod Beneventum vicinum erat [2]), quam IIIvirorum coloniam fuisse constat [3]).

Casuentium, quod oppidum commemoratur apud Plin. III, 19, 113 et in inscriptione apud Grut. p. 411, 3, de quo auctor ille p. 231 sic narrat: *muro ducta lege IIIvirali — ager eius militibus est assignatus.*

Treventum sive *Tereventum*, cuius incolae apud Plin. III, 17, 107 vocantur Troventinates. De eo apud auct. de colon. p. 238 sic est: *oppidum. Ager eius in praecisuras et stri-*

---

hic p. 217 dicit eadem lege servari qua agrum Faliscorum, in quem coloniam ab Augusto deductam esse supra demonstratum est. Kellermannum vero Vig. Rom. n. 98 minus probo, qui coloniam Nepesinorum invenire sibi videbatur in lapide Privernati, ubi sic est: *curator coloniae Privernatium, Nepesinorum, Ametiaorum et Truentinorum.* Si enim esset significanda colonia Nepesina, potius scribendum erat *coloniarum*; nunc ex hoc ipso lapide documentum sumo, municipii iure ac nomine usum esse Nepete.

1) Difficile autem est dicere, utrum duo haec oppida imperatorum tempore municipia an coloniae appellata sint. Plin. III, 9, 64 non appellat colonias, at *colonia Setina* est apud Orell. n. 2246 (Fabr. p. 90, 175: Spon. Misc. p. 179); *colonia Signina* apud Grut. p. 490, 5 (Mur. p. 1118, 2) et Mor. p. 477, 3. Verumtamen omnes hae inscriptiones et complura habent, quae merito fraudis suspicionem excitent et Ligoriana auctoritate nituntur. Magis igitur credo alii inscriptioni in Annal. Inst. arch. ann. 1829 p. 87, ubi *municipium Signinum* est.

2) Nam Liv. XL, 38 in antiquum oppidum Taurasiam prope Beneventum translatam esse scribit partem Ligurum eoque loco a Plin. III, 16, 105 recensentur.

3) *Caieta* incerta de coniectura huc refertur propter auct. de col. p. 233, apud quem sic est: *Cadatia, oppidum, lege Gracchana est munitum. ager eius veteranis est assignatus*, quae recte puto Holstenium ad Caietam retulisse. Veteranos autem, quod imperatorie nomen non additur, intelligo IIIvirorum.

gas est assignatus post tertiam obsidionem limitibus Iulianis. In quibus si haec est sententia, ter ibi agrum esse assignatum, tertium quidem limitibus Iulianis, intelligendum est, primum a Sulla, deinde a dictatore Caesare, denique a IIIviris colonos ibi esse collocatos. Nec res dissimilis vero, siquidem proximum est Bovianum, cuius agri eam fortunam fuisse demonstratum est.

Ulubra, cuius incolae a Plin. III, 9, 64 appellantur *Ulubrenses*, quam auctor ille incertus p. 239 vocat *oppidum a IIIviris deductum.* De magistratibus oppidi cf. Orell. n. 123 et 4942.

Sentinum, notum Umbriae municipium; sic enim appellatur in inscriptionibus, ut apud Mur. p. 858, 2 et Orell. n. 4949. De eo auctor ille p. 258: *Sentis, oppidum; ager eius limitibus maritimis et montanis lege IIIvirali est assignatus.* Ac totum oppidum in bello Perusino deletum esse constat (Dio Cass. XLVIII, 13). Eadem videtur fuisse causa *municipii Septempedani* (Donat. p. 467, 3), de quo cf. eund. auct. p. 240 et 258; atque in Piceno *Cinguli* lege IIIvirali, *Ricinae*, quo postea aliam coloniam deductam esse intelligemus, limitibus IIIviralibus ager divisus esse dicitur apud eund. auctor. p. 226 et p. 258 ed. Lachm.

Tollentinum et *Urbs Salvia* apud auct. de colon. p. 226 dicuntur *limitibus maritimis et montanis lege triumvirali assignata.* Cf. p. 259. Sed magnopere dubium, utrum coloniae appellatae sint an municipia. Nam de Tollentino certior videtur titulus apud Grut. p. 194, 2, ubi est municipium, quam p. 56, 13, ubi *genius* coloniae alicuius commemoratur. Urbem Salviam coloniam esse putat Borghes. in Diurn. Arcad. ann. 1826, 3 p. 164 propter titulum, in quo quod est P. C., interpretatur de *patrono coloniae.* Sed nondum satis credo de colonia; potest enim esse etiam *patronus civitatis*, nec omnino illa pars tituli mihi videtur esse prorsus certa. Magistratus autem Urbe Salvia summus erat IIIIvirorum, vide Amadut. Anecd. Litter. Vol. IV p. 523 n. 8. Item *Pausulensis* ager dicitur esse assignatus apud auct. de colon. p. 226 et 257, de cuius condicione parum alioquin constat.

Nursia. De ea sic est apud auct. de colon. p. 257 *ager eius per strigas et per scamna in centuriis est assignatus.* Probabile autem factum id esse a IIIviris, siquidem Suet. Oct. c. 12 Nursinos narrat, quod Mutinensi acie interemptorum civium tumulo publice extructo ascripserant, *pro libertate eos occubuisse*, grandi pecunia multatos, deinde eum pendere eam nequissent, extorres oppido esse actos. Ac convenit fere quod in eodem illo libro p. 227 in agro Nursino *termini Augustei* afferuntur.

Haec tot oppida cum in paucis Italiae regionibus nominentur, IIIvirorum militibus frequentata, quot alia fuisse existimamus in reliqua Italia, de quibus nulla memoria ad nos pervenit, ut iam prorsus appareat, verum esse, quod traditur, prope totam Italiam coloniis militum deducendis turbatam esse? Quamquam moram aliquam toti huic negotio bellum Perusinum attu-

lit, propter ipsas has colonias a L. Antonio et ab Fulvia susceptum. Nec vero eo coloniarum ratio videtur esse mutata; nam nec id narratur et etiam post bellum Perusinum novi coloni commemorantur, eo in M. Antonium animo affecti, ut contra eum pugnare nolint (Appian. bell. civ. V, 57). Hoc tantum factum sit, ut, si qui milites Antoniani nondum in coloniis collocati essent, eos non amici et legati Antonii, id quod antea ab Octaviano concessum esse supra diximus, sed Octavianus constitueret.

Sic cum tota Italia agrorum divisionibus conturbaretur, vix quisquam illius temporis scriptor est, quin iniuriam sibi a militibus illatam commemoret. De Horatio supra dictum est, sed queritur etiam Tibullus I, 1, 19 et IV, 1, 182, queritur Propertius IV, 1, 129, queritur denique Virgilius Ecleg. IX, 28 et cum eo Martialis VIII, 56. Hic, cum ad agros veteranis assignandos Alfenus Varus, legatus, ut opinor, Octaviani, Cremonam venisset, eiusque limitator Octavius Musa [1]), vel offensus olim a Mantuanis vel propter delictum aliquod (varie enim traditur), quia Cremonensis ager non sufficeret, quindecim milia passuum agri Mantuani, Cremonensibus vicini, divisisset, bona sua prope omnia amisit (Serv. ad Virg. Eclog. IX, 7). Sed versabatur tunc in Gallia Transpadana etiam Asinius Pollio Antonianis militibus agros dividens, cuius gratia Virgilius sua recuperavit [2]). Qui cum confecto bello Perusino victoque L. Antonio Italia pulsus ad M. Antonium se recepisset [3]), Alfenus ille Varus legatus iam omnibus agris ab Octaviano in illa regione assignandis praepositus est, qua in re Virgilius tamen, iam Octaviano quoque notus, bona sua retinuit [4]). Atque hi quidem patronorum, quos ingenio sibi conciliarunt, potentia sua recuperarunt vel alia ratione in pristinam condicionem restituti sunt [5]), at ceteri veteres possessores, quamquam lege ipsa cavebatur, ut pecuniam pro agris acciperent, tanta tamen tunc aerarii inopia erat, ut Augustus, quamvis eorum vicem doleret iniuriamque

1) Sic enim videntur esse inter se concilianda, quae Servius ad Virg. Eclog. VII, 7 et 10 narrat, cum illo loco ab Octavio Musa, hoc ab Alfeno Varo Virgilii bona ablata esse dicat.

2) Vide Serv. ad Virg. Eclog. II, 1; Donat. vit. Virgil. §. 36.

3) Vide Vellei. II, 76; Appian. V, 50; Serv. ad Virg. Eclog. VI, 6 et XI, 29.

4) Plenius Virgilius quomodo bona sua recuperarit, exponitur apud Heynium in vita Virgilii (edit. Wagneri Tom. I p. 113). Ac confirmatur Virgilii rebus, quod supra dixi de agris cum omni instrumento urbano et rustico divisis. Nam eclog. IX Virgilius sub persona Menalcae domini suam ipsius fortunam deplorat, qui Moeridem, servum suum procuratorem, ad novum dominum, qui in veteris heri bona successisset, pecudes compellere iusserat. Ad quem locum sic ait Servius: *Virgilius postquam paene occisus est ab Arrio centurione, Romam revertens mandavit procuratoribus suis, ut tuerentur agros et ad praesens obsequerentur Arrio. Modo ergo Moeris procurator eius secundum praeceptum patroni portat hoedos Mantuam, quos Arrio offerat.*

5) Dubito enim, an etiam hoc nomine, quod fundus suus vetus militibus divisus esset, Horatius Maecenatis opera Sabinum illud suum acceperit, non mero patroni beneficio.

iis inferri intelligeret, eos adiuvare nequiret, qui quidem ne ab aliis quidem militum contumeliis eos defendere posset. Vide Appian. V, 12 sqq. Qui si nihil aliud haberent, unde vitam sustentarent, in iis ipsis agris, quorum aliquando domini fuerant, coloni facti mercede novis possessoribus serviebant. Exemplo potest esse Ofellus ille Horatienus, adversis aeque ac secundis olim rebus contentus, de quo vide Horat. Serm. II, 2, 114 sqq.

Transmarinae illae, a Caesare dictatore aliquando ad urbem exhauriendam destinatae coloniae, quaerat aliquis, num forte hoc tempore vere deductae sint. Nam Bruto Cassioque victis provinciae illae, in quas destinatae erant, pace fruebantur et interesse oportebat IIIvirorum, ut multitudo inutilis ex urbe et ex Italia amoveretur, praesertim cum ad alia mala etiam hoc accederet, ut Italia propter portus omnes a Sex. Pompeio obsessos fame et frumenti inopia premeretur. Nec tamen quicquam eiusmodi actum esse existimo; siquidem et pecunia deerat ad eam rem necessaria et otium in ipsa Italia, cum Octavianus bello Perusino, dein gravissimo Sex. Pompeii, tum Dalmatico satis occuparetur, denique, etsi vellet, a collegis parum adiuvaretur. Nam Carthagine quidem colonos, qui ad urbem constituendam convenerant, Lepidi opera dispersos esse constat, qua de re infra dicetur. Itaque omnia haec illo demum tempore, quo Octavianus solus rerum potitus erat, peragi coepta sunt.

Nec vero ipsum hoc tempus, quod inter milites IIIvirorum in agris collocatos et inter bellum Actiacum interest, actionibus agrariis vacat. Quamquam eae nec acerbae erant veteribus possessoribus nec cuiquam quicquam abstulerunt. Nam cum Octavianus et Sex. Pompeium superasset et M. Lepido potestate exuto Siciliam occupasset, militum magna seditio orta est ferocia superbientium. Eius causae diligenter narrantur ab Appian. V, 128. Tumultuantibus initio Octavianus praemia se daturum promisit Antonio ex Asia reverso simulque eos dimissurum. Qua re parum contenti cum statim missionem flagitarent, Octavianus viginti milia eorum, quae iam ex Mutinensi et Philippensi pugna secum fuissent, continuo dimissa in Italiam traduxit alieque decem, quae per decennium militassent, addidit: ceteros aliis rationibus ad obsequium redegit. Nec tamen dimitti poterant milites, quin praemia iis darentur et pecuniae et agrorum. Itaque pecunia statim repraesentata, paulo post i. e. ante bellum Actiacum, ante cuius initium et Italia componenda et militum animi conciliandi erant, agros divisos esse scribit Dio Cass. XLIX, 14, cuius verba sunt haec: οὕτω μὲν οὖν τότε τοὺς στρατιώτας κατέστησε καὶ τὸ μὲν ἀργύριον αὐτίκα, τὴν δὲ χώραν οὐ πολλῷ ὕστερον αὐτοῖς ἔδωκεν. ἐπειδὴ γὰρ οὐκ ἐξήρκεσεν ἡ ἐν τῷ δημοσίῳ τότε οὖσα, προσεξεπρίατο ἄλλην τε καὶ παρὰ τῶν Καμπανῶν τῶν ἐν τῇ Καπύῃ οἰκούντων συχνὴν (καὶ γὰρ ἐποίκων ἡ πόλις πολλῶν ἐδεῖτο) καὶ αὐτοῖς τό τε ὕδωρ τὸ Ἰούλιον ὠνομασμένον, ὑφ' οὗ καὶ τὰ μάλιστα διὰ πάντων ἀγάλλονται, τήν τε χώραν τὴν Κνωσίαν, ἣν καὶ νῦν ἔτι καρποῦνται, ἀντέδωκε· ταῦτα μὲν οὖν ὕστερον ἐγένετο. Primum igitur veteranis illis dimissis ex agro, qui reliquus erat publicus, satisfecit, qui cum non sufficeret, suppleta est

Capua colonia. De qua quae Dio narrat, minus recte intelligi possent, nisi accederet luculentum testimonium Velleii II, 81: ***Speciosumque per id tempus adiectum supplementum Campanae coloniae . . . . eius relicti erant publici. Pro his longe uberiores reditus duodecies sestertium in Creta insula redditi et aqua promissa, quae hodieque singulare et salubritatis instrumentum et amoenitatis ornamentum est.*** Ex hoc loco, utut emendandus esse videbitur [1]), hoc intelligitur, Capuae in agro colonis assignando relictos esse a divisoribus nonnullos agros nec divisos, quorum fructibus respublica coloniae sustentaretur. Qui cum publici quasi essent coloniae Campanae [2]), Octavianus tum quidem promittendo satisfecit, postea victo Antonio et aquam Iuliam extruxit et agros Cretenses reddidit; nam hos quidem ante pugnam Actiacam non fuisse in eius potestate apparet.

Nec vero hanc modo nobilissimam omnium coloniarum Italicarum Octavianus tunc militibus deductis supplevit, sed etiam ***Rhegium*** ad fretum Siculum, quod cum exemptum esse ex divisione ab ipso Octaviano supra demonstratum sit, Strabo tamen VI, 1, 6 extr. sic de eo habet: *Πομπήϊον δ' ἐκβαλὼν τῆς Σικελίας Σεβαστὸς Καῖσαρ, ὁρῶν λειπανδροῦσαν τὴν πόλιν, συνοίκους ἔδωκεν αὐτῇ τῶν ἐκ τοῦ στόλου τινάς· καὶ νῦν ἱκανῶς εὐανδρεῖ.* Additi igitur sunt milites veteribus incolis (*συνοίκους* enim Strabo dicit) aut empto agro, quod magis credo, aut offerentibus incolis. Nec urbs colonia facta est; nam nec Plin. III, 10, 74 ita appellat nec Ptolem. III, 1, quamvis nominet ***Rhegium Iulium***, quod cognomen propter ipsum hoc beneficium Octaviani additum est. Itaque etiam in inscriptione apud Grut. p. 174, 7 (Romanell. topogr. regn. Neapol. I p. 86; Orell. n. 3838) sunt ***municipes Rhegini Iulii*** et ***patronus municipii*** apud Mur. p. 1116, 3.

Eademque ratione in aliis oppidis Italiae tunc milites collocati sunt, de quibus nulla memoria ad nos pervenit. Extra Italiam autem nihil divisum est, ideo, opinor, quod Octavianus, quo tutior ab Antonio esset, hanc imprimis muniendam esse putabat. Quamquam multus hominum sermo fuerat etiam de Sicilia [3]), in qua recens a Pompeio capta et incredibiliter

---

1) Mihi quidem a nullo interprete probabiliter videtur esse constitutus. Nam cum, qui agri sint ***relicti***, satis recte intellectum esse existimem, nego tamen ***relictos*** dici posse substantive. Ac quia Velleius ***speciosum*** supplementum dixerat, videtur hoc addere debuisse, multos eiusmodi agros fuisse. Scribo igitur: ***Campanae coloniae. Multi enim agri coloniae eius relicti erant publici*** vel similiter atque in vocabulo coloniae repetito causam fuisse puto, quare ea, quae in medio sunt, omitterentur.

2) Non recte hoc, quod Velleius dicit, intelligens Dio urbi ait multis civibus opus fuisse. Quis enim post tot militum deductiones in uberrima Italiae regione multas sortes vacuas fuisse credat? Cf. autem de reditibus coloniae Campanae et de praediis, quae in Lucania habebat, et de aqua Iulia, quae docte exponit Mazochius in commentario de inscriptione amphitheatri Campani p. 38 sqq. et quae supra sunt p. 49.

3) Ad hoc enim tempus, quae Horat. Serm. II, 6, 55 habet: ***Quid? militibus promissa Triquetra***

vastata qui, quam rationem Octavianus in militibus collocandis secuturus esset, ignorabant, agros dividi malebant.

Libri tertii

Caput primum.

Absolutis temporibus tristissimis reipublicae Romanae, quibus, cum ipsae, quas Caesar tulerat leges mitissimas et aequitatis plenissimas, cum maxima possessorum calamitate ad iniquitatem summam detorquerentur, non ius sed iniuria regnaverat, pervenimus ad Augusti imperium, in quo tantum militibus concedebatur, quantum necesse erat propter eam, quae ab initio totius huius disputationis demonstrata est, militiae rationem, non quantum ipsorum licentia bellorum civilium cladibus aucta aliquando postularat. Etenim Augustus (sic enim iam appellandus erit) ubi victo ad Actium M. Antonio patefactam esse vidit principatus viam nec senatum populumque Romanum discordiis domesticis fessum unius dominationem recusare, imprimis hoc sibi providendum esse putabat, ne quid ex militum insolentia aut ipse aut respublica incommodi caperet. Itaque veritus ne similes militum seditiones existerent atque olim in Sicilia Sex. Pompeio devicto fuerant, continuo post victoriam Actiacam adiunctis sibi copiis Antonianis, emeritos utriusque exercitus, qui quidem cives essent, in Italiam praemisit, alios per varia loca dispersit, quos reliquos secum habebat, severiore disciplina coercere coepit [1]). Emeritis autem duae res debebantur. Promissi enim iis erant in bellum profecturis agri; praeterea donativum aliquod ab munificentia imperatoris expectabant. Iam illud eum eos dimitteret, dubium non est, quin exoluturum se esse confirmarit eaque de causa in Italiam traiicere iubebat; hoc ne repraesentaret, impediebatur pecuniae inopia, qua tanta eum laborasse ait

---

praedia Caesar an est Itala tellure daturus? pertinere statuit Car. Timotheus patruus in disputatione de vita Horatii, praemissa sermonum editioni Heindorfianae repetitae p. 25.

1) Nihil novi habet, tamen ea, quae vel dicemus vel diximus, confirmat Hygin. Grom. de limit. const. p. 177 ed. Lachm. *Aeque divus Augustus in assignata orbi terrarum pace exercitus, qui aut sub Antonio aut Lepido militaverant, pariter et suorum legionum milites colonos fecit, alios in Italia, alios in provinciis: quibusdam deletis hostium civitatibus novas urbes constituit, quosdam in veteribus oppidis deduxit et colonos nominavit. Illas quoque, quae deductae a regibus aut dictatoribus fuerant, quas bellorum civilium interventus exhauserat, dato iterum coloniae nomine numero civium ampliavit, quasdam et finibus.* Sed tamen haec ab homine suae fortasse artis perito, ipsarum coloniarum rationem parum tenente scripta esse patet.

Dio Cass. LI, 4, ut sua amicorumque bona Romae venalia proponeret, quae cum nemo inveniretur qui emere auderet, hoc certe assecutus est, ut omnes patienter victoriam Aegyptiacam expectarent; nam ex huius manibiis se omnibus satisfacturum esse pollicebatur. Ita enim intelligendus est Dio Cass. LI, 3, cum Augustum ait veteranos in Italiam dimisisse μηδὲν μηδενὶ δόντα, siquidem ipse paulo post addit eos indignatos esse, quod non peculiare aliquod praemium (γέρας) accepissent. Evenit tamen res paulo aliter atque Augustus speraret. Nam veterani in Italiam traiecti nec Maecenatis nec M. Agrippae, quos Augustus ibi summa cum potestate esse iusserat (Dio Cass. libr. LI, 3), auctoritate satis coërcebantur, ut ipse M. Antonio posthabito media hieme ex Graecia Brundisium sibi properandum esse intelligeret. Ibi omnia triginta diebus composuit, cum ei senatus prope universus et ex ceteris honestissimus quisque ad eum salutandum Brundisium occurrisset, quo totius Italiae consensu territi milites, quia nullum alium imperii aemulum excitari posse viderent, iam nihil ferocius postulabant [1].

Hoc igitur primum coloniarum genus fuit, necessario illud quidem ab Augusto susceptum, cum consul quartum esset, i. e. anno 30 a. Chr. In quo eadem fere lege Iulia videtur usus esse, ex qua olim dictator Caesar et IIIviri agros assignaverant, paucis admodum pro rei necessitate mutatis. Etenim ut illi totam rem militari imperio administraverant, sic Augustus quoque imprimis M. Agrippae, quem cum summa potestate militari in Italia reliquerat, tum aliorum ducum opera usus est [2]. Deinde agrum divisit et finitimum urbi Romae, sedi imperii, et optimum ac fertilissimum Italiae: quamquam enim alia iam ratione sibi agendum esse videbat atque IIIviri egerant, nondum tamen adeo confirmatum esse putabat imperium suum, ut longius milites suos a se amandare posset. Conficiebat autem eum partim adimendo a veteribus possessoribus, partim emendo. Ademisse autem Dio Cass. LI, 4 narrat Augustum agros urbium, quae cum M. Antonio fecerant, quas expulsis veteribus possessoribus militibus suis assignavit; tum bona erant proscriptorum plurima. Quamquam aberat tum ab ea iniquitate, qua olim in

1) Sic Dio Cass. LI, 5: paulo accuratius Suet. vit. Aug. c. 17, qui eum viginti septem dies Brundisii commoratum esse scribit. Congruit autem cum Dione etiam in iis, quae supra narrata sunt, Suetonius, qui Augustum ait *ex omni numero*, i. e. ex omnibus legionibus, *confecta victoria* milites Brundisium praemisisse eosque *praemia et missionem* (nondum enim militia soluti erant) flagitantes seditionem movisse.

2) Nominatur quidem unus, quantum scio, in inscriptione musei Vaticani apud Borghes. in Diurn. Arcad. ann. 1821, 4 p. 204 *L. Memmius C. f. q(uaestor) tr(ibunus) pl(ebis praetor) frumenti curator ex S. C. praefectus leg. XXVI (?) et VII Lucae ad agros dividundos*, quem credo Borghesio filium esse consulis ann. 34 a. Chr. Non igitur legatis modo haec cura iniungebatur, sed peculiariter etiam ad colonias deducendas fiebant praefecti. Cf. autem infra paulo in Concordiensi colonia quae annotabuntur.

IIviratu rite se empturum pollicitus nihil solvit. Nam veteribus possessoribus, etiam iis, quos propter Antonii studium expellebat, satisfacit aut redditis aliis extra Italiam agris [1]), aut pecunia numerata. Sic enim ipse gloriatur in monumento Ancyrano tab. III, 22 *Pecunia quam pro agris, quos in consulatu meo quarto et postea consulibus M. Crasso et Cn. Lentulo Augure assignavi militibus, solvi municipis, ea sestertium circiter sexsiens milliens fuit, quam ex collationibus pro praediis numeravi et circiter bis milliens et sescentiens, quod pro agris provincialibus solvi. Id primus et solus omnium, qui deduxerunt colonias militum in Italia aut in provinciis, ad memoriam aetatis meae feci.* In his cum bis agros a se divisos esse dicat, consulatum quartum et HS. sexiens miliens ad agros in Italia, M. Crassum et Cn. Lentulum cos. (i. e. ann. 14 a. Chr.) et HS. bis miliens ad agros extra Italiam assignatos pertinere constat [2]). Atque illam quidem pecuniam ait confectam esse ex tributo ab iis, quorum praedia non divisa sunt, collato. Idem autem Augustus in eodem monumento tab. III, 17 haec habet: *In coloniis militum meorum consul quintum ex manibiis viritim millia nummum singula dedi: acceperunt id triumphale congiarium in coloniis hominum circiter centum et viginti millia*, qui militum numerus idem est, quem olim L. Sulla in coloniis collocarat. Hinc intelligitur, in centum et viginti milibus militum collocandis ab Augusto consumptum esse sexiens miliens, quam pecuniam si omissis militum discriminibus aequaliter distribuas, invenitur, in singulorum militum sortes comparandas quina milia HS. esse adhibita. Quod cum nec illis temporibus nec bellis civilibus, quibus quantopere possessionum pretia deminuta sint, facile coniici potest, sufficere posset ad domum et agrum cum instrumento omni (sic enim inde ex Sullae temporibus dividebantur) emendum, apparet nec tantum iis, qui vendere cogerentur, esse solutum, quantum vellent, nec omnes omnino milites in emptis agris esse collocatos.

Alterum autem genus coloniarum Augusti est illud, quod postea frequentandae magis Italiae quam deducendorum militum causa constituit, quo in genere imprimis quattuor colonias esse intelligemus. Sed pertinent eodem multae veteres coloniae supplementis novis firmatae; nam Dio Cass. LIV, 23 innumeris urbibus eum narrat laborantibus opem tulisse. Nonnullae etiam ex iis coloniis, in quas M. Antonius milites deduxerat, novis colonis ascribendis effecit, ut ab se potius quam ab Antonio constitutae esse viderentur. Vide Dion. Cass. L, 6. Militibus quidem, quos etiam postea, tamquam bella civilia continuarentur, superbe agros flagitare aegre

1) Vide Dion. Cass. LI, 4 et quae infra de coloniis in Graecia sitis, ut de Philippis, Dyrrhachio, dicemus.

2) Vide annotationem nostram ad mon. Ancyr. l. l. Ibidem de iis, quae paulo post dicentur, a nobis pridem disputatum est.

ferret, operam dabat Augustus, ut pecunia numerata consuleret; itaque ipse in monumento Ancyrano III, 28 scribit ***postea Tib. Nerone et Cn. Pisone consulibus*** (ann. 7 a. Chr.), ***itemque C. Antistio et D. Laelio cos.*** (ann. 6 a. Chr.) ***et C. Calvisio et L. Pasieno consulibus*** (ann. 4 a. Chr.) ***et C. Lentulo et M. Messalino consulibus*** (ann. 3 a. Chr.) ***et L. Caninio et Q. Fabricio consulibus*** (anno 2 a. Chr.) ***veteranis, quos emeritis stipendiis in sua municipia remisi, praemia aere numerato persolvi, quam in rem sestertium circiter sexiens milliens impendi***, quibus aperte ostendit, se non in coloniis collocasse milites, sed eo, unde orti erant, remissis pecunia satisfecisse. Eodemque pertinent, quae apud Dion. LIV, 25 sunt. Etenim Augustus compositis Galliis et Hispaniis cum anno 13 a. Chr. Romam revertisset, in senatu orationem habuit de tota republica ordinanda: καὶ διέταξε τά τε ἔτη ὅσα οἱ πολῖται στρατεύσοιντο, καὶ τὰ χρήματα, ὅσα παυσάμενοι τῆς στρατείας ἀντὶ τῆς χώρας, ἣν ἀεί ποτε ᾔτουν, λήψοιντο, ὅπως ἐπὶ ῥητοῖς ἐκεῖθεν ἤδη καταλεγόμενοι μηδὲν τούτων γε ἕνεκα νεωτερίζωσιν. Ἦν δὲ ὅ τε ἀριθμὸς τῶν ἐτῶν τοῖς μὲν δορυφόροις δώδεκα, τοῖς δ' ἄλλοις ἑκκαίδεκα, καὶ το μὲν ἀργύριον τοῖς μὲν ἔλαττον, τοῖς δὲ πλεῖον. Ex hac ratione cum eae, quae in monumento Ancyrano commemorantur, missiones factae essent, postea tamen anno 5 p. Chr., ut et respublica tantos sumptus recte toleraret, et militibus praemia idonea ne deessent, alia inducta est, de qua Dio LV, 23 scribit: ἐψηφίσθη, τοῖς μὲν ἐκ τοῦ δορυφορικοῦ πεντακισχιλίας δραχμάς (i. e. viginti millia HS.), ἐπειδὰν ἑκκαίδεκα ἔτη, τοῖς δὲ ἑτέροις, τρισχιλίας (i. e. duodecim milia HS.), ἐπειδὰν εἴκοσι στρατεύσωνται, δίδοσθαι, quae pecunia ut semper sine ulla ceterarum rerum molestia suppeteret, aerarium militare institutum est anno proximo insequenti, ***ex quo***, ut est in monumento Ancyrano III, 37, ***praemia darentur militibus, qui viginti stipendia emeruissent.*** Sed quid? Post excessum Augusti cum Pannonicarum legionum seditio facta esset, apud Tac. Annal. I, 47 milites queruntur: ***si quis tot casus vita superaverit, trahi adhuc diversas in terras, ubi per nomen agrorum uligines paludum vel inculta montium accipiant***, ut etiam extremis Augusti temporibus milites non pecuniam, sed agros accipere consuevisse videamus. Nimirum ille, etsi voluerat praemia militiae pecunia exolvere idque aliquamdiu fecerat, postea ut multitudini Italiae et provinciarum subveniret, emere solebat agros eosque loco pecuniae emeritis assignare, ita sine dubio, ut, qui in praetorianis cohortibus stipendia fecissent, maxime in Italia, qui in legionibus ceteris, extra Italiam collocarentur. Sic hoc genus non coloniarum quidem (neque enim oppida, in quibus ager a privatis emptus assignabatur, ea re coloniae fiebant), at agrorum dividendorum per totum Augusti imperium continuatum est, non minus, ut militum commodis, quam ut frequentiae oppidorum consuleretur.

In universum autem de coloniis suis Augustus ipse in monumento Ancyrano V, 36 sic dicit: ***Italia autem colonias, quae vivo me celeberrimae et frequentissimae fuerunt, duodetriginta deductas habet***, consentitque cum iis Sueton. in vit. Aug. c. 46. In quibus inveniendis quam rationem secuti simus, supra p. 196 explicavimus. Suas autem colonias Augu-

stus non eas modo dicit, quas eum post victoriam Actiacam solus rerum potitus esset, deduxit, sed etiam, quas in IIIviratu condidit, quas postea etiam videtur curasse, ut hominum multitudine et opulentia florerent. Ex hoc genere nominatae sunt supra p. 332 in IIIvirorum coloniis quattuor: *Capua* (1), *Venusia* (2), *Cremona* (3), *Aquinum* (4); reliquae videntur fuisse hae:

Lucus Feroniae (5) in agro Capenati, ubi iam dictator Caesar milites collocare coeperat. Ibidem iustam coloniam aut in IIIviratu aut postea ab Augusto constitutam esse demonstrat cognomen *Iulia*, quod colonia habet, in inscriptione apud Orell. n. 4099. Atque ad eandem haud scio an pertineat altara apud Orell. n. 114, in qua quam Orellius sibi invenire videbatur *coloniam Felicem Lorit*, ea nulla usquam fuit. Commemoratur autem a Plin. III, 8, 51 et Ptolem. III, 1, 47, ac Strabo VI, 2, 9 satis frequens oppidum fuisse significat.

Rusellae (6), notum Etruriae oppidum, quae colonia appellatur a Plin. III, 8, 51. Holsten. in adnot. geogr. ad Cluver. Ital. antiq. p. 39 citat inscriptionem, in qua sit *col. Rus.*, quam equidem nondum inveni.

Sena sive ***Senia*** (7), hodie Siena, quae *Sena Iulia* appellatur in tabula Peutingeriana, colonia a Plin. III, 8, 51 et Tac. Hist. IV, 45.

Suessa Aurunca (8), antiquitus colonia Latina, deducta ann. 313 a. Chr., post legem Iuliam municipium; nam Cic. Phil. XIII, 8, 18 appellat *nunc municipium, honestissimorum quondam colonorum*. Quo cum dictator Caesar iam milites deduxisset, Augustus coloniam condidit, quae et apud Plin. III, 9, 63 commemoratur et in inscriptione appellatur *Iulia Felix Classica*, apud Grut. p. 1093, 8 (p. 326, 8), et simpliciter *colonia* apud Orell. n. 4047, qui titulus imprimis est memorabilis.

Venafrum (9), quae et apud Plin. III, 9, 63 et in inscriptionibus, ut apud Mur. p. 816, 7 at 1120, 6 et apud Avell. Opusc. div. III p. 75, colonia nominatur. De eo auctor de colon. p. 239: *oppidum. Vviri deduxerunt sine colonis — Ager eius in laciniis limitibus intercisivis est assignatus. Sed summa montium iure templorum Ideae ab Augusto sunt concessa.* Ex quibus etiamsi propter Vviros colligas coloniam primum ab Sulla esse conditam, denuo tamen Augustus constituit, cuius opera aliqua etiam apud auctorem illum commemoratur.

Sora (10), colonia vetus Latina, deducta anno 303 a. Chr., post legem Iuliam municipium (Cic. p. Planc. 9, 22). Deductio coloniae et in insigni inscriptione apud Orell. n. 3681, unde legionis quartae milites ibi collocatos esse discimus (cf. Orell. n. 3972), commemoratur et apud auctorem de colon. p. 237: *muro ducta colonia, deducta iussu Caesaris Augusti — ager eius limitibus Augusteis veteranis est assignatus.* Nominatur praeterea colonia apud Plin. III, 9, 63.

Fanum Fortunae (11) et apud Plin. III, 19, 112 colonia appellatur et apud Pompon.

Mel. III, 4 est *colonia Fanestris* et apud Vitruv. V, 1 *colonia Iulia Fanestris.* Cf. etiam Frontin. de controv. agror. p. 52 ed. Lachm. Itemque vocatur in inscriptionibus, apud Orell. n. 83 (Donat. p. 347, 5) *colonia Iulia Fano Fortunae*, Grut. p. 416, 8 *colonia Iulia Fanestris*, item ibid. p. 625, 9. At *colonia* modo apud Orell. n. 3143; Grut. p. 445, 8 et p. 494, 8; apud Mur. p. 480, 9 et p. 762, 2 (p. 771, 4). Memorabilis etiam titulus apud Orell. n. 602 (Donat. p. 219, 7), ex quo discimus Augustum ann. 9 p. Chr. coloniae muros vel restituisse vel novos aedificasse. De prioribus agri divisionibus per eam regionem factis cf. Orell. n. 570.

Hispellum (12) et apud Plin. III, 19, 113 colonia appellatur et in inscriptionibus est *colonia Iulia* [1]. Suppletum postea esse ab Vespasiano et Hadriano infra suis locis dicemus.

Tuder (13) a Strabon. V, 2, 10 munitissimum dicitur, a Plin. III, 19, 113 colonia. Cognomina habet *Iulia Fida* et in inscriptione apud Mur. p. 1111, 4 et apud auctor. de col. p. 214 ed. Lachm. Cf. Frontin. de controv. agror. p. 52. Apud quem eum eadem lege teneri dicatur atque Florentia, haec autem a IIIviris deducta, lege Iulia assignata appelletur, debui Tudertinam coloniam fortasse iam IIIviratui Augusti tribuere, a quo cum ante bellum Perusinum condita esset, facile etiam nomen Fida mereri potuit. Commemoratur colonia praeterea apud Orell. n. 1228 (n. 3726), Mur. p. 1120, 3. Cf. etiam Mur. p. 128, 3.

Brixillum sive ***Brixellum*** (14), ut est apud Suet. Oth. c. 9; Tac. Hist. II, 54 et saepius. Colonia appellatur a Plin. III, 20, 115.

Concordia (15), in memoriam restitutae pacis, ut opinor, nominata, apud Plin. III, 22, 126 et Ptolem. III, 1, 29 colonia appellatur, cognomina habuit *Iulia Concordia* [2].

Pola (16), quam Plin. III, 23, 129 addit vocari *Pietatem Iuliam*. Coloniam appellat etiam Pomp. Mel. II, 3 [3].

Ateste (17) in agro Venetorum a Plinio modo III, 23, 130 colonia appellatur. De magistratibus eius vide Grut. p. 354, 8 (Mur. 711, 2) et Orell. n. 3987.

Pisae (18). De iis Plin. III, 8, 50 *colonia Luca a mari recedens, propiorque Pisae*, itemque Ptolem. III, 1, 48. In nobilissima inscriptione, qua C. et L. Caesarum mortuorum ho-

1) Sic enim appellatur apud Orell. n. 3885, *colonia* apud Orell. n. 92 et Murat. p. 1109, 2. Summus magistratus erat IIvirorum. Cf. etiam Orell. n. 90. Incerti mihi videntur IIIIviri apud Grut. p. 24, 15 et Mur. p. 713, 5; aperte ementitus titulus apud Mur. p. 77, 14.

2) In inscriptionibus colonia ipsa commemoratur apud Orell. n. 4082; cognomina *Iulia Concordia* habet apud Grut. p. 365, 1 et p. 549, 7. Maxime memorabilis titulus apud Bertol. antiq. Aquilei. n. 413, qui videtur esse positus Caesaris Augusti legato, qui coloniam deduxerat. Honores IIviratus et aedilitatis cognoscuntur ex Grut. p. 473, 7 (Fabr. p. 243).

3) In inscriptionibus non vocatur colonia, sed summi magistratus constantissime IIviri, ut apud Stancovich. de amphitheatr. Pol. p. 88; Grut. 263, 7; Orell. 3372.

nores celebrautur, oppidum dicitur *colonia Obsequens Iulia Pisana*, colouique ipsi *Iulienses*. Libertus autem colouiae apud Orell. n. 4491 vocatur Obseqnentius.

Asculum Picenum (19), quamquam Sullae colonos videtur recepisse, municipium tamen appellatur a Cic. p. Sull. 8, 25. At colouia est apud Plin. III, 8, 111 [1]) et in inscriptiouibus non paucis [2]).

Hadria (20) item in Piceuo sita, vetus colonia Latiua. Sed colonia vocatur etiam apud Pliu. III, 18, 110 et in iuscriptione, apud Orell. n. 148, est *dec. col. Had.*, apud euud. n. 3018 *Venerius*, *coloniae libertus*, *Felix*, uudo possit fortasse colligi, cognomen coloniae fuisse *Veneria* [3]).

Luceria iu Apulia (21), vetus colonia Latina, deducta auuo 314 vel 313 a. Chr., quae a Cic. p. Cluent. 69, 197 muuicipium appellatur. At apud Plin. III, 16, 104 est *colonia*, quare ab Augusto deductam esse oportet.

Placentia (22), vetus colonia Latina, deducta ann. 218 a. Chr., quare post legem Iuliam appellatur municipium a Cic. iu fragm. iu Pisou. init. et a Festo s. v. municipium. Apud Plin. III, 20, 115 et Tacit. Hist. II, 19 vocatur colonia [4]).

Luca (23), vetus colouia Latina, condita ann. 177 a. Chr. [5]), quare a Cic. Epist. XIII,

---

1) Verba eius sunt haec: *Colonia Asculum, Piceni nobilissima. Intus Novana, in ora Cluana* cet. Sic enim interpungendum est, ne quis propter editiones parum hoc loco diligenter factas etiam Novanam et Cluanam colonias fuisse existimet.

2) Nam apud Grut. p. 465, 5 est *decuriones et plebe coloniae Asculanorum*; apud Grut. p. 465, 10 (Orell. n. 3760) *patronus coloniae Asculanorum*. Corrupta autem videtur esse inscriptio apud Mur. p. 1101, 6, in qua *municipium* dicatur, neque illa, quam Mur. p. 742, 3 habet, satis certa; Ligorianus vero *procurator Augusti in colonia Asculanorum* apud Mur. p. 188, 1. At in illa, quae est apud Grut. p. 1014, 1 (p. 1072, 3; Marin. Act. fratr. arv. II p. 663; Colucc. Antiq. Ascul. p. 103; Orell. n. 1760) qui commemoratur COL. DISP., cave de coloniae dispensatore interpretere, sed de collegii.

3) Etiam apud auctorem de coloniis p. 227 in agro Hadriano *termini Augustei* commemorantur.

4) Inscriptio quidem, in qua colonia appelletur, non mihi est nota; sed summus magistratus cum sit IIvirorum (Orell. n. 3805), fuisse etiam IIIIviros ostendit Mur. p. 679, 1. Cf. supra p. 181.

5) Anno 180 a. Chr. Liv. XL, 43 sic narrat: *Pisanis agrum pollicentibus, quo Latina colonia deduceretur, gratiae ab senatu actae. Triumviri creati ad eam rem Q. Fabius Buteo, M. et P. Popillii Laenates.* Ac vere deductam esse coloniam vel IIIvirorum creatorum mentio demonstrat. Deducta autem est Lucam, ubi cum agri assignarentur, disceptatum est inter Pisanos et inter novos colonos, datique ab senatu Vviri, qui de finibus cognoscerent, in quibus Vviris fuit etiam Q. Fabius Buteo, qui deducendae coloniae praefuerat. Vide Liv. XLV, 13, quo loco quin *Lucenses* dicantur, non *Lunenses*, ut vulgo editur, dubium esse non debet. Commemoravi haec Nic. Madvigii causa, qui in Opusc. Acad. p. 287 Lucam coloniam fuisse negat.

13 ann. 45 a. Chr. nominatur *municipium*. Sed cum Plin. III, 8, 50 *coloniam* dicat, ab Augusto videtur esse deducta. Atque etiam apud Mur. p. 726, 3 quae appellatur colonia, videtur esse Luca, item in tab. alim. Velleiate dici puto. Cf. Spon. Miscell. p. 168 [1]).

Aquileia (24), vetus colonia Latina, condita ann. 183 a. Chr., postquam Latinis data est civitas, *municipium*. Sed colonia appellatur a Plin. III, 21, 123 et Ptolem. III, 1, 34. Tum colonia vocatur apud Grut. p. 433, 8 (Bertol. antiq. Aquilei. p. 283; Orell. n. 70), ubi *L. Manlius Acidinus triumvir Aquileiae coloniae deducendae* est, quem Liv. XL, 34 coloniam Latinam condidisse ait, ut id minus ad nostram hanc quaestionem pertineat [2]). De magistratibus eius dictum est supra p. 185 et p. 62, ubi de praefectis iuri dicundo disputatum est.

Augusta Praetoria (25), quam Dio Cass. LIII, 25 et Strabo IV, 6, 27 anno 25 a. Chr. in Salassorum agro conditam esse narrant, tribus hominum milibus ex cohortibus praetoriis deductis; ae colonia appellatur etiam a Plin. III, 21, 123 et Ptolem. III, 1, 34.

Augusta Taurinorum (26) et a Plin. III, 21, 123 et Tac. Hist. II, 66, cum magnam eius partem deflagrasse narrat, et in inscriptionibus saepe vocatur colonia.

Nola (27), quamquam Sullanos colonos receperat, qua de re supra dictum est, tamen a Festo appellatur municipium. At apud Plin. III, 9, 63 et in inscriptionibus est *colonia* [3]). Cf. quae infra in Vespasiano dicentur.

Brixia (28) in memorabili titulo apud Orell. n. 66 appellatur *colonia Civica Augusta*, ideo, ut videtur, quod non milites. sed togati cives deducti erant, anno 25 vel 15 a. Chr., post bella in illis regionibus gesta. Etiam apud Plin. III, 23, 130 vocatur *colonia*. Magistratus sunt *IIviri*, *aediles*, *quaestores*, qui saepe reperiuntur in inscriptionibus, ut IIIIviri apud

1) Admodum memorabilis est de hac colonia titulus allatus a Borghes. in Diurn. Arcad. ann. 1821, 4 p. 204, in quo L. Memmius, filius consulis ann. 34 a. Chr., dicitur *praefectus leg. XXVI et VII Lucae ad agros dividundos*, ubi etsi erratum esse apparet in alterius legionis nomine, probabile tamen ipsum illum L. Memmium ab Augusto coloniae Lucam deducendae praepositum esse.

2) Altera inscriptio, in qua colonia commemoratur, apud Grut. p. 345, 10 et 517, 1 (Bertol. l. l. p. 312), quae Lazii auctoritati debetur, non dubium est quin depravata sit.

3) Nimirum patronus coloniae Nolanae est apud Grut. p. 473, 9; *aedilis coloniae* apud Maff. Mus. Ver. p. 353, 7. Tum apud Grut. p. 1085, 14 in titulo Diocletiani dicitur *colonia Felix Augusta Nolana*. Indicium autem colonorum ab Augusto deductorum reperire mihi videor apud Orell. n. 3975, ubi *decurio adlectus ex veteribus Nolanis* commemoratur, ut, quemadmodum in multis civitatibus factum est, sic Nolae quoque veteres incolas iuxta novos cum sua republica constitisse intelligamus. Postea adiutam esse ab Vespasiano infra dicemus eiusque rei indicium etiam hoc, quod illis coloniae curatorem operum publicorum dedit. Cf. p. 152. De magistratibus denique coloniae disputavimus citato fragmento fastorum municipalium, p. 93.

Grut. p. 169, 10 ad aliud oppidum pertinere videantur. Praeterea colonia commemoratur apud Grut. p. 464, 5 et in memorabili titulo ex Augusti tempore apud Donat. p. 210, 7.

Hae igitur sunt duodetriginta illae coloniae, quas vere Augustus gloriari poterat vivente se frequentissimas et celeberrimas fuisse. Sed quoniam ratio nostra fert, ut non eas modo colonias recenseamus, quae novae conditae sunt, sed etiam si quae veteres auctae ac suppletae, denique, si qua alie in oppida milites ea, quae supra explicata est, ratione deducti sunt, faciendum videtur esse, ut primum veteres colonias ab Augusto adiutas nominemus. In quarum numero eae maxime babendae erunt, quae a Plinio commemorantur, qui cum in ea re ipsius Augusti potissimum auctoritatem sequeretur, non dubium est, quin praecipuas easque, quae post bella civilia suppletae erant, nominarit. Has igitur ab Augusto vel auctas vel denuo constitutas esse invenio:

Sutrium, quod eum per bella civilia M. Antonii militibus divisum esse demonstraverimus, in inscriptione tamen, apud Grut. p. 302, 1 (cf. p. 305, 10), appellatur *colonia Coniuncta Iulia Sutrina*. Factum igitur est in hac colonia, quod Dio Cass. L, 6 Augustum ait in plurimis fecisse, ut novis colonis adiectis sibi devinciret coloniam. Quod cum in hac colonia ex nominibus certum sit, in aliis probabiliter coniici poterit. Summi magistratus sunt IIviri; quaestores, ut videtur, nulli, pro iis *curatores pecuniae publicae* apud Orell. n. 3807 et Grut. p. 481, 6.

Ariminum, colonia vetus Latina, condita ann. 268 a. Chr., postea Liviana et Sullana et denique Antoniana (cf. supra p. 332). Eam *Augustam* vocari docent inscriptiones, quod nomen eum ante proelium Actiacum asciri non potuerit [1]), ad colonos postea adiectos refero. Nam et florentissimum erat oppidum, quare etiam a Plin. III, 20, 115 colonia appellatur, et praecipuam semper Augusti beneficentiam experta est, qui maxime per C. Caesarem vias ibi muniendas curabat. Vide Strab. IV, 6, 6; Dion. Cass. LIII, 22 et inscriptiones, quas habet Grut. p. 149, 2; p. 60, 2; Maff. Mus. Veron. p. 364, 5; p. 365, 1; Orell. n. 635.

Beneventum, item vetus colonia Latina, deducta ann. 268 a. Chr., postea Antoniana. Cf. supra p. 332. Sed cognomina eius fuisse scimus ex inscriptionibus *Iulia Augusta Concordia Felix* ac *Concordia* etiam ab auctore de colon. p. 231 appellatur, qui insigni usus confusione imperatore Augusto omisso Neronem Claudium Caesarem, deinde IIIviros commemorat. Denuo tamen ab Augusto constitutam atque auctam esse apparet ideoque colonia appellatur etiam a

1) Etenim apud Grut. p. 1095, 2 (Don. Cl. V n. 88) est *patronus coloniae Augustae Ariminensium*, apud Orell. n. 4025 *praefectus loco IIviri col. Aug. Arim.*, ac *colonia Ariminensis* appellatur apud Grut. p. 481, 9 et p. 1094, 2 (Orell. n. 80) et p. 322, 2 et p. 1102, 4 (Diurn. Arcad. 1824, 3 p. 352) et p. 1102, 5 et p. 1091, 12 (Orell. n. 3836). De magistratibus coloniae disputatum est supra p. 184 sq.

Plin. III, 16, 105. Nimirum ille Caudium, civitatem Sabinam, coloniae Beneventanae attribuerat, qua de re testimonium est auctoris de colon. p. 232 ed. Laehm.: ***Caudium oppidum, muro ducta — a Caesare Augusto, coloniae Beneventanae cum territorio suo est adiudicata. Ager eius veteranis fuerat adsignatus, postea mensuralis limitibus est censitus.*** Ac mansisse hanc Caudinorum et Beneventanorum coniunctionem demonstrat insignis inscriptio coloniae Beneventanae, apud Orell. n. 128, ubi ann. 208 p. Chr. Iuliae Augustae ***colonia Iulia Concordia Augusta Felix Beneventum*** ponit aliquid ***in territorio suo, quod cingit etiam Caudinorum civitatem muro tenus.*** Quare communiter ***Beneventani et Caudini publice*** aliquid posuisse dicuntur apud Orell. n. 131. Quod autem de coloniae nominibus dixi, ea praeter titulum, quem modo citavi, habet etiam Orell. n. 907, ann. 202 p. Chr. positus, ubi est ***col. Iulia Aug. Concordia Felix Beneventum.*** Praecipuum tamen nomen fuisse ***Concordia*** docet inscriptio apud de Vitam Inscr. Benevent. p. 22, ubi libertus coloniae appellatur ***Concordius.*** Quamquam etiam ***Beneventum Felix*** vocatur, nullo alio addito nomine, apud Orell. n. 127. Praeterea colonia commemoratur apud Orell. n. 2509 imperatoris Augusti tempore, tum apud Orell. n. 1693 (Lupul. Itin. Venus. p. 149); Lupul. l. l. p. 150 (Orell. n. 4011); Orell. n. 2330; de Vitam Inscr. Benev. p. 3 n. 15 [1]). De honoribus autem Beneventanis disputatum est supra p. 181.

Bononia, cum M. Antonii militibus divisa esset, quamdiu victoria incerta fuit, clementer habita est ab Augusto, sed post proelium Actiacum tota denue constituta. Testis est Dio Cass. L, 6 τοὺς τὴν Βονωνίαν ἐποικοῦντας αὐτὸς αὖθις, ἵνα δὴ καὶ ὑφ' ἑαυτοῦ ἀπῳκίσθαι δοκῶσι, προσκατεστήσατο. Ideoque apud Plin. III, 20, 115 commemoratur [2]).

Ancona. De qua cum nihil tradatur aut certis indiciis colligi possit, propterea tamen quod apud Plin. III, 18, 111 ut valida et firma recensetur, probabile est, adiutam eam esse ab Augusto.

Teanum Sidicinum, de quo iam supra in IIIvirorum coloniis p. 335 dictum est, rursus post bella civilia colonos accepisse testatur auct. de colon. p. 238: ***ager eius militibus metycis***

---

1) Non verum est, quod nonnunquam item municipium appellari Beneventum dixerunt. Alio enim pertinet, quod quidam apud Orell. n. 4007 dicitur aliquid ***municipibus suis*** obtulisse, at quod apud de Vitam p. 24, 30 ***decuriones, municipes, incolae*** discernuntur. At Ligoriana est inscriptio apud de Vitam p. 7, 12 (Gud. p. 11, 7), item ibid. p. 6, 31 (Gud. p. 61, 4), ubi Beneventum vocatur ***municipium.*** Neque satis certae auctoritatis est illa, in qua ***coloni et inquilini*** discernuntur, apud Orell. n. 3712.

2) In inscriptionibus ubi colonia vocetur, nescio. Magistratus quidem eius commemorantur apud Orell. n. 3906 (Mur. 696, 1). Cf. Grut. 491, 7 et Mur. p. 669, 1.

— *limitibus Augusteis est assignatus.* Obscurior paulo est de eo inscriptio apud Donat. p. 347, 6, in qua appellatur COL. CL. FIRMA. TEANVM, ut Claudius eius adiutor fuisse videatur [1]).

Pisaurum, vetus colonia civium, aucta M. Antonii militibus, cum paulo ante bellum Actiacum terrae lapsu magnum detrimentum accepisset, ante ann. 27 a. Chr. ab Augusto restituta est. Documento sunt cognomina *Iulia Felix*, quae inveniuntur apud Orell. n. 81. Colonia autem vocatur etiam apud Mur. p. 1114, 5 (Marin. Act. fratr. Arv. p. 474 et Kellerm. Vigil. Rom. p. 34 n. 30 a); Orell. n. 4069 et 3424; Mur. p. 1114, 7 (Oliver. Marm. Pisaur. n. 33); Oliver. l. l. n. 58; nec cognomina illa nimis usitata fuisse ostendit inscriptio apud Oliver. l. l. n. 5, ubi coloniae libertus dicitur *Pisaurius* [2]).

Capua, quae cum semel condita esset, ab omnibus deinceps, qui militibus consulere vellent, maxime expetita etiam post bellum Actiacum ab Augusto aucta videtur esse. Plin. certe nat. hist. XVIII, 29, 114 extare ait divi Augusti decretum, quo Neapolitanis pro colle Leucogaeo, quem colonis deductis Capuae attribuisset, e fisco suo annua vicenam ilia numerari iuberet, quos colonos post proelium Actiacum deductos esse credo Mazochio in commentario de amphithr. Campan. p. 59, non tam, quod divus Augustus a Plinio dicatur, sed quia antequam solus rerum potitus est, Augustus nec fiscum habuit nec annuam pecuniam numerandam videtur recipere potuisse. Ac beneficium aliquod post ann. 27 a. Chr. collatum testantur etiam nomina coloniae *Iulia Augusta Felix*, quae in nobilissimo illo titulo amphitheatri Campani sunt apud Orell. n. 5292 [3]).

Tergeste, conditum circa annum 50 a. Chr., eadem fortasse lege, qua Novum Comum restitutum est, ab Octaviano ann. 32 a. Chr., cum Italiam contra gentes barbaras firmaret, mu-

1) Memorabilis etiam altera inscriptio in agro Teanensi reperta apud Spon. Miscell. p. 178 (Donat. p. 350, 6), in qua *Rufrani coloni* videantur commemorari, oppidoli Campani incolae, de quo cf. Virg. Aen. VII, 739; Sil. Ital. VIII, 567; Liv. VIII, 25, 4 ibique Drak. Sed cum a Plinio taceatur, si assumas inscriptionis illius indicium, videatur effici, ut Rufrani attributi fuerint in coloniam Teanensem neque ullam peculiarem rempublicam habuerint.

2) Maxime autem memorabilis titulus apud Orell. n. 570 (Mur. p. 486, 4; Oliver. n. 13), in quo sic est: *M. Terentius M. f. Varro Lucullus pro praetore terminos restituendos ex S. C. curavit, quo P. Licinius, Ap. Claudius, C. Graccus IIIviri A. D. A. terminos statuerunt*, ex quo titulo videmus, ex lege Sempronia passim per Italiam, etiam in veteribus coloniis, ubi ager vacaret, homines esse collocatos ac recte omnino ab auctore de coloniis totiens limites Gracchanos commemorari.

3) Praeterea colonia commemoratur ann. 152 p. Chr. apud Grut. p. 478, 10, et memorabilis titulus apud Orell. n. 3683, ubi est: *Iussu imperatoris Caesaris qua aratrum ductum est*, quod ad deductionem temporibus IIIviralibus factam pertinet. Magistratus coloniae cognoscuntur imprimis ex fragmento fastorum superiore commentatione explicato. Sed tamen etiam IIIIviri inveniuntur apud Orell. n. 3732. Cf. supra p. 180.

rum turresque accepisse documento est inscriptio apud Grut. p. 166,6. Sed ab eodem etiam postea videtur esse vel auctum vel alio beneficio ornatum esse; ideoque et a Plin. III, 22, 127 inter colonias recensetur [1]), et a Ptolem. III, 1, 27. Coloni praeterea commemorantur apud Stancovich. de amphith. Polens. p. 127. De magistratibus coloniae dictum est supra p. 186.

Parma, vetus colonia civium, deducta ann. 183 a. Chr. [2]). Beneficium Augusti apud Grut. p. 492, 5 (P. de Lam. Inscript. antiq. in muris Scal. Farnes. p. 121; Mur. p. 1110, 5) testatur inscriptio, in qua appellatur ***Iulia Augusta*** ideoque etiam a Plin. III, 20, 115 inter colonias nominatur.

Mutina eodem modo deducta quo Parma, quare a Cic. Philipp. V, 9 vocatur colonia. Ea cum M. Antonio vehementissime restitisset, probabile est punitam post bellum Philippense, cum a Plin. III, 20, 115 dicatur colonis, auctam postea a IIIviris vel, quod magis credo, ab Augusto. Sed tacent et scriptores et inscriptiones, nisi quod in his appellatur colonia apud Caved. Explicat. marm. Mutinens. p. 120 et 165. De magistratibus eius dictum est supra p. 183.

Dertona, de qua cum ambigi dicat Vellei. I, 15, non dubium tamen est, quin ante ann. 100 a. Chr. deducta sit, nec illud dubito equidem, quin civium fuerit, cuius generis omnes, quae illo tempore conditae sunt, esse intelligo. Ab Augusto beneficium accepisse testis est inscriptio, apud Orell. n. 74 (Kellerm. Vig. Rom. p. 35 n. 39), in qua ***Iulia Dertona*** appellatur, atque etiam apud Plin. III, 7, 49 est colonia. Magistratus eius cognoscuntur ex Grut. p. 1096, 10 et 1103, 2.

Fabrateria, vetus colonia civium, deducta ann. 124 a. Chr., ideo videtur vel ab Augusto vel ab IIIviris vel ab Caesare esse suppleta et aucta, quia in inscriptionibus duo diversa colonorum genera discerni video. Nam apud Maff. Mus. Ver. p. 190, 8 commemoratur ***Sevir Augustalis veterum Fabrateriae***, tum ***Fabraterni veteres*** apud Orell. n. 102, tum apud eund. n. 101 ***Fabraterni Novani***. Summus magistratus IIvirorum cognoscitur ex Grut. p. 491, 9. Ex iis, quae auctor de colon. p. 234 habet, nihil potest colligi.

Puteoli, quos cur ab Octaviano iam ante bellum Actiacum occupatos esse existimem, supra in IIIvirorum coloniis dictum est. Sed etiam postea auctos esse demonstrat cognomen ***Augusta***, quod auctor. de colon. p. 236 habet.

Graviscae, vetus colonia civium, anno 181 a. Chr. deducta. De ea auctor de colon.

1) Vide de hac colonia *Decretum municipale Tergestinum de honore Fabii Severi secundum veterem lapidem denuo recensitum et illustratum a Car. Tim.* patruo (Berolini 1837).

2) Miror, quod Cic. Philipp. XIV, 3, 8, ubi vehementissime de Parmensibus ab L. Antonio vexatis queritur, non appellat coloniam, cum ita dicat Mutinam.

p. 220 sic: *ab Augusto deduci iussa est.* Neque tamen multos colonos adiectos esse docet Strab. V, 2, 8, qui πολίχνιον appellat.

Cumae, colonia Sullana, ut supra dictum est. De ea auctor ille p. 232: *muro ducta colonia, ab Augusto deducta.* Ac nomen habuisse *Iulia* demonstrant inscriptiones [1]). Supplevit Augustus ad portum maris inferi firmandum.

Liternum, vetus civium colonia, deducta anno 194 a. Chr. De eo auctor de colon. p. 235 ed. Lachm. sic: *muro ductum, colonia ab Augusto deducta — ager eius in iugeribus veteranis est assignatus.* Alie nulla eius memoria mihi nota est.

Castrum novum in Piceno, vetus colonia civium. Eius agrum auctor de colon. p. 226 dicit *lege Augustiana* assignatum esse, quod ad Augustum refero. Cf. supra p. 304.

Cales, colonia Latina, condita ann. 334 a. Chr., post legem Iuliam municipium (Cic. in Rullum II, 31, 86). Tum a IIIviris et quidem ab Antonio coloniam factam esse videri supra dictum est, ab Augusto deinde denuo constitutam.

Nuceria Alfaterna. Hanc cur ab Augusto auctam et renormatam esse existimem, supra in IIIvirorum coloniis explicandis demonstratum est. Atque accepit ab eo nomen Constantia.

Telesia, Antonii IIIviri colonia, item ab Augusto aucta videtur esse. Siquidem auctor de colon. p. 238 ed. Lachm. de ea sic habet: *Ager eius limitibus Augusteis in nominibus est assignatus.*

Minturnae, vetus colonia civium, condita ann. 296 a. Chr., quae colonia appelletur a Cic. p. Planc. 10, 26; a Ptolem. III, 1, 63, saepe in inscriptionibus. Eam, quia a Plin. III, 9, 59 inter colonias enumeratur, suspicabar ab Augusto adiutam et confirmavit opinionem meam Hygin. de limit. constit. p. 178 ed. Lachm., ubi ut exemplum veteris coloniae ab Augusto amplificatae Minturnenses appellantur [2]).

Sinuessa, vetus colonia civium deducta ann. 296 a. Chr., cf. Grut. p. 448, 4 (p. 897, 8), videtur etiam per bellorum civilium tempora colonos accepisse, quia ager eius apud auct. de col. p. 237 narratur *militibus* esse assignatus.

Ostia denique, quae una reliqua est apud Plin. III, 9, 56 colonia, propter veterem modo

---

1) Nimirum cum colonia appelletur in celebri titulo apud Orell. n. 2263 et in altero apud Gervas. Observat. de nonnullis inscript. Neapol. p. 26, non dubium debet videri, quin quod in altero hoc et in tertio apud Orell. n. 2533 legitur D. D. C. I., explicandum sit *decreto decurionum coloniae Iuliae.*

2) Cf. quae infra de Minturnis in imperatore C. Caligula dicentur. At *Terracina*, vetus colonia civium, condita ann. 329 a. Chr., etsi apud auct. de colon. p. 238 commemoratur, dubito num novis colonis aucta sit. Certe deductione nova non opus erat, ut colonia etiam imperatorum tempore diceretur. Hoc enim fit, velut in fragmento tabulae alimentariae apud G. Henzen. in Bullet. Inst. arch. 1839 p. 153.

nobilitatem vidari potest esse nominata. Sed tamen constat eum Caesar dictator portum Ostiensem purgare destinasset (Plutarch. in eius vita c. 58), propter difficultatem rei opus omissum esse (Suet. Claud. c. 20). Quare alia fortasse ratione coloniae antiquissimae subvenit.

Vulturnum, vetus colonia civium, deducta ann. 194. De eo sic est in fragm. agrar. p. 239: *colonia iussu imp. Caesaris est deducta*, minus accurate. Aucta sit et amplificata; vetus enim colonia certe constitit.

Praeter has autem veteres colonias, quas Augustus vel ut in potestate plane haberet, statim post pugnam Actiacam, vel postea ut deficientes hominibus frequentaret, militibus deducendis auxit ac denuo constituit, multa etiam alia oppida ab eo adiuta sunt, in quibus non milites modo, sed etiam alios homines collocabat. Exemplo potest esse

Perusia, cuius interitus supra narratus est. Eam vacuam et extinctam Augustus postea iis, qui vellent, habitandam concessit, agri tamen non plus quam septem stadiis et dimidio relictis. Inde non factam esse coloniam intelligitur nec appellat ita Plin. III, 8, 52. Quamquam *Augusta* sane nomen habet, quia ab Augusto restituta est, ut apud Grut. p. 164, 7 et Orell. n. 4038, et extat etiam titulus apud Grut. p. 164, 8 (Orell. n. 608), quo Perusia restituta Augusto grates agit. Sed mansit *municipium* itaque vocatur apud Grut. p. 375, 4, incolae *municipes* apud Grut. p. 1102, 6 [1]). Simili ex genere sunt haec oppida:

Surrentum, de quo auctor de colon. p. 236: *ager eius — limitibus pro parte Augustianis est assignatus.* Sed fuisse tamen municipium demonstrat titulus ann. 122 p. Chr. positus apud Murat. p. 1083, 7 (ibid. p. 1993, 2; Donat. p. 225, 5; Orell. n. 3742) [2]).

Ameria. De hac habet auctor de colon. p. 224 sic: *ager Amerinus lege imperatoris Augusti est assignatus. Veteranis est quidem adiudicatus et pro aestimio ubertatis legem sunt secuti — circa ipsum oppidum. Sed extra tertium miliarium lex Caesariana operata est.* Quae non posse ita explicari, ut tota urbs colonia facta esse videatur, documento sunt inscriptiones, in quibus frequenter vocatur *municipium*, ut apud Grut. p. 1101, 2; p. 1104, 6; incolaeque *municipes*, ut ibid. p. 1104, 13 et 15. De magistratibus eius vide supra p. 188.

Consentia in Bruttiis. De ea auctor de colon. p. 207 ed. Lachm.: *ager Consentinus*

---

1) In catalogo militum M. Aurelii imperatoris apud Marin. Act., fratr. Arv. p. 481 commemoratur *Ulpius coloniae Pitul . . . .*, sed fragmentum illud et mendose descriptum et ita mutilum, ut nec Marin. nec Kellerm. Vig. Rom. p. 52 n. 110 de colonia illa quicquam dicere audeant. Quamquam possit aliquis huc referre, quos Plin. III, 19, 114 habet *Pitulanos cognomine Pisuertes et alios Mergentinos.*

2) Eodem huc pertinebit *Amiternum*, de cuius agro est p. 228 in libro coloniarum. De eius magistratibus conferendi maxime Orell. n. 3699 et 3823 et 106, in quibus compluria obscuriora.

ab imperatore Augusto assignatus limitibus Graechanis. Nec tamen ideo a Plin. III, 10, 72 inter colonias recensetur.

Acerrae, de quibus auctor ille p. 229 *muro ducta colonia. Divus Augustus deduci iussit — ager eius in iugeribus militibus est assignatus.* Nec vero colonia facta videtur esse (cf. Orell. n. 3716) nec ita appellatur a Plin. III, 9, 63.

Atella, quem locum opportunum fuisse ad milites collocandos cognosci potest ex Cic. in Rull. II, 31, 86. De eo autem sic auctor ille p. 230: *muro ducta colonia, deducta ab Augusto — ager eius in iugeribus est assignatus.* A Plin. III, 9, 63 non vocatur colonia [1]).

Fundi. De iis auctor de colon. p. 234 ed. Lachm.: *oppidum muro ductum — ager eius iussu Augusti veteranis est assignatus — ceterum in eius iure et in publicum resedit.* Ex quibus ipsis colligi potest, non totum oppidum militibus occupatum nec factam esse coloniam.

Ligures Baebiani et Corneliani, de quibus iam supra in IIIvirorum coloniis dictum est, aucti etiam ab Augusto, sed coloniam ipsum oppidum appellatum non credo atque una illa, ex qua id aliquando colligebat inscriptione Allifana G. Henzen. in tab. alim. Baeb. p. 59, rectior ab eodem exhibetur in Addendis. Nec vero eidem credo fuisse duas diversas civitates; una modo erat, sed incolarum genera pro origine duo.

Veii, oppidum nobilissimum, de quo auctor de colon. p. 220 *priusquam oppugnaretur* (?), *ager eius militibus est assignatus ex lege Iulia. Postea deficientibus his ab urbana societate associandos censuerat divus Augustus. Nam variis temporibus et a divis imperatoribus agri sunt assignati.* Primum a dictatore Caesare agrum ibi esse divisum supra dictum est, sed novi illi coloni cum rursus defecerent, Augustus de plebe Romana alios misit. Sic auctum oppidum mansit tamen municipium, nomenque ab eo, qui auxerat, Augustum accepit. In multis enim inscriptionibus dicitur *municipium Augustum*, ut apud Nibbium Itin. vic. Rom. I p. 51 (Orell. n. 108); ibid. p. 54 (Orell. n. 110); ibid. p. 49 (Orell. n. 3737); Marin. Act. fratr. Arv. p. 831 (Orell. n. 3706); Fabrett. p. 170, 324 (Orell. n. 4046). Adiungimus Veiis

Gabios, de quibus vide, quae supra disputata sunt in Sullanis coloniis p. 253.

---

1) Commemoratur apud auct. de col. p. 216 etiam *colonia Ferentinensis* in Etruria, *lege Sempronia assignata — postea deficientibus veteranis iuxta fidem possessionis est recensita.* Quare milites etiam ibi collocatos esse intelligimus per civilium bellorum tempora, sed mansit tamen municipium; sic certe appellatur apud Vitruv. II, 7, nec Plin. III, 8, 52 coloniam vocat. Diversum ab eo est alterum *Ferentinum* in Campania, de quo apud eund. auct. p. 234 sic est: *oppidum muro ductum. ager eius est assignatus.* Ac colonos diversos a veteribus incolis ibi esse collocatos videtur docere inscriptio apud Orell. n. 1011, in qua *Ferentinates novani* nominantur. Sed mansit tamen item municipium; sic enim appellatur apud Orell. n. 784 et Grut. p. 461, 1.

Dirinos municipium, quod, ut auctor de colon. p. 233 habet, *familia divi Augusti* condidit. Videtur esse idem quod a Liv. X, 39 vocatur *Duronia*, cuius incolae apud Plin. III, 16, 105 sunt *Dirini*. Cf. Romanell. topograph. regn. Neopol. II p. 471 [1]).

Atque haec quidem, quae enumorata sunt, oppida veri est simile ab ipso Augusto colonis esse frequentata. Sed nominantur etiam alia ab illo auctore de coloniis, quae cum *limitibus Augusteis* et *lege Augustea* vel *Augustiana* assignata esse dicantur, incertum videri potest, utrum ab hoc Augusto an ab alio imperatore colonos acceperint, quae tamen et hoc potissimum loco recensendo putavi et hoc tempore constituta esse iudico.

Lanuvium, ubi etiam a dictatore Caesare milites collocati erant. De quo auctor illa col. p. 235 ed. Lachm. *ager eius limitibus Augusteis pro parte est assignatus militibus veteranis et pro parte virginum Vestalium lege Augustiana fuit. Sed postea imperator Hadrianus colonis suis agrum assignari iussit.* Unde cum constet, ante Hadrianum Lanuvii colonos esse collocatos, quis tamen imperator vel qui imperatores (nam etiam de pluribus cogitari potest) collocarint, incertum est. Neque vero factam esse coloniam ex titulo, qui est apud Fabrett. p. 659, 497 (Orell. n. 3740), colligi potest. Notabilior etiam titulus apud Grut. p. 253, 6, in quo Hadriani aetate posito commemorantur *senatus populusque Lanuvinus veteres*, ut colonos novos a dictatore Caesare et ab Augusto deductos iuxta veterem civitatem constitisse videamus.

---

1) *Ortona*, Frentanorum oppidum, vulgo solet pro colonia imperatoris Augusti haberi, ab Iust. Fontaninio de antiquit. Hortae c. 2, Alb. Fabricio de vita et scriptis Augusti, a Romanell. Scovert. Frentan. II p. 244. Moventur illi tribus maxime inscriptionibus, quarum prima apud Spon. Miscell. p. 174 (Orell. n. 1349; Romanell. topograph. regn. Neapol. III p. 66) nihil habet magnopere quod reprehendatur, sed ab auctoritate Ligorii proficiscitur, duae reliquae apud Romanell. Scov. Frent. p. 244 non magis bona Polidori fide nituntur et cum aliis de causis suspectae sint, tum pugnant inter se, quia in una *municipium*, in altera *colonia* appellatur. Superest quartae inscriptionis apud Romanell. l. l. fragmentum, repertum, ut ille ait, in ecclesia restituenda, in qua dicitur esse *IIvir i. d. col. Aug. Orten.*; sed ne huic quidem satis fidem habeo, cum tot alias ad coloniam efficiendam ementitas esse intelligam. Augusti quidem hanc nullo pacto coloniam fuisse video; nam Plin. III, 17, 106 oppidum vocat. Adiungo *Ocriculum*, notum oppidum, quod Marin. Act. fratr. Arv. p. 341 propter fragmentum inscriptionis Praeneste inventum coloniae iure usum esse putabat. Sed fragmentum tamen est non ullam certam interpretationem admittit. Quare nondum credo fuisse coloniam, cum et apud scriptores taceri intelligam et adversari aliam inscriptionem Ocriculanam, quae nunc in museo Vaticano est, apud eund. Marin. Act. fratr. Arv. p. 150. In qua qui est *L. Iulius L. f. Iulianus*, *patronus municipii*, sive Marinio credes eundem esse statuanti, qui commemoratur apud Grut. p. 422, 7, sive Borghesio in Diurn. Arcad. 1824, 2 p. 59 patrem eius esse existimanti, efficietur, Ocriculum usque ad Septimium Severum fuisse municipium, nec infra id tempus aut prior illa inscriptio aut colonia Ocriculana, si ulla

Camerinum. Id auct. de col. p. 256 finiri ait sicut Fanum Fortunae, ubi cum constet colonos collocatos ab Augusto, item Camerinum hic commemoro, etsi posteriorum imperatorum tempore municipium fuisse constat ex inscriptionibus apud Orell. n. 804 et n. 2172 (Mur. p. 755, 1).

Attidium. Ad id oppidum recte videtur referre Lachmannus, quae sunt apud auct. de colon. p. 240: *Ager Atteias. oppidum — et variis locis terminos Augusteos.* Sed fuisse municipium docent Orell. n. 88, Mur. p. 741, 3, titulus in Bullett. Inst. arch. 1845 p. 132.

Carseoli, vetus colonia Latina, deducta ann. 298. In ea vel ante Augustum vel ab Auguste agrum divisum esse coniicio ex auctore de colon. p. 239 et p. 254, ubi etiam *termini Augustei* commemorantur. At in inscriptione apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 806 (Mur. p. 1036, 3) dici videtur *municipium* [1]).

Aesis colonia quamquam et ipsa incerta est et si vera fuit quo tempore deducta sit, incertum est, hoc tamen loco a me ad Augusti colonias adiungetur. Commemoratur enim in quinque inscriptionibus, quarum de una Puteolana apud Reines. p. 406 Cl. VI n. 22 (Spon. Miscell. p. 182; Fabrett. 264, 95) iam a Kellermann. Vig. Rom. p. 32 ita dubitatum est, ut mallet esse ementitam, duae, apud Mur. p. 1100, 2 et 3 Ligorii auctoritate nituntur, reliquae duae apud Grut. p. 446, 1 (Orell. 3899) et p. 446, 2 (Orell. n. 3900) male referuntur apud Gruterum visae esse a Smetio. Nam Smetius ipse fol. 78, 1 et 2 a Pighio sibi datas esse ait, quem Ligorianis multis usum esse constat. Quare suspicio quaedam existere possit, ne omnis haec coloniae mentio non sit vera. Nec apud scriptorem ullum commemorari video [2]).

Trebula, cognomine *Mutuesca* (ita enim saepius in inscriptionibus, ut apud Grut. p.

---

fuit, referri poterit. Magistratus autem summi fuerunt Ocriculi IIviri, vide Mur. p. 711, 1. Commemoro autem etiam *Caesenam* appellari coloniam in titulo aperte ementito apud Grut. p. 432, 2.

1) Commemoratur apud auct. de colon. p. 229 etiam *colonia Peltuinorum*, cuius ager limitibus intercisivis narratur esse assignatus. Ac credo ibi milites vel ab Caesare vel ab Augusto collocatos; sed colonia nunquam nec appellata est nec fuit. Nam *praefectura Peltuinas* est apud Orell. n. 4036 et 3961, cuius summi magistratus vocantur aediles. Quare iuxta constitisse puto milites aliquando deductos et veteres incolas, ut illi partem aliquam communis civitatis, sed separatam tamen efficerent et suis magistratibus praeter eos, qui iuri dicundo praesunt, uterentur. Cf. etiam inscriptionem apud Orell. n. 3892.

2) Referam hoc loco etiam *Alatrium*, de quo apud auctorem de colon. p. 230 sic est: *muro ducta colonia. populus deduxit.* Ac sint eo deducti coloni vel a Gracchis vel a Caesare vel a IIIviris, sed ipsum oppidum appellatur municipium apud Grut. p. 422, 3 et 424, 7 (Orell. n. 3785). Nam ille titulus, in quo quibusdam videbatur dici colonia, apud Reines. p. 221, 238, quia a Ligorio prefectus est, merito videtur esse suspectus.

19, 3; Orell. n. 3963, 3442, 923, appellatur). De ea auctor ille p. 238: *municipium — ager eius limitibus Augusteis in nominibus est assignatus.* Cf. ibid. p. 258 [1]).

Forum Popilii in Campania, quod appellatur φόρος Ποπλίου apud Ptolem. III, 1, 68, incolae *Foropopulienses* apud Plin. III, 9, 64. De ee auctor ille p. 233: *oppidum muro ductum — limitibus Augusteis ager eius in iugeribus est assignatus. Nam imperator Vespasianus postea lege sua agrum censiri iussit.*

Forum Novum in Samnitibus assiguatum esse dicitur terminis Tiburtinis et Augusteis apud auct. de colou. p. 255 ed. Lachm.

Aesernia, vetus colouia Latina, quam diximus supra videri a dictatore Caesare esse colouis frequentatam. Sed de eadem auctor ille p. 233: *ager eius limitibus Augusteis est assignatus.* Inscriptionem, ubi colonia aut municipium appelletur, nescio; magistratus quidem video esse IIIIviros apud Grut. p. 1029, 4 (Mur. p. 295, 3); Orell. u. 3731, quem titulum Mur. p. 476, 6 minus recte videtur ad Allifas referre; apud Th. Mommseu. in Bullett. Inst. arch. 1846 p. 182.

Arretium in Etruria, quo a Sulla et a dictatore Caesare et deuique a IIIviris colouos deductes esse supra demenstravimus, etiam ab Augusto vel ab aliquo alio imperatere auctum est; certe aucter de colon. p. 215 ed. Lachm. dicit *colonia Arretium lege Augustea censita limitibus Gracchanis.* Sed appellatur tamen *municipium* apud Grut. p. 372, 12 (Mur. p. 1028, 8). *Veteres Arretini* separatim commemorantur apud Orell. n. 100, Mur. p. 723, 9; summi magistratus suut IIviri (Mur. p. 666, 3), Grut. p. 1029, 7 (Mur. p. 1094, 2).

In Picene *Cuprae*, *Truenti*, *Castri*, *Aterni* auctor ille p. 226 narrat agrum assignatum esse *lege Augustiana*, tum idem p. 259 *Tufici terminis Augusteis*; tum idem p. 258 et 259 *Teate Aterno* in veteribus Marrucinis (etsi id municipium appellatur apud Orell. n. 3853 et Speu. Misc. p. 199; cf. Orell. n. 2175) et *Beragrae* sive *Beregrae*; sic enim appellant Plin. III, 18, 111 et Ptolem. III, 1, 58. Denique apud eundem auct. p. 256 est *Marsus municipium*, cuius agrum, licet consecratione vetere maneat, aliquibus locis lege Augustea assignatum esse ait. Quo loco siguificari mihi videtur *Maruvium*, ut Plin. III, 17, 116, sive *Marubia*, ut Virgil. Aen. VII, 750, sive denique *Marrubium*, ut tabula Peutingeriaua habet, quod oppidum in titulo

---

1) *Frusino* apud auct. de colon. p. 233 dicitur *oppidum, muro ducta — ager eius veteranis est assignatus.* Invanio equidem etiam *coloniam Frusinatium* commemorari apud Donat. p. 346, 7, sed admodum dubiae fidei videtur esse inscriptio. *Histonii* etiam apud auct. de colon. p. 260 sic commemorantur: *colonia. Ager eius per centurias et scamna est assignatus. Finitur sicuti ager Bobianus*, qui p. 259 narratur divisus esse lega Iulia. Ac sit divisa pars vel ab dictatore Caesare vel ab Augusto; mansisse certe municipium doceut inscriptiones apud Orell. n. 2603 et 4052.

apud Orell. n. 3149 appellatur *splendidissima civitas Mars. Marr.* i. e. Marsorum Marruvii [1]. Referendum huo erit etiam *Supercquum*, do quo apud eundem anot. p. 229 est: *colonia Superaequana. ager eius veteranis est assignatus* et p. 258 *finitur sicut supra legitur ager Marsensis.* In Umbria *Matilicae* videntur *termini Augustei* commemorari in libr. de colon. p. 240 et 257; certe commemorantur *Nursiae* et *Pinnae* p. 227.

Haec de imperatoris Augusti coloniis Italicis ceterisquo locis, ubi milites vel alii coloni collocati sunt, dicenda erant, quibus explicatis non videtur opus esse, ut I. A. Fabricii sententiam refellam, qui in libro do soriptis imperatoris Augusti p. 233 etiam ex coloniis eius viginti septem enumeravit, aut Onuphrii Panvinii indicem coloniarum, quem in libro de Imperio Romano habot (in Graevii thesaur. antiq. Roman. Tom. I p. 474) omondem. Qui in quibus rebus a me discedunt (discedunt autom in plurimis), satis iis, quae de singulis coloniis disserui, videntur esse refutati [2].

Caput alterum.

Pervenimus iam ad eas colonias, quae extra Italiam ab Augusto conditae sunt, in quibus recensendis provinciarum, in quibus fuerunt, ordinem secuturi sumus, sod alium atque

1) Referenda hic sunt etiam illa oppida, quae auctor ille de coloniis a Druso Caesare deducta esse narrat, quem nescio qui alius possit intelligi, nisi Drusus Nero, Augusti privignus, qui bello Raetico et Germanico magna cum gloria administrato anno 9 a. Chr. mortuus est. Nam nec ante Augustum Drusum illum Caesarem vixisse ostendit, quod in Ulubra urbe post IIIviros collocater et in Cereatis Marianis agrum assignasse dicitur militibus et ipsius familiae, nec post Augustum quisquam est imperator, qui Drusus Nero appelletur. Quamquam ipsum illud memorabile est, quod non Augustus potius, qui perpetuus et vere esset imperator, quam Drusus deduxisse dicitur, quod quam ob rem fiat, vix intelligo. Sunt autem illa, quae dixi, oppida haec: *Anagnia* in Hernicis, de qua p. 230 ita narratur: *muro ducta, colonia Drusi Caesaris, populus deduxit — ager eius per strigas veteranis est assignatus.* Sed tamen *municipium* vocatur apud Grut. p. 464, 2 et 3; magistratus videntur fuisse II viri; vide Orell. n. 4101. Tum *Calagna*, de qua ibid. sio est: *muro ducta, colonia. Iussu Drusi Caesaris populus deduxit — ager eius veteranis est assignatus.* Quod oppidum etsi Lachmannus scite refert ad id, quod *Calemna* sive *Celemna* appellatur apud Virgil. Aen. VII, 739, malo tamen existimare errore esse ortum in hoc coloniarum indice; idem enim prorsus de *Anagnia* et de *Calagna* traditur. Nec talis repetitio in hoc scriptore insolita est. Tum *Cereatae Mariani*, de quo oppido diximus supra p. 229, de quo auctor ille p. 233: *postea a Druso Caesare militibus et ipsi* (scribe *ipsius*) *familiae — est assignatum.* Denique *Ulubra* de qua p. 239 haec sunt: *postea a Druso Caesare* est *irruptum*; *ager eius in nominibus est assignatus.* Cf. supra de IIIvirorum coloniis p. 339.

2) Tres autem coloniae ab Fabricio nominantur, quarum ratio supra non sit exposita, Ortona, de qua p. 358 diximus, Laurentum, de quo peculiari libello de Lavinio et Laurentibus Lavinatibus (Berol. 1845) a nobis disputatum est, Verona, quae quando coloniae ius acceperit, infra exponetur.

Augustus ipse usus est in monumento, quod Ancyranum dicitur, tab. V, 35, ubi sic gloriatur: *Colonias in Africa, Sicilia, Macedonia, utraque Hispania, Achaia, Asia, Syria, Gallia Narbonensi, Pisidia militum deduxi.* In his duae res memorabiles sunt, primum quod militum omnes colonias fuisse dicit, cum in nonnullas, ut Epidamnum et Buthrotum et Corinthum et Carthaginem, togatos cives missos esse constet. Sed aut hoc secutus est, quod militari eas more militarique imperio constituit aut quod aliquot ubique milites adiecit. Deinde Dalmatiam aliquis miretur esse omissam, in qua ab Augusto colonias collocatas esse infra demonstrabitur, quam provinciam ideo arbitror non nominari, quia quae in ea sunt constitutae coloniae, in triumviratu factae sunt, postea modo auctae et adiutae. Deducebantur autem hae coloniae in agrum publicum populi Romani, aut pridem aut recens vi atque armis captum, qui sine iniuria veterum possessorum novis colonis dari posset. Nam quod Augustus ipse in monum. Ancyr. III, 23 narrat, pro agris provincialibus anno 14 a. Chr. a se divisis circiter bis miliens et sescentiens esse solutum, id et ad Gallicas modo Hispanicasque colonias pertinere potest (nam in iis solis provinciis tum coloniae constitutae sunt) et dubium est, an ad agros passim militibus assignatos et ad veteres colonias suppletas, non ad novas conditas referendum sit.

Prima igitur provincia nobis erit *Sicilia*, cuius antequam colonias enumeremus, repetenda est breviter historia e dictatore Caesare usque ad hoc tempus, in quo versamur. Caesar quid insulae largitus sit, significat Cic. ad Attic. XIV, 2, 1 *Scis, quam diligam Siculos et quam illam clientelam honestam iudicem. Multa illis Caesar neque me invito, etsi Latinitas non erat ferenda. Verumtamen — Ecce autem Antonius, accepta grandi pecunia, fixit legem a dictatore comitiis latam, qua Siculi cives Romani, cuius rei vivo illo mentio nulla.* Quae video a Manutio ceterisque nimis cupide ita explicari, ut Caesarem toti insulae ius Latii tribuisse existiment. Neque enim hoc dicit Cicero, sed ita intelligi potest, ut aut nonnullis modo (quod ipsum recte Ciceroni magnum videri potuit) dederit, aut omnibus dare cogitarit civitatibus Siciliae, nulli vero dederit. At Antonius legem tulit de civitate toti Siciliae danda [1]), quam legem certum est cum reliquis M. Antonii actis, postquam consulatu abiit, esse sublatam [2]), cum Caesaris beneficia rata manerent. Neque aut a IIIviris aut ab Augusto, rerum potito, quem omnino in civitate tribuenda parcissimum fuisse et Sueton. in eius vit. c. 40 narrat et provinciarum historia confirmet, quicquam amplius concessum esse ostendit Plinii insulae

1) Eodemque pertinet Cic. Philipp. II, 37 *Civitas* (ab M. Antonio) *non iam singillatim, sed provinciis totis dabatur.*

2) Vide Cic. Philipp. V, 7 extr.; XII, 5, 12 et XIII, 3, 5 et quae supra de Antonia lege agraria dicta sunt. De Caesaris autem actis servatis vide Cic. Philipp. XIII, 5, 12 et imprimis 15, 31.

descriptio libr. III, 18, 64 sqq., apud quem una Messana vocatur civium Romanorum oppidum, tres sunt Latinae condicionis, Centuripae, Netum, Segesta. Ex iis Messana et Netum antea fuerant foederatae civitates, alterae duae immunes ac liberae, quibus utrum a dictatore Caesare an ab Augusto maiora illa beneficia tributa sint, discerni nequit [1]. Augustus autem ipse ad provinciam componendam in Siciliam venit anno 22 a. Chr., abiit anno proximo, quo tempore Dio Cass. LIV, 17 eum ait et Syracusis et aliis in urbibus colonias collocasse, ut omnes quinque colonias, quas Plin. III, 14, 88 in Sicilia numerat, uno illo tempore conditas esse censeam [2]. Sunt autem hae:

Tauromenium, antea foederatum, bello Sex. Pompeii captum ac vexatum ab Augusto (Appian. V, 109 et 116), qui quia oppidum opportunum esse existimabat, exactis incolis, quibus tamen alias sedes in Sicilia datas esse puto, colonos ibi collocasse narratur a Diodor. XVI, 7; nam Καίσαρα illo loco dictatorem Caesarem dici non recte statuit Cluver. in Sicil. antiq. p. 114 (ed. Lugd. Batav.). Colonia autem appellatur a Plin. III, 14, 88 et Ptolem. III, 4, 9, urbemque minorem esse quam Catinam dicit Strabo VI, 2, 3.

Catina, antea decumana. Huic ab Sex. Pompeio vexatae colonis deductis subventum esse scribit Strabo VI, 2, 3 et 4. Colonia appellatur a Plin. III, 14, 89; Ptolem. III, 4, 9; in inscriptionibus IIviri summi magistratus nominantur apud Castell. Inscr. Sicil. p. 57 n. 36 et p. 121 n. 42.

Syracusae, antea decumanae. De colonia eo deducta dicunt Dio Cass. LIV, 7; Strabo VI, 2, 4, qui eam partem, quae iuxta Ortygiam insulam est, maxime colonia frequentatam esse narrat. Commemoratur colonia praeterea a Plin. III, 14, 89; Ptolem. III, 4, 9 et in mutila inscriptione apud Castell. Inscr. Sicil. p. 289 n. 53.

Thermae, item decumana antea civitas. Plin. III, 14, 90 in litore insulae occidentali inter Heracleam et Selinuntem collocando significat eas Thermas, quae Selinuntiae appellantur, fuisse coloniam. Sed vereor ne erraverit. Etenim inscriptio est apud Grut. p. 433, 6 (Castell. Inscr. Sic. p. 52 n. 25), in qua est *colonia Augusta Himeraeorum Thermitanorum*, quae eam civitatem, quae ad Himeram fluvium prope Panormum sita est, coloniam dici apparet.

---

1) De condicione civitatum Siculorum, quae in libera republica fuerit, vide C. T. Zumptium ad Cicer. in Verr. III, 6, 13, quem hoc loco sequimur. Messana quidem civitatis beneficio affecta est fortasse iam post bellum Sex. Pompeii, quo iniuste a Lepido direpta erat (Appian. V, 122); Centuripinos vero Strabo VI, 2, 4 narrat, quod multum contulissent ad Sex. Pompeium vincendum, ab Augusto esse restitutos, ut simul Latii ius accepisse videri possint.

2) Iam antea post bellum Sex. Pompeii Augustum de coloniis in Siciliam deducendis cogitasse supra dictum est, ubi de IIvirorum coloniis disputavimus, p. 342.

Atque omnino haec urbs longe fuit nobilior solaque commemoratur a Ptolem. III, 4, 3. Accedit, quod eadem sola in tabula Peutingeriana notatur duabusque turribus insignitur. De magistratibus cf. Mur. p. 689, 3 et Castell. Inscr. Sic. p. 21 n. 1 et p. 72 n. 10.

Tyndaris, quae contra Caesarem videtur aliquid deliquisse; nam causa Tyndaritanorum commemoratur apud Cic. ad Attic. XV, 2, 4. In Sex. Pompeii bello saepius nominatur et opportunissimo loco posita esse dicitur apud Appian. V, 105 et 109 et 116. Strabo VI, 2, 5 de vetere urbe Graeca, ut opinor, dicens πόλισμα appellat. Coloniam deductam testantur et Plin. III, 14, 90 et inscriptiones, in quibus nomen habet *Augusta*, apud Orell. n. 955 et Stephanium in Iahn. Annal. phil. paedagog. tom. 43 fasc. 4 p. 451.

Superest denique unum oppidum, quod difficultatem aliquam habeat [1]), *Panormus*, in quo Strabo VI, 2, 5 dicit esse Ῥωμαίων κατοικίαν. Atque habuerit vel milites vel alios colonos deductos, ut Italiae multas civitates vidimus ab Augusto frequentatas esse: coloniam certe non fuisse testatur Plin. III, 14, 90, qui *oppidum* appellat. Sed facta est vere colonia a Vespasiano.

Sequitur altera insula maris inferi *Sardinia*, quam nunquam ab Augusto aditam esse scribit Suet. in Aug. c. 45. Sed tamen quae in ea *ad turrim Libysonis* una a Plin. III, 13, 85 commemoratur colonia, hanc item ab Augusto conditam esse existimo, sed ante bellum Actiacum eum a Sex. Pompeio Sardiniam proditione cepisset. Ideo Augustus ipse in monumento Ancyrano Sardiniam non enumerat inter eas provincias, in quibus colonias collocarit, nec Ptolem. III, 4, 5 appellat coloniam [2]).

Accedimus deinceps ad *Hispanias*, nobiles imprimis provincias ac graves, in quibus constituendis cum vi quoque et armis opus esset ad Astures et Cantabros domandos, multum temporis consumptum est. Ac primum quidem Augustus eo profectus est exeunte anno 27 a. Chr., consul VII; nam octavum consulatum Tarracone inisse narratur [3]). Pugnatum deinde est annis 25 et 24, rebellatum ann. 22 [4]), absente principe. Sed inter haec bella praeter unam Augustam Emeritam nulla fere colonia videtur esse deducta, quod tota demum provincia pacata Augustum aggressum esse existimo. Qui cum anno 16 a. Chr. ad Gallias, Germaniam, Hispanias componendas ab urbe profectus esset, ex quo itinere anno 13 rediit, multas colonias

---

1) Nam *Heraclea*, ubi item coloni Romani fuisse dicuntur apud Cic. in Verr. II, 50, 125, condita est insula modo a Carthaginiensibus capta deductisque Graecis; quare alius prorsus est generis.

2) Illud autem fateor a me non intelligi, quod apud Geogr. Ravennat. V, 27 p. 291 in Corsica insula *colonia Iulii* commemoratur. Nullam enim aut Caesaris aut Augusti coloniam in insula esse ostendit apertissime Plin. nat. hist. III, 12, 80.

3) Vide Sueton. vit. Aug. c. 26. De profectione Augusti narrat Dio Cass. LIII, 22.

4) Vide Dion. Cass. LIII, 25 et LIV, 5.

condidit, id quod a Dion. Cass. LIV, 23 sub anno 15 narratur, ab Augusto ipso in monumento Ancyrano III, 22 M. Crasso Cn. Lentulo consulibus i. e. anno 14 a. Chr. assignatur. Nec dubium est, quin ad has colonias pertineat, quod agrum provincialem a se emptum esse scribit. Tum igitur ab Augusto conditae sunt in *Baetica Hispania* hae coloniae:

Corduba, *cognomine Patricia*, ut ait Plin. III, 3, 11. Aedificatum erat oppidum a M. Claudio Marcello, qui ibi ann. 152 a. Chr. hibernavit (Polyb. libr. XXXV, 2), ac partim Romanis partim indigenis delectis [1]) frequentatum (Strab. III, 2, 1). Male affectum est saepius atque etiam incensum in bello Caesaris contra Pompeii liberos. Vide Caes. bell. Hispan. c. 34; Dion. Cass. XLIII, 32; Appian. bell. civ. II, 104 et 105. Nummi extant multi, Caesaris nulli, at Augusti ceterorumque imperatorum (Eckhel. Doctr. numm. Tom. 1 p. 18 sqq.), quod magno argumento esse debet, ne destinatam quidem esse hanc coloniam a Caesare. Maxime autem memorabilis est is, quem habet Vaillant. in nummis coloniar. I p. 62, in cuius altera parte sunt duo signa militaria cum inscriptione *Leg. V et X*, ut ex his duabus legionibus veterani eo deducti esse videantur [2]). Etiam in inscriptionibus saepius commemoratur; nam *patronus coloniae* est apud Orell. n. 3113; *colonia Patricia* apud Grut. p. 323, 12 (p. 325, 2); *IIvir Patriciensis* apud Grut. p. 460, 10. *coloni* eius *et incolae* apud Grut. p. 435, 4 et Mur. 711, 2; at Grut. p. 382, 5 (Mur. p. 685, 3) non videtur ad Cordubam pertinere; *decuriones coloniae Patriciae* apud Orell. 3819 reperiuntur.

Asta, *quae regia dicitur*, ut est apud Plin. III, 3, 11. Nummus eius affertur unus ab Eckhel. Doctr. numm. Tom. I p. 15, cuius epigraphe est haec: COL. ASTA. RE. F. i. e. *colonia Asta Regia Felix*, ut Eckhel. recte explicat. Commemoratur autem etiam a Pomp. Mela libr. III c. 1. In inscriptione falso eius memoriam sibi invenire videbatur Mur. p. 1099, 6.

Asido, quae *Caesariana* appellatur, Plin. III, 3, 11. Inscriptiones aut nummi mihi nulli noti sunt. Huc autem potius quam ad dictatorem Caesarem retuli, quia nullam novi urbem ab hoc conditam, quae Caesariana vocetur, at multas ab Augusto nominari Caesareas tradit Suet. Aug. c. 60, et confer paulo infra Caesaraugustam.

Astigi, *cognomine Augusta Firma*, ut ait Plin. III, 3, 12. Videtur condita esse in agro

1) Inde quod delecti ex Romanis deducti sint, factum esse putat Vaillant. in nummis coloniar. Tom. I p. 42, ut *Patricia* appellaretur, quod equidem cognomen ei postquam ab Augusto deducta est, inditum esse existimo.

2) Quinta quidem legio est ea, quae cum diu cum Caesare in Hispania et in Africa pugnasset multumque ad victoriam Mundensem reportandam contulisset (bell. Hispan. c. 30), deinde a M. Agrippa in Orientem translata est. Eiusdem veterani Emeritae collocati esse narrantur. Vide historiam eius enarratam a Bart. Borghesio de legionibus Germanicis p. 21. Decima autem legio est ea, quae appellatur *Gemina*.

a provincialibus empto; siquidem Plin. l. l. inter civitates liberas commemorat etiam Astigi vetus. Nummos Eckhelius habet nullos, sed credo Harduin. ad Plin. l. l., qui eum nummum, quem habent Vaillant. I p. 14, Eckhel. I p. 45, in qua haec est inscriptio COL. AST. AVGVSTA., ad Astigitanam potius coloniam, quam ad Asturicam, ut volunt illi, quae nulla colonia fuit [1]), referendum esse statuit. In inscriptionibus apud Grut. p. 101, 8 (cf. Mur. p. 1102, 3 et 1029, 6) nomina habet *Augusta Firma; col. Astigitana* est apud Orell. n. 3783.

Tucci, *quae cognominatur Augusta Gemella*, Plin. III, 3, 12, et *immunis* quidem. Nummus extat nullus, praeter dubios. Vide Eckhel. D. N. I p. 31. In inscriptionibus appellatur colonia *Augusta Gemella* apud Grut. p. 385, 7; p. 425, 4 (Mur. p. 1103, 2), Grut. p. 325, 2. Cf. Mur. p. 1003, 3 et p. 1003, 4, qui tituli minus emendati sunt.

Urso, *quae Genua Urbanorum* vocatur, Plin. III, 3, 12, *colonia immunis*. Nummi nulli noti sunt nec in inscriptionibus colonia commemoratur, quamquam Ursonenses sunt apud Murat. p. 1095, 6 [2]).

In *Hispania citeriore* sive *Tarraconensi* hae ab Augusto coloniae deductae sunt:

Illici, colonia *immunis*, ut ait Plin. III, 4, 19, quam iuris Italici esse dicit Paullus libr. L Dig. de censib. (tit. 15) 8. Nummi sunt non pauci Augusti (apud Vaillant. l. l. I p. 53) et Tiberii (ibid. p. 111), in quibus inscriptio C. I. I. A. vel C. I. IL. A. i. e. *colonia Iulia Illici Augusta* [3]), vel denique C. C. IL. A. i. e. *colonia Caesarea Illici Augusta*. Saepe in nummis inveniuntur signa militaria, vel aquila interiecta inter duo signa vel vexillum interiectum inter duas aquilas, sed numeri legionum non adduntur. Cf. Eckhel. D. N. I p. 51 sqq.

Barcino, *cognomine Faventia*, ut est apud Plin. III, 4, 22, quae *immunis* vocatur a Paullo in Dig. L, 15, 8. Nummi eius nulli noti sunt; at in inscriptione apud Grut. p. 429, 4 (Mur. 2016, 5) appellatur colonia *Faventia Iulia Augusta Pia Barcino* [4]).

---

1) Nam *Asturica* a Plin. III, 4, 28 vocatur *urbs*, non colonia et oporteret tamen eam ab Augusto conditam esse propter cognomen *Augusta*. Atque hoc cognomen (Ptolem. II, 6, 36) erroris occasionem praebuit, quia nullam urbem putabant aut nominari posse ab imperatore aut adiuvari, quin colonia fieret. Nec credo satis de nummo, de quo ipse dubitat Eckhel. D. N. I p. 35.

2) Praeter has colonias a Plinio nominatas Harduin. ad Plin. III, 3 ad urbem Nebrissam citat nummum apud Holsten. p. 128, in quo sit *colonia Venerea Nebrissa Augusta*, quem tamen nummum ipse falsum ac fictum esse censet.

3) Minus recte Vaillant. interpretatur *colonia immunis Illici Augusta*; nam immunitatis significatio in nomine non solet addi.

4) Refert Eckhel. Doctr. Numm. I p. 24 unum nummum, in quo sit *Colonia Iulia IIvir*, dicique existimat eam urbem, de qua dicat Plin. nat. hist. III, 3, 10 *Iulia quae Fidentia*. Equidem, cum necesse sit coloniam dici aliquam aut ab Caesare aut ab Augusto deductam et propter nomen et quod

Caesaraugusta, *colonia immunis, ubi oppidum ante vocabatur Salduba*, ut scribit Plin. III, 4, 24. Ab Augusto conditam esse tradunt Strabo III. 2, 15 extr. et Isidor. Orig. XV, 1 extr. Nummi extant plurimi, in quibus vel C. C. A. i. e. *colonia Caesarea Augusta* vel CAESAR. AVGVSTA, omissa coloniae significatione est; maximeque insignes sunt quidam Augusti et Tiberii, in quibus tria signa militaria inveniuntur cum inscriptione *leg. IV et VI et X*, ut harum legionum veterani ibi collocati esse videantur. Vide Vaillant. l. l. I p. 20, 73, 80 cet.; Eckhel. D. N. I p. 36 [1]).

Libisosa, *cognomine Foroaugustana*, ut tradit Plin. III, 4, 25 [2]) additque ei ius Italiae datum esse. Nummi eius extant nulli, at in inscriptione est *colonia Libisosanorum* apud Grut. p. 260, 3.

Salaria, apud Plin. III, 4, 25. Nummorum aut inscriptionum nihil inveni, nisi quod Harduin. ad Plin. l. l. ex thesauro Goltziano suspectissime inscriptionem affert, in qua esse ait COL. IVL. *Aug. Salariensis.* Item *IIvir praefectus pro duumviris reipublicae Salariensis* latet in corrupta inscriptione apud Mur. p. 1077, 8.

Clunia. Plin. III, 4, 18 in Hispania Tarraconensi duodecim colonias esse ait, ex qui-

---

post Caligulam nulli nummi Hispanici videantur esse signati, eam Plinio video fuisse commemorandam; qui cum non commemoret, ne fuit quidem ulla. Sed aliqua alia ex multis coloniis a Caesare et Augusto deductis dicitur. Nec magis pro vera colonia habenda erit *Marcia colonia*, quae est in inscriptione apud Grut. p. 435, 3, quae dubito an ex errore aliquo orta sit.

1) De decima legione dictum est supra in colonia Patricia; quartam et sextam etiam ex aliis monumentis constat fuisse cum Augusto in Hispania. Vide Borghes. de leg. German. p. 18 et p. 25.

2) Tollendus est ex hoc Plinii loco error relictus etiam apud editorem recentissimum. Enumerans enim ibi Plinius, quae civitates in conventum Carthaginiensem conveniant, more suo primum colonias recenset, deinde oppida Latina, tum stipendiaria; nam municipium, quod genus secundum colonias esse solet, nullum est in illo conventu. Editur igitur vulgo sic: *Carthaginem conveniunt populi LXV, exceptis insularum incolis. Ex colonia Accitana Gemellenses et Libososona, cognomine Foroaugustana, — ex colonia Salariense oppidani Latii veteris Castulonenses — Setabitani — Valerienses.* Quo nihil potest esse perversius. Nam quid est illud, ex colonia Accitana venire Gemellenses? quid, ex colonia Salariense oppidanos Latii veteris Castulonenses? Quasi ex colonia veniant non coloni, sed oppidani, aut colonia illa fuerit Latina, aut denique Castulonenses in colonia habitarint, quod merito negat potuisse fieri Uckert. in geogr. antiq. Tom. II p. 407, non perspecta tamen malae lectionis fraude. Est igitur sic scribendum: *Carthaginem conveniunt populi LXV, exceptis insularum incolis, ex colonia Accitana Gemellense, ex* (nam ne hoc quidem quin emendandum sit dubitari debet) *Libisosana —, ex colonia Salariense; oppidani* (i. e. oppidorum, quae Plinius coloniis et municipiis opponit, incolae) *Latii veteris* (i. e. qui vetus ius Latii habeant) *Castulonenses* cet. Nomen autem huic coloniae fuit *Libisosa*, ut est in Itinerariis, emendandusque Ptolem. II, 6, 59, unde recte fit adiectivum *Libisosanus.*

bus decem, partim ab Caesare, partim ab Augusto deductas, supra recensuimus, undecimam, quae a Plin. IV, 34, 110 commemoratur, infra in Vespasiani coloniis nominabimus. Nec tamen Plinius, qui in toto hoc recensu accuratissimus est, duodecimam coloniam aut omisisse prorsus videtur aut coloniae significatione non addita posuisse. Quare latere apud eum alicubi cum existimem, a librariis male expulsam, nullum opportunius, in quo latere possit, invenio oppidum quam *Cluniam*, caput imprimis nobile conventus Cluniensis. Sic igitur apud Plinium scribendum esse censeo: *ipsaque Clunia colonia, Celtiberiae finis*, nec in hoc scriptore, plurimis et maximis maculis infecto haec unius vocabuli omissio mira videri debet. Ac simile aliquid sensit iam Cellarius in geogr. antiq. Tom. I p. 119, qui Cluniam coloniam Romanam dicit, auctore usus Plinio. Idem nummos affert Goltzianos, in quorum uno sit COL. CLVNIA, in altero MVN. CLVNIA, quorum utrumque fictum esse arguit Eckhel. D. N. I p. 46, qui omnes urbis nummos solo nomine, nulla condicionis nota signatos esse dicit [1]). Cf. Vaillant. numm. colon. et municip. I p. 104 et Morellianum thesaurum nummorum imperat. I p. 606. Sed dicitur Clunia colonia a Ptolem. II, 6, 56, satis locupleto teste, ac commemoratur urbs etiam a Dion. Cass. libr. XXXIX, 54, qui anno 55 a. Chr. a Vaccaeis, victo Metello Nepote, esse captam narrat, quam ipsam coloniae postea deducendae causam extitisse censeo. Cf. etiam Plutarch. in vit. Galb. c. 6. Dubitari autem poterat, an *Dertosa* pro duodecima illa colonia a Plinio neglecta, habenda esset; nam nummi afferuntur a Vaillant. numm. colon. Tom. I p. 48; Morell. numm. imperat. Tom. I p. 621; Eckhel. D. N. I p. 47, in quibus est COL. DERT. et C. I. A. D., quod explicant *colonia Iulia Augusta Dertosa*, vituperantque Harduinum, qui ad Dertonam, Italiae coloniam, retulerat, cuius nummos negant ullos extare [2]). Utuntur etiam Strabone, qui libr. III, 4, 6 dicit: ἐπ' αὐτῇ δὲ τῇ διαβάσει τοῦ Ἴβηρος Δέρτωσσα κατοικία. Sed obstat his Plin. nat. hist. III, 4, 23, qui *civium Romanorum* Dertosanos nominat, nec Strabo κατοικίαν appellans coloniam, quae proprie vocatur, fuisse significat. Quare omissa nummorum ratione, de qua nihil decerno, haec iam ita concilio, ut veteranos sane vel alios cives Romanos Dertosae ad transitum Iberi fluminis custodiendum collocatos esse censeam, coloniae ius atque honorem urbi datum esse negem. Inscriptio autem apud Reinesium. p. 316 Cl. III n. 40 (Orell. n. 996), in qua est ORDO. D. C. D., dubia certe existimanda est, cum possit etiam explicari *ordo decurionum civitatis Dertosanorum* (nam ita incolae nominantur apud Grut. p. 402, 3 (eund. 478,

---

(1 Neque id mirum esse oportere docet et Caesaraugustae exemplum, quod supra commemoratum est, et quae infra de Pace Iulia, Augusta Emerita, aliis coloniis dicentur.

2) A Cellario quidem geogr. antiq. I p. 130 affertur Goltzianus nummus Dertosanus, in quo inscriptum esse ait MVN. DERTOSA, sed eum fictum esse constat.

8; Mur. p. 1043, 1; Orell. n. 4049), vel, quod malo, scriptum erat in lapide ORDO. DEC. D. I. E. *ordo decurionum Dertosanorum* [1]).

In *Lusitania* quae commemorantur quattuor colonias, praeter Scalabitanam, quae supra in dictatoris Caesaris coloniis exposita est, omnes videntur eodem prope tempore, anno 25 a. Chr., finito bello Cantabrico, esse deductae. Constat certe de

Augusta Emerita, *flavio Anae apposita*, ut ait Plin. IV, 35, 117, quae quomodo condita sit, vide apud Dion. Cass. LIII, 26; Strab. III, 2, 15 extr. et III, 3, 8. Cf. etiam Isid. Orig. XV, 1 extr. et Front. de contr. agr. p. 51, at Hyg. de lim. con. p. 171. Paullus in Dig. L, 15, 8 urbem iuris Italici esse dicit. In nummis, quos vide apud Vaillant. numm. colon. I p. 50 sqq., notatur aut *Augusta Emerita*, aut additur COL. i. e. colonia, aut denique sunt signa C. A. E. Saepe autem in iis commemoratur P. Carisius, Augusti legatus, a quo principe aegrotante bellum administratum esse Dio Cass. l. l. scribit, unde recte Vaillant. Emeritam sedem legati pro praetore, qui eam provinciam regeret, fuisse colligit. Denique unus nummus est Augosti maxime insignis, in quo inter duo signa militaria aquilamque legitur *Leg. V* et *X*, ut harum duarum legionum veteranos eo deductos esse intelligamus. Vide Eckhel. D. N. Tom. I p. 12. *Colonia Emeritensis* invenitur etiam in inscriptione apud Orell. n. 2226 [2]).

Metallinum, quod commemorator apud Plin. IV, 35, 117; apud Ptolem. II, 5, 8 *Caecilia Gemellinon sive Metellina* appellatur coloniae nomine non adiecto.

Pax Iulia, quam Plin. IV, 35, 117 dicit *coloniam Pacensem* et Paullus Dig. L, 15, 8 iuris Italici esse narrat. Nummi eius supersunt aliquot, sed in nullo coloniae nota additur (Eckhel. D. N. I p. 13); at in inscriptione apud Grut. p. 261, 12 est COL. PAX. IVLIA, magistratus eius IIviri sunt praeterea apud Resend. antiq. Lusitan. p. 201 et 202. Strabo III, 2, 15 tamquam coloniam Romanam nominat *Pacem Augustam* in eadem regione, in qua Pacem Iuliam sitam fuisse oportet, ut recte Uckert. in geogr. antiq. Tom. II p. 388 hanc et priorem pro una urbe habuisse videatur; Ptolem. II, 3, 5 Pacem Iuliam non apposito coloniae nomine appellat.

Norbensis colonia, *Caesariana cognominata*, ut ait Plin. IV, 35, 117, quae a Ptolem.

1) Hanc autem urbem si demas de municipiis, quae tredecim in Hispania Tarraconensi esse dicit Plin. III, 4, 18, minus etiam plenus eorum erit numerus, quae a Plinio nominantur. Nominat enim *Saguntum*, *Baetulonem*, *Iluronem*, *Blandas*, *Emporias*, *Dertosanos*, *Bisgargitanos*, *Belitanos*, *Calagurritanos*, *Ilerdam*, *Oscam*, *Turiasonem*, quae sunt duodecim. Ubi igitur est tertium decimum? *Asturicam* esse opinor, quae a Plin. III, 4, 28 *urbs magnifica* appellatur. Nam nec invenio maius ullum oppidum in Hispania, quin aut civitatem habeat aut Latinitatem, nec Plinius sine causa *urbem* videtur dicere, id quod non solet facere. Falso autem Asturicam a nonnullis pro colonia haberi supra dictum est.

2) Eo postea adiectas esse familias ab imperatore Othone infra demonstrabimus.

II, 3, 8 *Norba Caesarea* vocatur, quam cur ad Augustum potius quam ad dictatorem Caesarem referamus, supra dictum est in Asideno colonia [1]).

Gallia ab Augusto eodem fere tempore quo Hispania composita est, siquidem per illam in hanc proficiscebatur. Vide Dion. Cass. LIII, 22, et quae paulo supra de Hispanicis coloniis disputata sunt. Quamquam non novas modo colonias condidit, sed etiam aut prius destinatas et quasi inchoatas vere constituit aut constitutas supplevit atque adiuvit. Ex illo genere sunt colonia Equestris, colonia Rauriaca, Lugdunum; nam Augustus ipse in monumento Ancyrano scribit in Narbonensi modo Gallia colonias a se esse conditas. Suppleverat autem veteres colonias Gallicas iam antequam solus rerum potitus est; nam Dio Cass. XLIX, 34 eum narrat confecto Sex. Pompeii bello eum seditiones assiduo a militibus moverentur, non paucos missione data per colonias Gallicas divisisse. Ita recensendae erunt hoc loco hae coloniae:

Valentia, quae commemoratur a Plin. III, 5, 36 et Ptolem. II, 10, 12. Aliud nihil de ea notum est [2]).

Vienna Allobrogum, apud Plin. III, 5, 36, cui Paull. Dig. L, 15, 8 ius Italicum datum esse narrat. Commemorat Viennam Caes. bell. Gall. VII, 9 ita ut videas, Gallorum illud quidem fuisse oppidum, sed adeo a Romanis totum occupatum, ut plane fidum ac tutum haberetur in ceterorum Gallorum seditionibus; Dio Cass. XLVI, 50 narrat ab Allobrogibus quondam Vienna expulsos consedisse eo loco, quo deinde Lugdunum conditum est, id quod ad annum 61 a. Chr., quo a Pomptino legato Allobroges pacati sunt, pertinere oportet. Cf. Dion. XXXVII, 47 sqq. Ex Strabone autem libr. VI, 1, 11 discimus, Viennae principes Allobrogum habitasse, qui cum bello Vercingetorigis fidem in Romanos servassent, a dictatore Caesare vel ab Augusto eius destinata exoquente civitate videntur esse donati et coloni facti, admistis fortasse novis nonnullis colonis. Quare Tacit. Hist. I, 65, ubi multa de Viennensi colonia Lugdunensis aemula narrat, hanc sic gloriantem facit: *se Romanam esse coloniam et partem exercitus*, quod non recte vulgo explicatur *se coloniam esse vere Romanam*, *dignam hoc nomine*, cum Lugdunenses potius suam coloniam praedicent constare ex familiis Romanis, Viennensem ex Gallicis,

1) Nummi ii, quos habent Vaillant. numm. colon. I p. 88 et Morell. numm. imperat. I p. 603, in quibus inscriptum est vel C. I. N. C. vel C. C. N. C., dubium est, utrum ad hanc coloniam an ad Carthaginem novam pertineant. Vide Eckhel. D. N. Vol. I p. 43. Addo in insulis Balearicis a Pomp. Mela II, 7 *Palmam* et *Pollentiam* appellari colonias Romanas. Sed cum Plin. III, 11, 77 oppida civium Romanorum dicat, a Metello Baleárico, qui colonos Romanos in insulas modo subiectas deduceret, conditas et Latinitate donatas esse puto, deinde lege Iulia accepisse civitatem. Cf. Diodor. V, 17, 118; Strab. III, 5.

2) Nam quod Uckert. geogr. antiq. Tom. III p. 444 dicit colonos ius habuisse honorum Romae petendorum, nescio quo auctore dicat, quoniam apud Tacit. Annal. II, 23; Hist. I, 66 nihil tale legitur.

siquidem ipse Tacitus paulo supra dixit ***omnia illic*** esse ***externa et hostilia***. Ac commemorat hanc coloniam etiam imperator Claudius in oratione pro Gallis habita (apud Grut. Inscript. p. 502), ut demonstret iam pridem recipiendo in colonias et civitatem et honorum ius Gallis esse impertitum. Nummos Eckhel. D. N. I p. 71 huic coloniae tribuit eos, in quibus Caesaris et Augusti capita sunt atque haec inscriptio: C. I. V. i. e. ***colonia Iulia Vienna***, quod tamen cognomen alias ignotum est [1]). Nam in inscriptionibus invenitur tantum colonia Viennensis, ut apud Grut. p. 502. Magistratus sunt ***IIviri*** et ***IIviri aerarii*** apud Grut. p. 418, 3; Orell. n. 3840 et 3841 et 3842, qui communiter videntur appellari IIIIviri apud Grut. p. 400, 6.

Colonia Equestris, quae est apud Plin. IV, 31, 106. Hanc a dictatore Caesare destinatam, ab Augusto modo constitutam videri supra dictum est. Nummi eius extant nulli, in inscriptionibus vocatur vel ***colonia Equestris*** (Orell. n. 254 et 309 et 319 et 256) vel ***colonia Iulia Equestris*** (Orell. n. 307).

Rauriaca colonia apud Plin. IV, 31, 106, quam Ptolem. II, 9, 18 Ῥαυρικῶν Αὐγοῦστα, Itiner. Anton. p. 251 et 353 ed. Wesseling. Augustam Rauracum nominant, condita dicitur ab L. Munatio Planco in inscriptione, quae iam supra in colonia Beneventana citata est, eodem, opinor, tempore quo Lugdunum, anno 44 vel 43 a. Chr., cum Plancus ex Gallis triumphavit. Postea, vel quia ab Augusto aucta est, vel ipso eo qui deduxerat auctore Augustam appellatam puto; nam Plancus primus in senatu Augusti nomen Octaviano dudum esse censuerat (Suet. Octav. c. 7; Dio Cass. LIII, 16).

Lugdunum, quae colonia affertur a Plin. IV, 32, 107, a Paullo in Dig. L, 15, 8 iure Italico donata esse dicitur. Aedificatam esse constat a M. Lepido et L. Munatio Planco inter bella civilia anno 43 a. Chr. militibus deductis, senatu fortasse ex actis Caesaris iubente. Sed constitutae coloniae honorem postea tulit solus Plancus, Lepido potestate privato. Vide Dion. Cass. XLVI, 50 et Senec. Epist. IX. Plenissime eius nomina supersunt in inscriptione ann. 184 p. Chr. posita apud Millin. Itin. Gall. T. II p. 73 (minus recte apud Grut. p. 30, 2), in qua vocatur COLON. COPIAE. CLAVD. AVG. LVG.; nam imperator Claudius supplevit et adiuvit. In reliquis inscriptionibus, ubi commemoratur, solet scribi C. C. C. AVG. LVG., ut apud Grut. p. 422, 10 (Murat. p. 2053, 3; Spon. Antiq. Lugdun. p. 67); Grut. p. 424, 5 (Mur. p. 1112, 2); Grut. p. 382, 1 et 399, 4 (Orell. n. 194) et p. 488, 8; Donat. p. 91, 2; Millin. Itin. Gall. Vol. I p. 504 et 506. Cf. etiam Orell. n. 4020 et n. 2325 et n. 2322 et Millin. Itin. Gall. I p. 525. Nummi

1) Dubios enim esse ipse confitetur Eckhel. alios, in quibus item est inscriptio C. I. V., neque eos ad Viennam pertinere credam. Fictus autem sine dubio est nummus Neronis Goltzianus, quem Harduin. ad Plin. l. l. citat, in quo esse sit ***col. Vienna Leg. VIII. Claudiana Pia***.

cius, quamquam Strabo IV, 3, 2 in urbe officinam monetariam esse dicit, admodum sunt dubii nec certe colonia in iis notatur. Vide Eckhel. D. N. I p. 73.

Iam iis regionibus imperii Romani, quae ad occidentem spectant, perlustratis faciendum est, ut ad eas perveniamus, quae inter Italiam et inter Graeciam ac Macedoniam interiectae sunt, quae appellantur *Illyricum*. Versatus est Augustus in iis locis primum anno 35 a. Chr., cum Sex. Pompeio victo et milites barbarorum bello exercendos et iniurias ab illis populis Caesari patri illatas ulciscendas esse existimaret [1]). Tum seditio Pannoniorum et Dalmatarum anno 34 orta mox per legatos Augusti oppressa paxque restituta est. Eaque pax aliquamdiu mansit; nam anno demum 15 a. Chr. per Tiberium et Drusum Nerones Raeti et Vindelici in Alpibus Tridentinis domiti sunt (Dio Cass. LIV, 24) atque in iisdem fere regionibus anno 12 ducibus primum M. Agrippa (Dio Cass. LIV, 28), deinde Tiberio bellum gestum est (Dio LIV, 31). Verum maxima omnium extitit Pannoniorum et Dalmatarum annis 6 et 7 p. Chr. seditio, quam Tiberius et Germanicus cum quindecim legionibus, cum Augustus libertino etiam milite ad colonias Illyricas tutandas uteretur, compresserunt (Suet. Aug. c. 25; Vellel. II, 110 sqq.; Dio Cass. LV, 29 sqq.). Quamquam hoc quidem tempore iam conditae erant coloniae hae, quas secundum ipsius Augusti testimonium, antequam solus ille imperium adipisceretur, constitutas esse videri supra dictum est. Sunt autem per eas regiones hae coloniae:

Iadera, quae commemoratur a Plin. III, 25, 140; Ptolem. II, 16, 3. Insignis de ea est inscriptio, nunc Veronensis apud Maff. Mus. Ver. p. 95, 1 (Grut. p. 166, 5 et p. 84, 6): *Imp. Caesar, Divi filius, Augustus parens coloniae murum et turres dedit* i. e. Augustus coloniam non modo condiderat, sed ei etiam muros et turres dederat, eo, opinor, tempore, quo ingens illa Pannoniorum et Dalmatarum seditio admonebat, ut praesidia Italiae firmarentur. *Patronus* autem *coloniae* est apud Maff. Mus. Ver. p. 114, 4; magistratus IIvirorum apud eund. p. 115, 1 (Grut. p. 84, 6) et Mur. p. 100, 5. Idem autem in ea factum esse censeo, quod supra in Vienna Allobrogum dixi, ut veteres incolae in coloniam ascriberentur, quorum semper in rempublicam singularia extitisse officia narrat auctor de bell. Alex. c. 42, nec certe unquam in bellis Augusti commemorantur [2]).

---

1) Interfecerant enim in bello Pompeii, cum Caesar eorum amicitiam quaereret, nonnullos eius exercitus imperiaque cum specie fallendi subissent, tamen spreverant. Quos Caesar et maiorum rerum mole et immatura morte occupatus in aliud tempus distulerat. Vide Appian. Illyr. c. 13 sqq. et Dion. Cass. l. l.

2) Nummi harum coloniarum Illyricarum extant nulli. Vide Eckhel. D. N. I p. 151. Quare fictus est ille Domitiani Goltzianus, quem affert Harduin. ad Plin. l. l., in quo esse ait *Col. Aug. Iadera*, nec magis verus Holstenianus, qui a Cellar. geogr. antiq. I p. 642 affertur *Col. Claudia Augusta Felix*

Salona, quae commemoratur a Plin. III, 26, 141; Ptolem. II, 16, 4. Ea in memorabili inscriptione apud Orell. n. 2490 appellatur *colonia Martia Iulia Salona*, saepiusqno *colonia Salonitana* commemoratur, ut apud Orell. n. 502 et Steinbueoh. Annal. Vindob. ann. 1820 Vol. XII p. 20; Donat. p. 76, 5 (p. 349, 4) et p. 229, 2. Est etiam apud Donat. p. 211, 7 titulus ann. 30 p. Chr. positus, in quo *colonia Salonensis* appellatur. Cf. Donat. p. 211, 6. Ex quibus quamquam de anctore satis certe potest colligi, Panvinius tamen de imperio Romano et Vaillant. in numm. colon. Tom. I p. 153 eam ab imperatore Claudio deductam esse statuunt, eo, opinor, moti nummo Ligorisno, quem Cellar. geogr. antiq. I p. 615 affert, in quo esse dicitur *Col. Claud. Augusta Pia Veter. Salona*, de quo tamen nummo dubitat merito Harduin. ad Plin. l. l. Nec suppletam esse coloniam a Claudio documento esse debet illa, quam supra dixi, inscriptio, posita anno 137 p. Chr., in qua nulla est cognominis Claudiae significatio. Atque erroris causa videtur fuisse etiam Plin. III, 26, 141, qui proximo ante Salonam recenset Sicum, quo a divo Claudio veteranos missos esse narrat, quod qui minus diligenter considerabat, Salonam coloniam effecit. Erant autem Salonae iam dictatoris Caesaris tempore plurimi cives Romani *fortissimi fidelissimique*, ut dicit Hirt. de bell. Alex. c. 43, qui maximo cum animo M. Octavium Pompeianum illas regiones occupaturum repulerant, ut Salona tamquam potissima Romanorum sedes in Augusti bellis Dalmaticis commemoretur apud Appian. Illyr. c. 11. Verumtamen anno 34 a. Chr. cum Dalmatarum seditio orta esset, Octavianus ipse post M. Agrippam eo profectus urbem cum plurimis aliis Dalmatarum oppidis incendio delevit (Strab. VII, 5, 6). Tum igitur urbs militibus est frequentata et ab Octaviani nomine *Iulia* appellata; postea ann. 6 p. Chr. Bato, Dalmatarum dux, coloniam summa vi oppugnatam capere non potuit.

Narona, quae apud Plin. III, 26, 142; Ptolem. II, 16, 12 (apud quem urbis nomen corrumpitur *Narbona*), in tabula Peutingeriana appellatur colonia. Eodem tempore eademque ratione videtur esse deducta ac Salona. Nam M. Varro apud Plin. l. l., initia imperii Augusti respiciens, cum provincia modo constituta esset, ex ea nonaginta populos eo ventitasse dicit, qui bellis ac seditionibus sub Augusto ita attriti sunt, ut Plinius tredecim modo eosque parum frequentes superesse dicat [1].

Epidaurus, quae a Plin. III, 26, 143 colonia nominatur, quae quamvis a nullo alio commemoretur [2], vicinia tamen regionum suadet, ut ab Augusto deducta esse videatur.

Iadera, qui tamen Mannertum in geogr. VII p. 329 sqq. movit, ut coloniam ab imperatore Claudio deductam esse existimaret.

1) Conturbatur autem Mannert. geogr. antiq. Tom. VII p. 346, quod Strabo VII, 5, 6 flumine Narone nominato, cui urbs apposita erat, ipsam ignorat. Sed is auctor antiquioribus, ut puto, et Graecis fontibus in hac regione usus, parum est diligens, qui quidem etiam Iaderam prorsus ignoret.

Aemona in ea provincia, quae postea fuit Pannonia, quae commemoratur a Plin. III, 28, 147. Quare cum etiam apud Orell. n. 71 *Iulia* appelletur, etsi a Strab. VII, 5, 2 ignoratur, non dubito quin ad Augustum referenda eodemque prope tempore constituta sit, quo reliquae Illyrici coloniae.

Siscia colonia est apud Plin. III, 28, 147; nam apud Strab. VII, 5, 2 statio modo Romanorum in Pannonia sive castellum (φρούριον) appellatur. Expugnarat eam ann. 35 a. Chr. Octavianus, ibique Tiberius ann. 6 p. Chr., cum seditionem illarum gentium compesceret, armamentarium suum habebat (Dio Cass. LV, 30; Vellei. II, 113) idemque Tiberius Colapem fluvium circa urbem totam circumduxerat (Dio Cass. XLIX, 37). Quare non est dubium, quin eodem fere tempore quo Salona ac Narona colonis frequentata sit. In inscriptionibus inveni apud Orell. n. 504 (Mur. p. 2028, 9)* et apud Steinbuechel. in Annal. Vind. ann. 1831 p. 33 n. 369 (Bullett. Inst. Archaeolog. ann. 1833 p. 46) *coloniam Sisciam*, plerumque, quia colonia ab Vespasiano et ab Septimio Severo aucta est, horum nomina adduntur.

Deferimur provinciarum ordine ad *Graeciam*, quam Augustus bis visit, primum statim post pugnam Actiacam, qua de re vide Dion. Cass. LI, 4, deinde anno 21 a. Chr. ex Sicilia eo traiecit aestatemque commoratus Sami hibernavit (Dio LIV, 7). Coloniae in hac provincia, qua etiam Epirus vetus continetur, fuerunt quinque, non omnes eodem tempore conditae; Corinthi certe et Patrarum deductiones longo temporis intervallo distare certum est.

Corinthus, quae colonia appellatur a Plin. IV, 5, 11; Pomp. Mel. III, 2, 7; Paullo apud Fest. s. v. De agri Corinthiaci condicione, qualis inde a capta Graecia ad dictatorem Caesarem fuerit, secundum legem Thoriam ipsi diximus p. 217. A Caesare autem cum victo Cn. Pompeio respublica constituta esset, coloniam eo deductam esse scribunt Dio Cass. XLIII, 50; Diodor. libr. XXXIII init., Strab. VIII, 6, 23 extr. et XVII, 3, 15; Pausan. II, 1, 2; II, 3, 1; V init. [1]). Cautius paulo Appianus in Punic. extr., qui populo Romano agros flagitante Caesarem ait anno 44 a. Chr. (annum enim alterum et centesimum ab deleta olim urbe numerat) et Carthaginem et Corinthum colonos descripsisse; de Carthagine addit, Caesare prius interfecto, coloniam ab Augusto constitutam esse. Quod si in hac accidit, quid factum esse arbitramur in Corintho, sita in ea provincia, quam continuo interfectores Caesaris occuparunt, qui ei rei consulere certe nec possent nec vellent? praesertim cum Buthrotium quoque coloniam constet inchoatam modo esse a Caesare, non perfectam, nec omnino octoginta illa civium milia, qui-

---

2) Dubito enim de inscriptione Goltziana, quam affert Harduin. ad Plin. l. l., in qua esse dicit *colonia Epidaurum leg. IX*.

1) Omnia autem, quae ad huius coloniae deductionem pertinent, accurata collecta sunt in Morell. thesauro numm. imperat. Vol. I p. 78 sqq.

bus agri extra Italiam destinati erant, egressos esse videri Italia supra diximus p. 317 et 341. Sed victis Bruto Cassioque colonia constituta est; nam ante Actiacam pugnam extitisse intelligitur et ex M. Antonii nummis, qui aliquot supersunt apud Vaillant. numm. colon. I p. 8 (Eckhel. D. N. II p. 238) et ex Dion. Cass. L, 30, ubi ante ultimum discrimen Actiacum ab M. Agrippa Corinthum receptam esse scribit, id quod colonia non condita fieri non potuit, quia nulla ibi antea urbs fuerat. Quot homines Romani deducti sint, colligo ex Appian. l. l., qui tria milia Carthaginem deducta esse ait, huic coloniae fere parem, sed ascriptos esse existimo etiam Graecos, cum colonia magna hominum frequentia floreret; genus hominum, qui deducti sint, Strabo VIII, 6, 23 tradit fuisse libertinorum i. e. pauperum civium Romanorum. Nummorum eius magna extat copia, a Iulio Caesare, qui tamquam auctor et conditor praedicatur, usque ad Gordianum, sed post Getam rarior; inscriptio eorum quidem, qui imperatorum capitibus insignes sunt, usque ad Domitianum est vel *Corinth.* vel *Laus Iul. Corint.*, inde a Domitiano semper apponitur coloniae nota c. l. i. cor. vel col. lavs. ivl. cor. Vide imprimis Eckhel. D. N. II p. 241 sqq., Mionnet. numm. T. II p. 167. Inscriptio Latina quidem coloniae nulla mihi nota est; Graeca est apud Boeckh. corp. inscript. Graec. Tom. I n. 1104.

Patrae. Ibi M. Antonius bellum Actiacum parans hiemarat (Dio Cass. L, 9), deinde urbem M. Agrippa classe ceperat (Dio L, 13). De colonia eo deducta praeter Plin. IV, 5, 11 Strabo VIII, 7, 5 sic dicit: Ῥωμαῖοι δὲ νεωστὶ μετὰ τὴν Ἀκτιακὴν νίκην ἵδρυσαν αὐτόθι τῆς στρατιᾶς μέρος ἀξιόλογον. καὶ διαφερόντως εὐανδρεῖ νῦν, ἀποικία Ῥωμαίων οὖσα, idemque X, 2, 22 τοὺς ἐν Πάτραις Ῥωμαίους commemorat. Differunt ab his paululum ea, quae Pausanias VII, 18, 5 eadem de re narrat, qui Augustum ait deductos ex vicinis oppidis homines Patris collocasse: καὶ ἔδωκε μὲν ἐλευθέροις Ἀχαιῶν μόνοις τοῖς Πατρεῦσιν εἶναι· ἔδωκε δὲ καὶ ἐς τὰ ἄλλα γέρας σφίσιν, ὁπόσα τοῖς ἀποίκοις νέμειν οἱ Ῥωμαῖοι νομίζουσι. Hic militum deductionem omittit, de qua tamen ex nummis constat, sed inter colonos etiam Graecos homines fuisse ait ex vicinia ibi collocatos. Nummi plurimi supersunt imperatorum omnium usque ad Gordianum, in quibus usque ad Claudium appellatur col. a. a. p. i. e. *colonia Augusta Aroë Patrensis*, ut Augustae cognomen et auctorem et militum deductionem significet, Aroë autem, quod priscum nomen Patrarum fuit, vocetur propter Graecos adiectos. Saepe autem in nummis invenitur aquila legionaria interiecta inter duo signa militaria, cum hac inscriptione leg. XXII, ut ex hac legione milites deductos esse appareat [1]). A Nerone coloniam videri insigniter esse adiutam infra dicemus. Vide Eckhel. D. N. II p. 256 et Mionnet. numm. T. II p. 192. In inscriptione *Patrensis colonia* commemoratur apud Orell. n. 3881.

Dyme colonia appellatur a Plin. IV, 6, 13. Cum iam bello Macedonico vastata homini-

1) Quae fuerit haec legio XXII, explicatum est a Borghes. de legionibus Germanicis p. 47.

bus careret, Cn. Pompeius Magnus post bellum piraticum piratas multos eo deduxit (Strab. VIII, 7, 5). Quamquam non ob eam rem colonia fuit, sed quod Augustus post bellum Actiacum, quo oppidum male affectum esse arbitror, Romanos eo deduxit, quod Strabo XIV, 3, 3 significat νυνὶ Ῥωμαίων ἀποικία νέμεται. Incolae antem veteres quo iure fuerint, indicat Pausan. VII, 17, 3, cum sic dicit: Αὔγουστος δὲ ὕστερον καὶ προσένειμεν αὐτὴν Πατρεῦσιν i. e. hominibus, quos ex minoribus oppidis ad Patras incolendas collegerat, dedit idem iuris quod Patrensibus. Militum deductorum nulla est mentio; nam nummi nulli inveniuntur.

Actium. Statim post proelium Actiacum (nam Eusebius in Chron. ann. 30 a. Chr. Nicopolim conditam refert) Augustus eo ipso loco, quo, antequam cum M. Antonio dimicatum est, castra habuerat, urbem condidit, τοὺς μὲν συναγείρας, ut Dio Cass. LI, 1 narrat, τοὺς δ' ἀναστήσας τῶν πλησιοχώρων. Accuratius, ex quibus Graecis urbibus coloni eo deducti sint, indicat Pausanias V, 23, 2 et VII, 18, 6 et X, 38, 2, cum quo conferendus est Strab. VII, 7, 6 et X, 2, 2. Fuit igitur haec urbs, cui nomen erat ***Nicopolis***, Graeca eiusque nummi extant multi, Graece inscripti, in quibus Augustus ut auctor et conditor (Σεβαστὸς κτιστής vel Αὔγουστος κτιστής) praedicatur urbsque ipsa κτίσμα eius vocatur. Sed praeter hanc Graecam urbem ad Actium promontorium, ubi classes pugnaverant, erat etiam Romana. Diligenter has distinguit Plin. IV, 2, 5: ***Colonia Augusti Actium cum templo Apollinis nobili ac civitate libera Nicopolitana***, minus accurate Tacit. Annal. V, 10 ***colonia Nicopolitana***, nec plane certe Sueton. Aug. c. 18 ***urbem Nicopolim apud Actium condidit.*** Sed postea colonia Romana cum urbe Graeca videtur coaluisse. Mela quidem II, 3 ***Actium*** solum commemorat at in tabula Peutingeriana est ***Actia Nicopolis.***

Buthrotum. A Caesare quid ei acciderit, supra p. 318 expositum est, quo mortuo Buthrotios probabile est cum agri mensores eiecissent, Bruti et Cassii partes secutos esse, iis victis Antonii, ut hoc denique superato Augustus eorum agrum publicarit Italosque sedibus suis pulsos ibi collocarit. Commemorat coloniam praeter Plin. IV, 1, 4 etiam Strab. VII, 7, 5 Βουθρωτὸν — ἐποίκους ἔχον Ῥωμαίους. In nummis (Vaillant. col. numm. I p. 19; Eckhel. D. N. I p. 163; Mionnet. numm. II p. 52) at C. A. BVT. i. e. ***colonia Augusta Buthrotum*** appellatur et decuriones, IIviri, quinquennales commemorantur.

Atque haec quidem de Achaia dicenda erant; sequitur ***Macedonia*** provincia, in qua hae fuerunt Augusti coloniae:

Dyrrhachium sive ***Epidamnus***, Ciceronis tempore civitas libera (Cic. Epist. XIV, 1, 7; Aelian. var. hist. XIII, 16), quo Pompeius in bello civili Caesaris totum belli apparatum contulerat (Caes. bell. civ. III, 41 sqq.). Ideo, opinor, vastata ac debilitata coloniam ab Augusto accepit, qui eo Italos imprimis possessionibus suis propter M. Antonii amicitiam eiectos

deduxisse nerratur a Dione Cass. LI, 4. Colonia appellatur a Plin. III, 26, 145. Magistratus *IIviri* et *IIviri quinquennales* sunt in inscriptiene apud Orell. n. 4027.

Pella, veterum regum-Macedoniae sedes, quae propter Philippum et Alexandrum celebratur, commemeraturque in coloniis a Plin. IV, 17, 34. Nummi eius sunt ab Hadriano usque ad Philippum, in quibus semper nominatur COL. IVL. AVG. PELLA, nec ante bellum Actiacum conditam esse testantur ii, in quibus M. Antonii et Octaviani nomen est, nulla coloniae mentione. Vide Eckhel. D. N. Vol. II p. 74; Vaillant. numm. colon. I p. 277; II p. 58, 96, 174 cet. Sed parum frequentem fuisse coloniam documento est Lucian. in Alexandro c. 6, qui ταπεινοὺς καὶ ὀλίγους οἰκήτορας ei tribuit, similiterque loquitur Aristides.

Bullis (Plin. IV, 17, 35). Commemerantur Bullidenses in bello Pharsalico a Caes. bell. civ. III, 12, eusque in bello Philippensi, cum a C. Antonio tenerentur, M. Brutus expugnavit, quod colligo ex Cic. Phil. XI, 11, 26. Quare certum mihi est, coloniam ab Augusto deductam esse ad vetus oppidum adiuvandum nec me movet, qued Strabo VII, 5, 9 et VII, 7, 8 regionem tantum Bullidensem commemorat, coloniam ignorat. Nummi vel inscriptiones eius non extant.

Dium, oppidum vetus atque imprimis Lysippi artificiis nobile, colonia appellatur a Plin. IV, 17, 35, Ptolem. III, 13, 15, Paull. Dig. L, 15, 8, qui iuris Italici esse dicit. Nummi eius supersunt multi a Traiano usque ad Saloninam Augustam, in quibus nominatur COL. IVL. AVG. DIENSIS vel nonnunquam COL. IVL. DIENSIVM. Signa militaria in iis nulla sunt, ut Italicos maxime homines ibi collocatos esse existimem. Vide Vaillant. numm. colon. I p. 246; II p. 12, 115, 170, 354; Eckhel. D. N. II p. 71.

Cassandria, *quondam Potidaea*, ut ait Plin. IV, 17, 36, quam Paull. Dig. L, 15, 8 iuris Italici esse ait. Nummi satis multi coloniae supersunt, Claudii imperatoris usque ad Philippum (Vaillant. numm. colon. I p. 156, 169, 190 cet.; Eckhel. D. N. T. II p. 70), in quibus vel simpliciter dicitur COL. CASS. vel COLONIA. CASSANDRIA vel plenius COL. IVL. AVG. CASSANDREN.

Philippi, in Threcia, colonia appellantur a Plin. IV, 18, 42, in Act. Apostol. 16, 12; Paull. Dig. L, 15, 8 iuris Italici esse dicit. Incolae fuerent partim ex Italia ee traducti (Dio Cass. LI, 4), partim milites; nam in nummis, qui multi supersunt ab Augusto usque ad Caracallum (Vaillant. numm. colon. I p. 160, 191 cet.) signa militaria inveniuntur atque in nonnullis Augusti commemoratur adeo *cohors praetoria Philippensis*. Nomina coloniae in nummis sunt COL. AVG. IVL. PHILIP. i. e. *colonia Augusta Iulia Philippensis* [1]). Cf. Eckhel. D. N. II p.

1) Cur *Augusta Iulia*, non *Iulia Augusta* appellatur? Primum, quod in memoriam dictatoris Caesaris, cuius manes ad Philippos Augustus vindicarat, condita erat, *Iulia*, tum ab auctore *Augusta* nominata est. Paulo aliter statuunt Eckhel. et Vaillant.

76. In inscriptione apud Orell. n. 512 (Spon. Miscell. Erud. Antiq. p. 173) est ***colonia Iulia Philippensis*** et IIvirorum magistratus cognoscitur ex Orell. n. 3746, quem titulum ipsi emendatiorem exhibuimus in praefat. monumenti Ancyrani ab Io. Franzio et nobis editi p. 13.

Transimus ex Europa in ***Asiam***, quam nos dicimus, in qua terra Augustus ipse in monumento Ancyrano tres provincias nominat, in quibus militum coloniae a se constitutae sint, Asiam, Syriam, Pisidiam. Visit autem has regiones bis, primum anno 30 a. Chr., cum M. Antonium victum persequeretur, deinde ann. 20, quo eodem Graeciam peragraverat. Sed coloniarum deductiones aliae aliis temporibus factae sunt. In ***Asia*** autem, quae proprie dicitur, conditae sunt duae:

Troas colonia, Antigonia dicta, nunc Alexandria, ut ait Plin. V, 33, 124, quam Paull. Dig. L, 15, 8 iuris Italici esse dicit. Plurima de ea refert Strab. XIII, 1, qui Caesarem narrat, quia Troianos cognatione contingere videri vellet, iis et agros et libertatem atque immunitatem tribuisse, ab Augusto additam esse coloniam: νῦν δὲ καὶ Ῥωμαίων ἀποικίαν δέδεκται, ut est ibid. §. 26. Nummi eius supersunt plurimi a Traiano usque ad Saloninam Augustam, in quibus plerumque vocatur COL. TROA sive TROAS sive TROAD (i. e. Troade), saepe COL. AVG. TROAD. vel COL. ALEX. AVG. TROAD. Vide Vaill. numm. col. I p. 216, 233, 249 cet.; Eckhel. D. N. T. II p. 479; Mionnet. numm. II p. 640. In inscriptione militari apud Orell. n. 4995 item dicitur ***Augusta Troas***; ***colonia*** vocatur et IIviri commemorantur in titulo insigni apud Io. Franzium in Annal. Inst. arch. ann. 1842 p. 152. Cf. Marin. Act. fratr. Arv. p. 707.

Parium colonia appellatur a Plin. V, 40, 141 et IV, 18, 48, iuris Italici a Paull. Dig. L, 50, 8. In inscriptione una apud Orell. n. 512 dicitur ***colonia Iulia Pariana***, tum ***colonia*** in alio titulo apud Io. Franzium in Annal. Inst. arch. ann. 1842 p. 152. De nummis eius iudicare difficile est. Nam quem nummum hunc pertinere putabat Vaillant. numm. col. I p. 273, eum ad aliam coloniam refert Eckhel. D. N. II p. 461. Ipse describit alios ab Augusto inde usque ad Gallienum, in quorum iis, qui ante Hadrianum sunt, esse ait C. G. I. P. i. e. ***colonia Gemella Iulia Pariana***, in uno autem Gallieni deprehendit etiam numeros II et VII, legionum, ut videtur, ex quibus milites Parium deducti erant. Cf. Mionnet. numm. II p. 577.

Apamea in Bithynia interiore colonia appellatur a Plin. V, 43, 149 et Plin. epist. X, 56 et Ulpiano in Dig. L, 15 (de cens.) 1. Colonia eo deducta ab Augusto, quia Apameenses contra Romanos deliquerant. Nam Strabo XII, 4, 3 sic ait: πολιτευσάμενοι δὲ πρὸς Ῥωμαίους οἱ Προυσιεῖς εὐνοϊκῶς ἐλευθερίας ἔτυχον, οἱ δ' Ἀπαμεῖς ἀποικίαν ἐδέξαντο Ῥωμαίων. Nummi huius coloniae multi extant a Nerone usque ad Gallienum, in quibus nomina eius sunt: C. I. C. A. vel C. I. C. APA. vel denique COL. IVL. CONC. AVG. APAM. Vide Eckhel. D. N. II p. 406; Mionnet. II p. 412 sqq. In uno apud Vaillant. Tom. II p. 38 invenitur aquila legionaria, duobus signis militaribus interiecta.

Sequitur in *Syria*, vel si accuratius dicas, in *Phoenice* nobilis imprimis colonia

Berytus, *quae Felix Iulia appellatur*, ut ait Plin. V, 17, 78, et a Paullo in Dig. L, 15, 8, qui iuris Italici esse dicit, *colonia Augustana* vocatur. Eadem a Ioseph. bell. Iud. VII, 3 et 20 commemoratur. Destinata videtur esse iam a dictatore Caesare; nam eum tamquam auctorem celebrant nummi ii, quos habet Vaillant. numm. colon. I p. 2; Eckhel. D. N. III p. 356, Mionnet. V p. 337, in quorum una parte solius Caesaris caput est, in altera colonus bovem agens, quod signum solet esse coloniae conditae, cum inscriptione COL. BER. vel COL. IVL. BER., atque Augusti quoque nummi nonnulli sunt, in quibus appellatur modo COL. IVL. BER.; nam post eum in omnibus nummis usque ad Saloninam Augustam dicitur COL. IVL. AVG. BER. vel COL. IVL. AVG. FEL. BER. Sed constitutam vere et insigniter frequentatam esse ab Augusto constat ex Strab. XVI, 2, 19, qui ab M. Agrippa duas ibi legiones collocatas esse scribit, quod non alio tempore potest esse factum nisi ann. 14 a. Chr., quo Agrippa rebus Bosporanorum compositis Romam rediit. Atque eo ipso anno constitutio huius coloniae in Eusebii chronico annotatur [1]). Quae legiones deductae sint, intelligitur ex nummis nonnullis Augusti, in quibus numeri sunt $\overline{\text{V}}$ $\overline{\text{VIII}}$ scripti inter duas aquilas legionarias. Fuisse autem has legiones V Macedonicam et VIII Augustam demonstravit Borghes. de legion. Germ. p. 21. In inscriptione apud Orell. n. 514 dicitur *colonia Iulia Augusta Felix Berytus*.

Reliqua est *Pisidia*, in qua fuit una colonia

Caesarea, eadem *Antiochia*, ut dicit Plin. V, 24, 94, quae etiam a Strab. XII, 8, 14 commemoratur et a Paullo Dig. L, 15, 8 iuris Italici esse narratur. Nummi eius satis multi extant imperatorum inde ab Augusto usque ad Claudium Gothicum, ex quibus maxime memorabiles sunt nonnulli Caracalli, Elagabali, Gordiani, in quibus duo signa militaria inveniuntur, atque in uno Gordiani etiam numerum $\overline{\text{V}}$ scriptum esse dicit Eckhel. D. N. III p. 19, dubitans tamen ipse de interpretatione. Nomina coloniae sunt COL. CAE. ANTI. vel COL. ANTIOCHEA vel ANTIOCHIA. COLONIA. ANTIOCHIA vel paulum hinc discedentia. Vide praeter Eckhel. Vaillant. numm. colon. II p. 35, 108, 200 cet.; Mionnet. numm. III p. 493.

Superest *Africa*, multis coloniis frequentata et ad adiuvandas urbes et ad praesidium nationum barbararum. Visit eam Augustus nunquam; nam Sex. Pompeio victo eo traiicere apparantem continuae et immodicae tempestates prohibuerunt nec postea aut occasio aut causa traiiciendi fuit (Suet. Aug. c. 47). Quo tempore coloniae deductae sint, non constat; illud unum intelligitur non omnes uno tempore esse conditas. Sunt autem hae in *Africa*, quae proprie dicitur:

1) Vide supra in Patrensi colonia quae diximus, quam alio tempore conditam esse demonstravimus, ut in una colonia recte apud Eusebium tradatur, in altera erretur. Itemque censet Noris. in Cenotaph. Pisan. I p. 23.

Carthago, vetus oppidum, quod cum Romani evertissent ipsi deinde restituere constituerunt. Vid. quae supra in lege Thoria dicta sunt p. 217. Vere condidit dictator Caesar, somnio, ut Appian. Punic. c. 136 et Pausan. II, 1, 2 narrant, monitus, tribus fere milibus ex plebe Romana deductis; sed multi ex iis, qui iam in Africa erant, videntur esse adiecti. Haec incohata magis quam perfecta post Caesaris mortem IIIviros executos esse existimo. Sed cum Lepidus partem incolarum expulisset totamque rem disturbasset, Augustus ann. 29 a. Chr. iterum deductis colonis denuo constituit (Dio LII, 43)[1]. Sic igitur iam a Plin. V, 3, 24; Pomp. Mel. I, 7 colonia appellatur. Nummi olim permulti ad hanc Carthaginem referebantur, sed eos propa omnes ad alias colonias pertinere doctissime demonstravit Eckhel. D. N. IV p. 139 sqq. Supersunt igitur iam pauci, in quorum uno legitur COL. KAR. VEN., ut Carthago dici videatur *Veneria*, a Iuliae gentis dea patrona, cum eam coloniam, quam C. Gracchus olim deducebat, constet appellatam esse *Iunoniam* a Iunone, quae veteri Carthagini praesidera putabatur. De magistratibus coloniae confer Orell. n. 526 et Donat. p. 255, 5.

Cirta, *Sittianorum cognomine*, ut ait Plin. V, 2, 22, additque Pomp. Mel. I, 4 *nunc Sittianorum colonia, quondam regum* (Numidiae) *domus*. Sittiani autem dicuntur a P. Sittio illo, qui in bello cum Pompeianis gesto dictatori Caesari salutem simul et victoriam attulit eo, quod Numidia privatis copiis ac nescio propa Caesare invasa Iubae regis opes distinuit. Pro quibus tantis meritis Caesar ei partem Numidiae concessit, quam ille militibus suis divisit. Ita Cirta Romanorum facta est. Cuius incolae cum etiam IIIviros Octavianumque adiuvissent, civitatem ac ius coloniae videntur esse assecuti. Vide imprimis Appian. bell. civ. IV, 54, plenissime haec narrantem. Urbs ipsa, quia auspiciis quasi Caesaris condita erat, *Iulia* cognomen accepit; nam ita appellatur apud Ptolem. IV, 3, 28; colonia autem dicitur etiam in Itin. Anton. p. 28 et p. 41 ed. Wesseling. et apud Mart. Capell. VI §. 669. De magistratibus eius dictum est supra p. 190.

Sicca colonia appellatur a Plin. V, 2, 22; apud Ptolem. IV, 3, 30, in itinerariis, in tabula Peuting. nominatur *Veneria*, de cuius cognominis origine cf. Valer. Max. II, 6, 15. *Ordo Siccensium* commemoratur in inscriptione apud Orell. n. 3733 (Donat. p. 266, 6).

Maxula (Plin. V, 3, 24), *Uthina*, *Tuburbis* (Plin. V, 2, 49) item ad Augustum auctorem videntur referenda, quia apud Plinium nomen auctoris non additur nec a Ptolem. IV, 3, 34 et 35 coloniae appellantur.

Sequuntur *Mauretaniae*, in quibus magnopere laudanda Plinii diligentia, qui cum videret eodem ab imperatore Claudio deductas esse colonias, eas, quae ab Augusto conditae erant,

1) Vide praeter ea, quae supra in Corintho dicta sunt, Dion. Cass. LIII, 50; Plutarch. in vit. Caes. c. 57; Suet. Caes. c. 12.

ipso auctoris nomine addito, distinxit. Tres autem primae, quas nominabimus, in *Tingitana* sunt, reliquae in *Caesariensi.*

Iulia Constantia ***Zilis***, *Augusti colonia*, *regum* (Mauretaniae) *dicioni exempta et iura Baetica petere iussa*, ut ait Plin. V, 1, 3. Atque etiam Pomp. Mel. III, 10 extr. coloniam nominat, at Strab. XVII, 3, 6 solum πόλιν itemque Ptolem. IV, 1, 13.

Babba, *Iulia Campestris appellata*, *Augusti colonia*, ut est apud Plin. V, 1, 5; reliqui non appellant coloniam. At nummi non pauci supersunt imperatorum inde a Claudio usque ad Galbam, in quibus vocatur C. C. I. B. vel COL. C. I. BA. i. e. colonia Claudia Iulia Babba; nam a Claudio aliquo modo videtur esse adiuta.

Banasa, *Valentia cognominata*, *tertia* Augusti colonia in Mauretania, Plin. V, 1, 15.

Cartenna sive ***Carcenna*** (Mart. Capell. VI §. 668) *colonia Augusti*, *legione secunda deducta*, ut ait Plin. V, 2, 20. Item colonia vocatur in Itin. Anton. p. 14 ed. Wess.

Gunugi, *item Augusti colonia*, *deducta praetoria cohorte*, Plin. V, 2, 20.

Igilgili, *colonia Augusti*, Plin. V, 2, 21. Itemque colonia appellatur in Itin. Ant. p. 18 ed. Wesseling.

Rusconiae, *colonia Augusti*, Plin. V, 2, 20, sive, ut est in Itin. Ant. p. 16 ed. Wesseling., *Rusguniae colonia*. In inscriptione est *col. Ruscuniensis* apud Orell. n. 529 et *decurio*, *aedilis*, *IIvir*, *IIvir quinquennalis* in titulo nuper reperto, quem edidit Hasius in Diurn. Doct. Paris. ann. 1837 p. 654.

Rusazus, *colonia Augusti* apud Plin. V, 2, 21. In Itiner. Anton. p. 17 ed. Wess. quod *municipium* vocatur, et quod eodem videtur pertinere *Rusahu municipium*, quod est in tab. Peuting., confusioni cuidam tribuo. Nam quis non potius credat Plinio?

Salde, *colonia Augusti* apud Plin. V, 2, 21. Item colonia nominatur a Ptolem. IV, 2, 9 et in Itin. Ant. p. 17 et 39 ed. Wesseling. et in tab. Peuting. *Patronus* autem *coloniae* est in titulo admodum memorabili, quem edidit Hasius in Diurn. Doct. Parisiensium ann. 1837 p. 658.

Succabar, *colonia Augusti* apud Plin. V, 2, 21.

Tubusuptus item a Plinio V, 2, 21 colonia dicitur Augusti.

Caput tertium.

Colonias cum deducit imperator, quae in agro publico constituuntur, largitur de suo suasque copias minuit. Quare imperatorem ***Tiberium*** cum constet fuisse avarissimum, per se parum est probabile fecisse, ut agros militi donaret. Nam plebem quidem in possessionibus collocari, quia Augustus providerat, neo opus erat amplius magnopere nec invenitur factam

esse ab ullo eorum, qui proxime imperarunt. Ac tradit etiam Sueton. in Tib. c. 48, ut vel parsimoniam vel avaritiam Tiberii demonstret, missiones veteranorum rarissime ab eo factas esse, cum ex senio mortem, ex morte compendium captaret. Cf. Tacit. Annal. IV, 4. Quare nulla usquam mentio est coloniae ab Tiberio conditae. Sed cum nonnullas tamen veteranorum missiones fecerit, non mirum est, quod nomen eius apud auctorem incertum de coloniis in paucis Italiae oppidis, quorum ager assignatus esse dicitur, commemoratur. Ea autem sunt haec:

Tifernum, quod duplex erat; nam Plin. III, 19, 114 in Umbria ponit Tifernates Metaurenses i. e. ad Metaurum fluvium sitos (vide Orell. n. 3049 et Maff. Mus. Ver. p. 362, 9), et Tiberinos, Tiberis accolas. Cf. Grut. p. 494, 5. Hos videtur significare auct. de colon. p. 224: ***Ager Tiferinus in centuriis fuit assignatus; postea iussu imp. Tiberi Caesaris, quis, prout occupavit miles, deficientibus, aliis pauciaribus est assignatus.*** De priore deductione nihil traditur, sed ne hac quidem Tiberii condicionem oppidi mutatam esse ostendit Plin. Epist. X, 24, 1 et Grut. p. 244, 6. ubi municipium vocatur.

Tibur. De eo apud auct. de colon. p. 258 ed. Lachm. sic est: ***Ager eius a Tiberio Caesare est assignatus. Ea lege continetur, qua et campi Tiberiani leguntur inter Tibur et Romam.*** Atque de his campis Tiberianis est p. 218: ***in iugeribus vicenis quinis sunt assignati a Tiberio Caesare et termini Tiberiani nuncupantur.*** Cf. p. 254. Hoc igitur constare poterit, in agro Tiburtino assignationes esse factas a Tiberio. Nec vero eo oppidi ipsius condicio mutata; vocatur enim municipium apud Orell. n. 3352, 2249, 3933, 2206, alibi. Quae autem duae afferuntur inscriptiones, in quibus colonia appelletur, earum una apud Orell. n. 4817, quae iam Marin. Act. fratr. Arv. p. 179 suspecta erat, certissime videtur esse falsa, altera apud Orell. n. 3817 non referenda ad Tibur. De magistratibus autem municipii dictum est supra p. 178.

Graviscae. De iis auctor ille p. 220: ***postea imperator Tiberius Caesar iugerationis modum servandi causa — loca assignavit.***

Fidenas, de quarum republica cf. quae in inscriptione apud Orell. n. 112 sunt et apud Amsdut. Anecd. Litter. Vol. I p. 462 n. 5, auctor de colon. p. 255 eadem lege qua Tifernum teneri dicit: hoc quidem etiam a Tiberio Caesare assignatum esse dicit.

Imperator *Caligula* quod in re agraria fecerit, nihil notum est nec omnino ad eam rem videtur magnopere attendisse, cum et tanta insania tradatur fuisse, ut omnia alia potius quam rempublicam recte curaret et ea malignitate, ut pecuniam militibus emeritis debitam imminueret (Suet. in eius vit. c. 44). Nec quod Syracusis narratur collapsa vetustate moenia deorumque aedes refecisse (Suet. c. 21; cf. c. 20, 24, 51), id ad coloniam ibi ab Augusto constitutam pertinere existimo, sed ad veterem Graecam urbem, quam neglectam ab Augusto ipse munificentia sua excoluit. Quamquam apud auctorem de coloniis p. 235 ed. Lachm. unus

corte locus nominatur, quo milites ab eo deducti sint, *Minturnae*, de quibus sic est: *muro ducta colonia, deducta a Gaio Caesare*, nec abhorret a similitudine veri, auctam esse veterem illam coloniam a Caligula, nam deductam vel novam constitutam vix probabile [1]. Illud quidem legis agrariae fragmentum de termino moto, quod ex Callistrati libr. V de cognitionibus affertur in Dig. leg. 3 de termino moto (47, 21), nam ad hunc potius imperatorem C. Caesarem quam ad dictatorem pertineat, non discerno nec quod Caligula Minturnis milites collocasse dicitur, debet argumento esse, ab eodem latam esse legem illam; vix enim imperator quisquam facere potuit, quin aliquem agrum publicum divideret [2].

At Tiberius et Caligula cum nullas colonias deduxissent, *Claudio* necessitas ipsa extitit et militum coloniarum largitione deliniendorum et Italiae provinciarumque adiuvandarum. Sed earum coloniarum, quas non paucas in omnibus imperii partibus fuisse constat, exigua modo superest memoria apud eos scriptores, qui continua oratione Claudii vitam tradiderunt. Quod in Dione, qui ne Augusti quidem colonias nominarit, non miror, at in Tacito dolendum sane est, quod ea pars, qua haec contineri oportebat, periit. Nam duarum modo coloniarum deductarum mentio apud eum superest, coloniae Agrippinensis et Camaloduni, unius Italicae Bononiensis adiutae [3]. Nec Suetonius hoc loco adhiberi potest, qui ne deductas quidem ullas esse narret. Solus igitur relinquitur Plinius, qui cum Claudii ipsius de vita sua commentariis uteretur, diligenter quae novae coloniae ab eo deductae essent, annotavit; nam eas, quae adiutae modo aut auctae sunt, omisit.

Atque ut ab *Italia* incipiamus, duas ibi colonias conditas esse reperio, Velitras et Neapolim.

Velitrae, antea, ut ex inscriptione, quae est apud Cardin. Inscript. Velit. p. 20, apparet, fuerat municipium. De iis sic est apud auctorem de colon. p. 238 ed. Lachm. *Velitrae oppidum, lege Sempronia fuerat deductum; postea Claudius Caesar agrum eius limitibus Augusteis censitum militibus assignari iussit.* Ac vocatur deinceps colonia in inscriptionibus apud Orell. n. 1740 et 3052.

---

1) Vocatur autem colonia etiam a Ptolem. III, 1 et in inscriptionibus duabus apud Grut. p. 411, 8 et Orell. n. 3672.

2) Cf. de hac lege Rudorff. in lege Mamilia de coloniis (in annalibus iurisprudentiae historicae Berolinens. T. IX p. 379 sqq.) et supra p. 280.

3) Hoc tamen memorabile narrat Tacit. Annal. XII, 29, quod Vannium, Suevorum regem, patria pulsum, cum clientibus, validam sine dubio manum, ait agris acceptis in Pannonia locatum esse. Qui quo loco consederint, non constat; coloniam certe non effecerunt. Quis enim eos credat civitate esse donatos, nedum colonorum iure? Sed pertinet tamen hoc quoque ad rem agrariam et affine quodammodo est colonatui, qui multo post extitit, cuius origo a nobis peculiari quaestione explicata est.

Neapolim iam Sullanos milites deductos esse diximus supra p. 259, ita quidem, ut municipium tamen appellaretur. Sed verae tamen coloniae significatio reperitur in inscriptionibus, ex quibus quae tempore prima est, apud Grut. p. 9, 4, imperante Nerone ann. 56 p. Chr. posita est ab Augustalibus. Iam cum Nero non videatur condidisse propterea quod Tacitus, qui vitam eius accurate tradit aliaque oppida colonis frequentata commemorat, tacet, nec magis Augustus, quia Plin. III, 9, 62 non appellat coloniam, Claudius videtur deduxisse, eaque cum re conveniunt rectissime, quae de Petronii Arbitri coloniam Neapolim commemorantis aetate nunc solent existimari. Cf. G. Studer. in Mus. Rhen. philolog. ann. 1842 p. 203, e quo aliorum virorum doctorum de colonia Neapolitana multa ac diversa sentientium opiniones acute examinantur. Praeterea colonia dicitur apud Mur. p. 1112, 7 et Reines. Syntagm. p. 398, 10; Grut. p. 430, 6 et 439, 6; Donat. p. 350, 5. Etiam auct. de colon. p. 235 ed. Lachm. videtur significare, iam ante Titum imperatorem coloniam esse constitutam.

Suppletas esse narrat

Cumas auctor de colon. p. 232: *ager eius in iugeribus veteranis pro merito est assignatus iussu Claudii Caesaris*, deinde *Asculum* Picenum, cuius agrum idem p. 227 ait *terminis Claudianis* esse demensum, qui termini ab imperatore Claudio nomen acceperint necesse est, denique *Bononiam*, cui igni exhaustae ann. 54 a Claudio centies sestertii largitione subventum esse scribit Tac. Annal. XII, 58.

Sed praeter has, quae nominantur, colonias alias complures existimo a Claudio imperatore diligentissimo esse adiutas et frequentatas, quarum memoria periit. Nam *Ostiam*, ubi portum extruxit (Suet. in eius vit. c. 20) et *Puteolos*, ubi cohortem ad incendia arcenda instituit (Suet. c. 25) in hunc numerum referre nolim.

Insignior vero longe cura Claudii extitit in coloniis externis instituendis, imprimis ad eas provincias firmandas, quae in finibus imperii sitae rem Romanam tueri debere videbantur. Earum coloniarum maxima et nobilissima fuit

Colonia Agrippinensis, in finibus Ubiorum anno 51 p. Chr. in honorem Agrippinae, Claudiae uxoris, quae eo loco nata erat, condita *deductis veteranis*, ut Tacit. Annal. XII, 27 ait [1]). Commemoratur apud Plin. IV, 31, 106 [2]). Nec vero milites modo in ea collocatos esse, sed etiam indigenas Germanos intelligimus ex Tac. Hist. IV, 65, ubi Agrippinenses, cum Batavi seditione mota urbem expugnassent et postularent, ut et Romani omnes interficerentur et

1) Nam quod proprie dicit: *Agrippina in oppidum Ubiorum, in quo genita erat, veteranos coloniamque deduci impetrat*, sic intellige, deductos esse veteranos iisque colonorum ius tributum.

2) Diximus autem iam supra, hanc solam esse coloniam, in qua Plinius, quamvis non deducta sit ab Augusto, auctoris nomen non apponat, ideo, quia is ex ipso eius cognomine cognoscitur.

coloniae moenia diruerentur, ita ae popularibus suis excusont: *si qui ex Italia aut provinciis alienigenae in finibus nostris fuerant, eos bellum absumpsit vel in suas quisque sedes refugere. Deductis olim et nobiscum per connubium sociatis quique mox provenere, haec patria est; nec vos adeo iniquos existimamus, ut interfici a nobis parentes, fratres, liberos nostros velitis.* Tria hic incolarum genera discernuntur, primum mercatorum aliorumque civium Romanorum, qui propter privata negotia ibi versabantur; alterum militum, qui a Claudio deducti erant, tertium Germanorum, quibus connubium cum Romanis fuisse dicitur. Ex duobus posterioribus constituta erat colonia, Ubiis frequentandae urbis gratia ascriptis. Commemoratur autem colonia apud Tacit. Hist. I, 57; IV, 20 et 25 et 55 et 63 et 79; Dio, quod mirere, non nominat; at Paullus in Dig. L. 15, 8 ius Italicum habere dicit, a posteriore aliquo imperatore datum; nam si Claudius dedisset, Tacitus addidisset. In nummis apud Eckhel. I p. 74 appellatur COL. CL. AGRIP. i. e. *colonia Claudia Agrippinensis*, vel, ut quidam putant, C. C. A. A. i. e. *colonia Claudia Augusta Agrip.*; itemque videtur nominari in inscriptione, apud Steiner. Cod. Inscr. Rhen. n. 850. *Colonia Agrippinensis* est praeterea apud Orell. n. 3381 et n. 876 et Steiner. Cod. Inscr. Rhen. n. 792 et *genius coloniae*, cui ludi facti esse narrantur a. d. XIII et XII Kal. Mart., ipso, ut opinor, coloniae natali die, in titulo apud Stein. l. l. n. 886, posito ann. 56 p. Chr., paulo post deductionem.

Augusta Trevirorum. Hanc vulgaris quidem opinio est conditam esse ab imperatore Augusto, sed coarguit id et Plinii IV, 31, 106 [1]) Strabonisque silentium et Tac. Annal. I, 41, qui Treviros ait esse *externae fidei*, Tiberii initia narrans. At idem Tacitus Hist. IV, 62 et 72 et saepius in bello Civilis et Batavorum, quod imperatore Vespasiano fuit, enarrando, commemorat *coloniam Trevirorum*, et ibid. IV, 74 Cerealis Treviros ad fidem Romanorum reversos sic adhortatur: *proinde pacem et urbem, quam victi victoresque eodem iure obtinemus, amate, colite.* Hinc apertum est, initiis Vespasiani coloniam fuisse constitutam et quidem eadem ratione, qua coloniam Agrippinensem, et militibus deductis et indigenis ascriptis [2]). Iam origo coloniae non facile ad quemquam alium nisi ab Claudium referri poterit; nomen Augusta iam antea ob Augusto cum libertate donaretur sumpserat. Nam nominatur *colonia Augusta Trevirorum* apud Orell. n. 2773 (H. C. A. Eichstad. inscriptio arenaria Treviris nuper reperta, Ienae 1819) et n. 839 (anni 139 p. Chr.), itemque, ut videtur, apud Grut. p. 111, 9. Pomp.

1) Is sic dicit: *Treviri liberi antea et Lingones foederati* i. e. Treviri libertatem, Lingones foedus certum habuerant usque ad Vespasianum, sub quo cum seditionem movissent, severiore condicione astricti sunt.

2) Itaque principes Trevirorum civitate accepta habent etiam nomina Romana, ut Tutor apud Tacit. Hist. IV, 55; Alpinius Montanus ibid. V, 19.

Mel. III, 2 et Ptolem. II, 9, 12 sine coloniae significatione *Augustam* appellant. Cf. Mur. p. 1031, 2 (Steiner. Cod. inser. Rhen. n. 827).

Praeter Gallias autem firmandum esse putavit Claudius etiam *Noricum*, in quo condidit

Sabariam, coloniam divi Claudii, ut ait Plin. III, 27, 146. Ideoque in inscriptionibus appellatur *colonia Claudia Sabaria* sive *Savaria*. Vide Grut. p. 174, 1. In tribus aliis inscriptionibus apud Sehoeoviaaer. de antiquitatibus et historia Sabariensi, Pestini 1791, p. 53 (Grut. p. 389, 1 et p. 478, 6; Mur. p. 1106, 3) et p. 45 (Mur. p. 1106, 1) et denique p. 49 quod est c. c. s., item interpretandum de *colonia Claudia Sabaria*; nam etiam *Claudia Sabaria* sine coloniae mentione est apud Fabrett. p. 86, Mur. p. 1106, 2, Reines. p. 511. Illa autem coloniae memoria, quae reperitur apud Mur. p. 2053, 7 (Orell. n. 1687 et 3799) in lapide ipso recte a Schoeovisn. l. l. p. 49 descripto nulla est. Nummus non affertur nisi Goltzianus apud Harduin. ad Plin. l. l., aperte fictus, in quo esse dicitur *col. Sabar. Claudiana Augusta*.

Tum in *Thracia* ab eo deducta videtur esse

Apros, quae colonia appellatur a Plin. IV, 18, 47 et 48 et Ptolem. III, 11, 17. Hanc Vaillant. in nummis coloniar. Tom. I p. 153 et Mannert. in geogr. Tom. VII p. 204 a Claudio conditam esse dicunt propter inscriptionem apud Orell. n. 512, in qua appellatur *colonia Claudia Aprensis*, quae tantum apud me valuit, ut ideo Plinium ab instituto suo, quo omnes, quae post Augustum deductae sunt coloniae, auctoris nomine addito recenset, descivisse statuerem.

In *Asia* conditae sunt duae novae coloniae:

Ptolemais in Phoenice, *colonia Claudii Caesaris, quae quondam Ace* fuerat, ut ait Plin. V, 17, 75, quare Strabo XVI, 2, 25 oppidum modo novit. Nummi eius supersunt multi a Claudio usque ad Saloninam Augustam apud Vaillant. numm. colon. Tom. I p. 161, 181 cet. cum inscriptione COL. PTOL. sive COLONIA. PTOLEMAIS sive COLONIA. PTOLEMAIDENS. Sed citat Eckhel. Tom. III p. 424 (Mionnet. V p. 474) etiam alium, in quo sit COL. C. C. S. PTOL., quae dubitat quomodo explicanda sint. Maxime autem memorabiles sunt ii nummi Claudii et Neronis, in quibus sunt signa militaria cum numeris VI. IX. X. XI. i. e. legionis sextae Ferratae, decimae Fretensis, undecimae Claudiae Piae Fidelis. De legione nona dubito. Ex his igitur milites Ptolemaidem deductos esse colligi licet [1]).

Archelais in Cappadocia, *colonia Claudii Caesaris*, apud Plin. VI, 3, 8; item Itin. Ant. p. 144 et 576. Goltzianus nummus habere dicitur COL. *Caes. Archelais*.

1) In eo nummo, qui citatur ab Eckhel. III p. 424, imagini Claudii additum est COS. III. IMP. XIII.; consul autem quartum fuit anno 47 p. Chr. Eo igitur anno iam colonia erat Ptolemais, ut eius mentionem apud Tacitum nullam esse non mirum sit, cuius annales ab hoc ipso anno supersint.

Sed plures imperator Claudius in ***Africam*** deduxit colonias. Nam cum C. Caligula Ptolemaeum, Iubae filium, quem Augustus regem Mauretaniae instituerat, propter divitias necasset (Dio LIX, 25; Suet. Cal. c. 26), continuo bellum ortum est, quo tum compresso (Dio LX, 8) cum sub Claudio Mauri rebellassent, tandem aegre terra Romanorum facta et in duas provincias divisa est, Tingitanam et Caesariensem (Dio LX, 9; Plin. V, 1, 1)[1]. Ad eas a barbarorum incursionibus tuendas Claudius colonias condidit has:

Traductam Iuliam. De ea Plin. nat. hist. V, 1, 2 sic dicit: ***nunc est Tingi, quondam ab Antaeo conditum, postea a Claudio Caesare, cum coloniam faceret, appellatum Traducta Iulia.*** Multa et magna ex longo tempore de hac colonia fuit inter homines doctos dissensio, quam ne ab Uckerto quidem in geographia antiqua Tom. II p. 344 satis compositam esse arbitror. Rectissime autem Norisius in Cenotaph. Pisanis II, 1 p. 87 (ed. Venet. 1681) videtur disputasse, qui quae habet, paucis emendatis hic repetam. Proficiscor autem a Dion. Cass. XLVIII, 45, qui anno 38 a. Chr. narrat, cum nondum apertum bellum, sed insidiosa tamen pax esset inter Antonium et Augustum, Bogudem, Mauretaniae regem, amicum Antonii, invasisse in Hispaniam, sed deficientibus domi Tingitanis, et ab Hispania esse repulsum et patrio regno eiectum opera Bocchi, qui Augusti partes sequebatur. Tum Boccho regnum illud, Tingitanis civitatem ab Augusto esse donatam [2]. Eo igitur tempore Augustus, ne quis forte alius motus ex Africa in Hispaniam transiret, ipsum transitum muniendum esse ratus, Iuliam Iozam condidit. Eius rei auctor est Strabo III, 1, 7: Ἦν δὲ καὶ Ζῆλις τῆς Τίγγιος ἀστυγείτων, ἀλλὰ μετῴκισαν ταύτην ἐς τὴν περαίαν Ῥωμαῖοι καὶ ἐκ τῆς Τίγγιος παραλαβόντες τινάς· ἔπεμψαν δὲ καὶ παρ' ἑαυτῶν ἐποίκους καὶ ὠνόμασαν Ἰοζαν τὴν πόλιν. Ad Augustum autem, non ad dictatorem Caesarem refero hanc Iuliam Iozam [3]), quia, quoad hic vixit, et Bogud et Bocchus pariter eius studiosi erant regesque a senatu appellati (Dio Cass. XLI, 42) pariter Caesarem in bello adversus Cn. Pompeii liberos adiuverunt (Dio XLIII, 36). Nec Tingitanos omnino usque ad Augustum ita dicionis Romanorum fuisse, ut hi inde incolas traducere possent, documento est ipse ille Dionis locus, quem principio posuimus [4]. Iam haec Iulia Ioza nusquam

---

1) Factum est hoc anno 42 p. Chr., ut Africanarum coloniarum mentionem nullam apud Tacitum esse non mirum sit.

2) Graece sic sit: τοῖς τε Τιγγιτανοῖς πολιτεία ἐδόθη, quod commemoro, ne quis Reimaro ad Dion. l. l. credat docenti πολιτείαν significare libertatem, et Tingitanis regno Mauretaniae exemptis ius suae civitatis datum sit.

3) Eam coloniam, quae proprie dicatur, factam esse putat Eckhel. Tom. I p. 31, id quod ipsi nummi, in quibus coloniae nulla mentio fit, redarguunt.

4) Noris. l. l. p. 89 anno 25 post bellum Cantabricum cum universa Hispania constitueretur, Iu-

alias commemoratur; at commemoratur Iulia Traducta sive Transducta eo ipso loco sita, quo Strabo Iozam ponit, a posterioribus geographis, item nummi sunt Augusti urbis Iuliae Traductae apud Vaillant. numm. colon. 1 p. 67; Eckhel. l. l., in quibus *Iul. Tra.* vel *Iulia Trad.* inscriptum est, quos nummos Eckhelius, peritissimus earum rerum existimator, Baeticos esse indicat. Iam cum constet, Iozam Punice idem esse quod Latine Transductam [1]), facilis est coniectura, eandem esse urbem Iuliam Iozam Strabonis et Iuliam Traductam nummorum ceterorumque geographorum. Cum autem nova haec urbs Hispanica ex incolis earum, quas dixi, urbium constitueretur, Zilim quidem novam coloniam ab Augusto deductam esse supra intellectum est, Tingi, cui non omnes incolae adempti essent, item constitit; nam commemoratur a Strabone XVII, 3, 6. Postea autem cum sublato Maurorum regno sublatus etiam esset timor incursionum in Hispaniam, Claudius, ipsam potius novam provinciam a Mauris defendendam esse ratus, incolas Hispanicae urbis in veteres sedes videtur restituisse. Ita condita ab eo colonia, cui item nomen erat Iulia Traducta; nimirum Iuliam certe traduxerat [2]). Eius praeter Plinium nulla memoria, nisi quod Tingi tamen colonia appellatur in Itin. Anton. p. 8 et 24 ed. Wesseling. Hispanica autem mansit Traducta, sed oppidulum; nam Plin. III, 3, 8 non commemorat, sed geographi, qui omnes itinerum stationes recensent [3]).

Lixus, colonia a Claudio Caesare facta, ut ait Plin. V, 1, 3. Commemoratur in Itin. Anton. p. 7 ed. Wessel.; nam apud Ptolem. IV, 1, 13 coloniae significatione caret.

Caesarea, a Divo Claudio iure coloniae donata, antea Iol, Iubae regia, ut est apud Plin. V, 2, 20. Iol nomen fuit ante Augustum; nam Strabo XVII, 3, 12 Iubam narrat, Ptolemaei filium, cui Mauretaniae regnum ab Augusto datum est, urbem auctam in eius honorem appellasse Caesaream. Cf. Eutrop. VII, 10; Isidor. XIV, 5, 11. Nummos eius antequam

---

liam Iozam aedificatam esse putat, nec pugnabo de ea re, etsi opportunior mihi occasio transitus ex Africa prohibendi iam priore tempore videtur extitisse.

1) Vide apud Noris. Cen. Pis. p. 89 et Eckhel. Doctr. numm. I p. 30 quae dicuntur.

2) Norisius dubitat de Claudia colonia, maxime quod Ptolemaeus IV, 1, 5 Tingi, non Traductam Iuliam nominat, qua re Plinii fides non infringitur. Sollemne enim coloniae nomen erat Traducta Iulia; vulgus usurpabat Tingi ipsaque provincia Tingitana vocabatur.

3) Uckerto quidem videtur commemorari etiam a Pompon. Mela II, 6, qui inde fuerit oriundus, cuius locum sic ex codicibus legendum esse censeo: *Sinus ultra est in eoque Carteia, aliquando Tartessos, quam transvecti ex Africa Phoenices habitant, atque unde nos sumus, Tingetana*, in quibus eo discedo a vulgata lectione, quod *et* ante *quam* deleo et *Tingetanam* scribo pro eo, quod *Tingentera* editur. Sed dubium tamen est, num haec Tingetana sit Traducta Iulia; quamquam illud certum est errare Eckhelium, qui Phoenices incolas Tingetanae dici putat, non Carteiae.

colonia fuit, habet Eckhel. D. N. T. IV p. 153, sed incertum est, num eo pertineant. Colonia ipsa commemoratur in Itin. Anton. p. 15 ed. Wessel. et apud Mart. Capell. VI §. 668 [1]).

Oppidum novum, eiusdem Claudii iussu deductis veteranis, Plin. V, 2, 20. Nominatur colonia in Itin. Anton. p. 38 ed. Wessel.; etiam Ptolem. IV, 2, 25 habet Ὀππιδόνεον κολωνίαν.

Superest, de qua dicendum sit, *Britannia*, in qua recensenda negligentior est Plinius, quippe qui nullum omnino nec populum in ea nec urbem nominet. Existimo enim eo tempore, quo scribebat, famam quidem fuisse Romae eorum, quae ibi gesta essent, et publicam quoque memoriam, sed eam nondum transisse in libros, ex quibus Plinius historiam suam colligebat. Ac ne Mela quidem III, 6, quamvis Britanniam a Claudio bello apertam esse dicat, aut coloniam ullam aut aliud oppidum commemorat. Unam tamen coloniam sub Claudio conditam esse scimus

Camulodunum sive *Camalodunum*, ante regum barbarorum sedem (Dio LX, 21), ubi anno 51 p. Chr. valida veteranorum manu collocata colonia condita est a P. Ostorio pro praetore (Tacit. Annal. XII, 32). Cognomen habuit *Victricensis*, ut colligitur ex inscriptione apud Orell. n. 208 (Kellerm. Vig. Rom. p. 271) et a Cellar. geogr. antiq. I p. 420 citatur etiam nummus, in quo sit *col. Camalodun.*, quem tamen nummum ignotum sibi esse dicit Eckhel. Doctr. numm. Vol. I p. 80. At appellatur *colonia* Camalodunum apud geogr. Ravenn. V, 31 p. 303. Haec colonia sub Nerone ann. 62, deficiente Boudicea regina, barbaris prodita, vastata, deleta est [2]) (Tac. Annal. XIV, 31). Unam autem omnino coloniam sub Claudio quidem fuisse in Britannia ostendit aperte Tacit. in vit. Agric. c. 14, ubi enarratis, quae usque ad Agricolae tempus ibi gesta essent, narrat de *addita insuper veteranorum colonia*. Nomen autem *Victricensis* datum ab legione sexta Victrice, quam Camaloduni constitisse et Ptolem. II, 13, 17 et complures inscriptiones testantur. Cf. etiam de nummis coloniae Camden. Britanniam (anglice conversam et auctam ab Edmundo Gibsonio, Londin. 1695) p. 347.

Atque hae quidem coloniae novae a Claudio deductae sunt; sed aliae ab eodem vel alia munificentia adiutae vel hominibus suppletae sunt, id quod nomine Claudii veteri addito

1) Eo Reinesius Syntagm. Inscr. Rom. p. 329, 71 refert inscriptionem prope veterem urbem repertam, coniectura efficiens, ut COL. IVL. I. e. *colonia Iulia* commemoretur. Sed mutila est inscriptio et incerta.

2) Cf. etiam Dion. Cass. LXII, 1 et 8 et 9 cum notis interpretum. Auget consulto rem Tacit. Agric. c. 5, ubi sub Suetonio Paulino *incensas colonias* scribit. Incensa enim sunt duo omnino oppida, praeter Camalodunum etiam Verulamium. Vide Reim. ad Dion. LX, 1. Ipse etiam se Tacitus quasi corrigit c. 31, ubi de eadem re scribens *coloniam* muliere duce expugnatam esse ait, itemque c. 16.

testantur. Non dicam do *Apamea*, oui terrae motu convulsae tributi remisaione in quinquennium subvenit (Tac. Annal. XII, 58), sed suppleta *Narbonensis colonia*, do qua vido quae supra in dictatoris Caesaris coloniis dicta sunt [1]; in eadem provincia *Lugdunum* ab Clandio, qui ibi natus orat (Sueton. Claud. o. 2) adiutum esse existimo atquo inde cognomon Claudium accepisse, quod saepissime in inscriptionibus habet. Denique in Africa *Babba*, quao Claudia appellatur, ab Claudio videtur esse suppleta. Vido supra in imperatoria Augusti ooloniis [2].

Qui Claudio successit, *Nero*, quas coloniaa doduxerit, ex Taciti annalibus satis perspici potest, qui rea bello gestas omniaque, quao ad amplitudinem imperii augendam spectant, cum anxie quaereret, coloniarum deductionem non videtur silentio praetormisisse. Nec quae in libro quinto decimo mutilo externarum rerum narratio deest, in ea coloniae ullius mentionem perisse vori aimile est; nam et breva id tompus fuit et discordiis civilibus turbatum, ut

---

1) De *Iadera* et *Salona*, quae a quibusdam huc relatae sunt, supra p. 372 in Augusti coloniis demonstratum est.

2) Addendum est hoc loco de nonnullis oppidis, quae cum a quibnadam coloniae existimatae aint, non fuerunt. Recansetur enim in Claudii coloniis a Vaillant. Tom. I p. 153 *Claudiopolis* in Isauria, cni obsecuti sunt Cellar. geogr. antiq. II p. 228 et Mannert. geogr. antiq. VI, II p. 230, moti illi quidem, ut opinor, Amm. Marcell. XIV, 8, 2 testimonio, sic dicentis *Claudiopolis, quam deduxit coloniam Claudius Caesar*. Quibus cum cradarat Eckhel. Doctr. numm. Tom. II p. 407, Patinum, qui nummos, in quibus Graeca erat *Claudiopolis* et *Claudiopolitae*, ad hanc Claudiopolim retulerat, raprehendit, quia coloniae significatio in iis nulla esset. Item alias simili ex genere nrbes, quas Pompeiopoles, Iuliopoles, Traianopoles, Hadrianopoles appellantur, cave existimes fuisse colonias, nisi addatur coloniae nomen. *Rusucurrium* item a Vaillant. l. l. in coloniis Claudii ponitur. Sed Plin. V, 1, 20 ait *Rusucurrium, civitate honoratum a Claudio*, colonia facta postea; nam sic sane appellatur in Itin. Anton. p. 16 et 39 Wessel. Praeterea a Mannert. geogr. antiq. III, 720; Cellar. geogr. antiq. I p. 545; Orell. in collect. inscript. n. 3504 *Virunum*, Norici oppidnm, colonia appellatur, ex fide nnius inscriptionis apnd Grut. p. 569, 7, in qua Lipsius sibi invenire videbatur tamquam patriam militis notatam COL. C. VIRVNO i. e. *coloniam Claudiam Virunum*. Sed ego fateor me minus credere sic fuisse scriptum, sed potius solnm CL. VIRVNO; nam Plinii locus, quem citabimus, vix patitur de colonia credere. Item pro colonia habetur a Mannert. III p. 732 et Orell. in inscript. n. 501 *Celeia*, ex inscriptionibus quidem, sed non fuisse apertissimis documentis demonstravit I. G. Seidl. in collectione monumentorum Celeianorum in Annal. Vindob. ann. 1846, 1 p. 3 sqq. Poterant eodem iure alia oppida coloniae existimari, quae a Claudio vel aedificata vel frequentata sunt. Nam apud Plin. III, 27, 146 vulgo sic legitur: *Oppida eorum* (i. e. Noricorum) *Virunum, Celeia, Teurnia, Aguntum, Vianiomina, Claudia, Flavium Solvense,* unde fit, ut Claudia peculiaris a geographis (ut vide Mannert. geogr. antiq. III p. 680) existimetur urbs. At interpunctio est prava et comma tollendum, quod ponitur ante *Claudia*. Etenim omnia illa oppida a Viruno usque ad Vianiominam dicuntur *Claudia* i. e. a Claudio aedificata et constituta, Solva a Flaviis.

de imperio propagando cogitari non posset. Nero autem, ut ait Suet. Ner. c. 18 *augendi propagandique imperii neque voluntate ulla neque spe motus unquam, etiam ex Britannia deducere exercitum cogitavit — Ponti modo regnum, concedente Polemone, item Alpium defuncto Cottio in provinciae formam redegit.* Quare non est mirum nullam novam coloniam a Nerone conditam esse, sed veteres modo nonnullas ne interirent suppletas, in Italia maxime, unde facillime gloria sine labore capi poterat. Nominantur autem a Tacito hae:

Capua, additis veteranis firmata, Tac. Annal. XIII, 31 ann. 58 p. Chr. Hos veteranos num in vetere oppido collocarit, quod satis frequens erat, incertum est; nam ad hanc Neronis deductionem Mazoch. de amphitheatr. Camp. p. 14 refert, quod Plin. nat. hist. XIV, 6 narrat Urbanam coloniam *nuper* contributam esse Campanae. Cf. supra p. 252 in Sullae coloniis. Mihi quidem Plinius de Augusti deductione potius videtur dicere.

Puteoli. De iis sic Tacit. Annal. XIV, 27: *At in Italia vetus oppidum Puteoli ius coloniae et cognomentum a Nerone apiscuntur,* de quo loco cum I. Lipsius rectissime statuisset, non dissentire oportebat posteriores editores. Colonia vetus maritima erat Puteolis civium trecentorum, suppleta ab Augusto, ut supra dictum est, sed iuxta eam constabat municipium mercatura ac divitiis insigne, quod saepe commemoratur. Iam Nero ann. 61 p. Chr. decennalibus suis huic quoque municipio ius coloniae dedit, nullis adiectis novis incolis, ne qua amplius iuris discrepantia inter cives eiusdem urbis esset, eamque ad coloniam a Nerone amplificatam plurimae inscriptiones [1]), pertinent. In quarum nulla cum cognomen a Nerone inditum commemoretur, ipsa tamen res haud dubia est [2]). Erat enim Neroni, ut Suet. c. 55 ait, *aeternitatis perpetuaeque famae cupido, sed inconsulta. Ideoque multis rebus ac locis, vetere appellatione detracta, novam induxit ex suo nomine. — Destinaverat et Romam Neropolim nuncupare* [3]).

Nuceria, eodem tempore quo Capua, item veteranis deductis firmata, Tac. Annal. XIII, 31. Fuerat colonia vetus IIIvirorum (vide supra p. 332), commemoranturque *coloni Nucerini* apud Tacit. Annal. XIV, 17 [4]).

---

1) Nam si ab notissima illa apud Grut. p. 207 (Orell. n. 3697) discedas, quae vetusto tempore scripta est, vix ulla reperietur, quae ante Hadriani tempora posita esse reperiatur. *Deus magnus genius coloniae Puteolanorum* est apud Grut. p. 110, 7 et Murat. p. 892, 10 (eund. p. 78, 4); Mur. p. 79, 1 et 26, 6 et 1115, 3 et 4 (Orell. n. 1694; Mur. p. 79, 2), *aedilis coloniae* apud Grut. p. 195, 9, *coloni et incolae* apud Grut. p. 404, 2.

2) Dicit autem Plin. III, 9, 61 sic: *Puteoli colonia, Dicaearchia dicti,* i. e. vetus nomen fuisse Dicaearchiam. Commemoro, quia vulgo prava interpunctione sententiam pervertunt.

3) De Puteolis rursus a Flaviorum imperatorum aliquo suppletis vide paulo infra.

4) Mirum est, quod Plin. III, 9, 62 in colonia recens suppleta coloniae significationem omisit. Sed intelligitur inde verum esse, quod solius Augusti colonias se enumeraturum esse profitetur.

Tarentum. Ascriptos eo esse dicit veteranos Tac. Annal. XIV, 27 ann. 61 p. Chr., ut infrequentiae loci subveniretur. Nimirum vetus ibi fuerat civium colonia a C. Graccho deducta (vide Madvig. de iure et condic. colon. in opusc. Acad. p. 303), sed iuxta eam constabat Graeca urbs, a Lacedaemoniis olim condita [1]). Has duas in uno oppido civitates similiter atque in Puteolis, coniunctas esse in unam coloniam tradit Plinius III, 16, 99 *sinus, qui Tarentinus appellatur ab oppido Laconum in recessu hoc intimo sito, contributa eo maritima colonia, quae ibi fuerat*, ac fuisse Tarenti coloniam inscriptiones demonstrant apud Mur. p. 1118, 5 et 6. Cf. etiam auctor. de colon. p. 211 ed. Lachm.

Antium Tac. Ann. XIV, 27 eodem tempore quo Tarentum veteranorum deductione suppletum esse narrat, pauloque diligentius Suet. in eius vit. c. 9 scribit: *Antium coloniam deduxit ascriptis veteranis e praetorio additisque per domicilii translationem ditissimis primipilarium: ubi et portum operis sumptuosissimi fecit*, i. e. primipilares illos inter colonos ascribi iussit, non ut sortes suas colerent aut perpetuo ibi viverent, sed ut Antii, tamquam in patria sua, et munera publica obire et ad sumptus publice sustinendos conferre cogerentur. Erat autem Antium Neronis urbs natalis (Suet. Ner. c. 6 init.; Tac. Annal. XV, 23) ibidemque ei filia nata erat (Tacit. Annal. XII, 23) [2]). In inscriptionibus colonia, sed nullum eius cognomen commemoratur. Vide Orell. n. 3180 et Mur. p. 1100, 5. Magistratus ex veteribus temporibus sunt IIviri (Cic. ad Att. II, 6, 1). Notabilis etiam titulus Sex. Nonii Severi, veterani coh. I Classicae apud Marin. Inscr. Alb. p. 114, qui Antium deductus esse dicitur, a Nerone, ut putat Marinius. Plinius autem III, 9, 57 appellat coloniam, ut suo tempore firmatam.

Sed praeter has colonias, quae maioribus familiarum adiectionibus auctae sunt, necessario etiam aliae civitates Italiae adiutae sunt, quarum mentio nulla fit apud Tacitum. In earum numero sunt: *Beneventum*, quo a IIIviris primum coloniam deductam esse supra diximus. De eo auctor de colon. p. 231 sic habet: *Beneventum, muro ducta colonia Concordia; deduxit Nero Claudius Caesar*, quae ita interpretanda, ut suppletam esse statuas a Nerone, a quo si de novo deducta esset, Tacitus narrare debuit. *Aesernia* in libro coloniarum altero p. 260 ed. Lachm. dicitur *iussu Neronis esse deducta*. *Atina* in Campania, de qua

---

1) Ante legem Iuliam, qua civitas data est Italiae, Tarentum fuerat foederatum, itaque mansit Graeca urbs etiam post coloniam deductam, id quod Plinius ipse significat. Cuius auctoritate pridem usus sum in annalibus criticis Berolinensibus ann. 1834 n. 32 p. 264, ut refellerem Stuerenburgium ad Cicer. p. Arch. praef. p. XIX, qui coniecerat apud Vellei. I, 15, 4, ubi Tarentinae coloniae deductio annotatur, quia Tarentum foederatum esset, scribendum esse *Forentum*.

2) Quare cum victor sacrorum certaminum ex Graecia rediret, Antium ut veteres Graecorum victores, habitu hieronicarum ingressus est. Vide Suet. Ner. c. 25.

idem ille auctor p. 230: *muro ducta colonia, deduxit Nero Claudius.* Sed non fuit proprie colonia, verum municipium; ita enim appellatur in inscriptione apud Orell. n. 3457 [1]) et Mur. 1102, 4. *Saepinum*, de quo idem auctor p. 237: *oppidum muro ductum*; *colonia ab imperatore Nerone Claudio est deducta.* Verum mansisse condicione municipium demonstrat inscriptio apud Grut. p. 441, 4 (Orell. n. 3391). Summi magistratus IIviri apud Mur. p. 672, 3; IIIIviri apud Truttam Inscr. Allif. p. 80.

Extra Italiam nulla nec nova colonia a Nerone condita est nec vetus insigniter suppleta; nam ut *Lugduno* quadragies sestertium donato (Tac. Annal. XVI, 13) subveniret, motus est ingenti coloniae calamitate neque id beneficium tanti habebatur, ut propterea Neroniana nominaretur. Nec ei quae ita nominantur coloniae, id argumento esse debet, eas tum esse suppletas, ut *Patrae*, colonia Achaiae, in Neronis nummis cognomen Neroniana habent, vana potius ambitione quam memorabili beneficio accepto, ac postea ita appellari desierunt. Vide Eckhel. Doctr. numm. Tom. II p. 158.

Tres, qui brevi spatio Neronem exceperunt, imperatores quid gesserint, locupletissimus et diligentissimus auctor est Tacitus, qui si quae ab iis coloniae deductae essent, silentio non praeterisset. Sed duo ex iis colonias nec curarunt nec curare potuerunt, *Galba* et *Vitellius*. Ille cum esset avarus et severitate potius quam largitionibus milites continendos esse existimaret [2]), nihil sumptus in colonias deducendas erogavit; nam quod *Clunia*, Hispaniae colonia, in eius nummis vocatur *Sulpicia*, non propter beneficium aliquod factum est, sed per adulationem, quia in ea urbe commoranti imperium delatum erat. Vide Eckhel. Doctr. numm. Vol. I p. 47. Hic, quamvis gulae potius quam reipublicae operam daret, cum multae coloniae Gallicae et Hispanicae bello civili afflictae essent, attendere ad hanc rem coactus esset, nisi celeriter dignum socordia sua fatum excepisset. At qui medius est, *Otho*, quamvis perpetuo bello civili distractus, *ut in multa pace munia imperii obibat* (Tacit. Hist. I, 77). Quare cum largitionibus imprimis animi alliciendi esse viderentur, duas colonias Hispanicas supplevit. Nam *Hispali* et *Augustae Emeritae familiarum adiectiones dono dedit*, ut ait Tacit. Hist. 1, 78, ideo his potissimum coloniis electis, quia cum Lusitaniae per decem annos sepositus a Nerone

1) Est etiam *Atenum* sive *Atinum* Lucaniae, cuius agrum auctor ille p. 209 in Lucania commemorat. Verum item municipium videtur fuisse, cum magistratus sint IIviri, ut vide Orell. n. 3980 et Grut. p. 470, 9.

2) Nam nec unquam praetorianis donativum dedit, quod iam pridem solitum esse coeperat, et Germanorum cohortem fidelissimam sine ullo commodo dimisit (Suet. Galb. c. 10); idem civitatem Romanam dabat rarissime (ibid. c. 14).

praefuisset (Suet. Othon. c. 3) honorem fortasso aliquom ab iis acceporat. Sed eius beneficii nulla alia memoria superest [1]).

Caput quartum.

Vespasianus filiique eius quas colonias deduxerint, ex Plinii potissimum naturali historia cognoscendum est, qui cum opus suum ann. 77 p. Chr. Tito, sextum consuli, inscriberet, etsi id iam ante absolverat, facere tamen non potuisse videtur, quin praecipuas colonias a Flaviis constitutas nominaret. Atque inveniebat Vespasianus magnam sane coloniarum condendarum vel opportunitatem vel necessitatem. Nam nec ex longiore tempore ullae maiores deductae et bellis, quae primum inter Vitellium et Othonem, deinde inter Vespasianum et Vitellium gesta sunt, multae veteres coloniae vexatae erant. Commemorantur autem in his a Tacito, ut tamen, quid vel quantum damni fecerint, non addatur, Placentia, Brixellum (Tac. Hist. II, 33), Mutina (ibid. II, 52), Bononia (ibid. II, 53 et II, 67), Ateste (ibid. III, 6), Verona (ibid. III, 8 et 50), Ariminum (ibid. III, 41 et 42), Fanum Fortunae (ibid. III, 50); praeterea Capua Vitellii, Puteoli Vespasiani partes cum sequerentur, inter se certasse narrantur Hist. III, 57. Deleta tota est *Cremona* (Hist. III, 33), de cuius restitutione sic narrat Tacitus l. l. c. 34 *reposita fora templaque munificentia municipum et Vespasianus hortabatur*, ut certe etiam pecunia incolas dirutae coloniae adiuverit. Etiam *Augusta Taurinorum* partim conflagrasse dicitur ab Tac. Hist. II, 66, de remedio ab imperatore adhibito nihil constat. Quare cum et per se probabile sit, Vespasianum multum ad urbes bello dirutas restituendas contulisse et ita narret Suet Vesp. c. 17, nulla tamen nova colonia videtur ab eo esse deducta, non quod non satis agri esset et in coloniis et in municipiis, ubi homines collocari possent, sed quod quicquid supererat virium, continendum et ad vetera resarcienda adhibendum esse videbatur. Etenim quomodo auxilium tulerit oppidis Italiae, in nonnullis certe testimonio persequi licet.

Nominantur autem haec:

Hispellum, colonia ab Auguste deducta. Ibi et templum gentis Flaviae aedificatum et urbem ipsam cognomine *Urbana Flavia Constans* auctam esse demonstrat inscriptio nobilissima, quae est apud Orell. n. 2170 at 3866. Videtur ei hoc beneficium propter fidem Vespasiano servatam tributum esse.

Puteoli item Vespasiano fideles idaoque ab eo aucti et ornati. Testes sunt complu-

1) Nisi forte huc referri placet, quod in titulo apud Murat. p. 1099, 6 (Donium p. 173, 50) est, ubi *curator civitatis Romulensium Mourensium* commemoratur, ut Hispali factum sit, quod in aliis multis coloniis, in quibus qui adiecti erant postea coloni, suam tamen quandam rempublicam servabant.

res inscriptiones, in quibus vocatur *colonia Flavia Augusta*, apud Orell. n. 3698; Grut. p. 161, 5 et p. 256, 9; Avell. Opusc. div. III p. 212 sqq.; Bullett. Inst. arch. Rom. ann. 1845 p. 61.

Nola, vetus colonia, de qua haec sunt apud auctor. de colon. p. 236: *Vespasianus Augustus deduxit*, i. e. coloniam, quae iam erat, amplificavit. Cf. supra p. 350.

Ostia, prima colonia Romana, cuius agrum *ab imperatoribus Vespasiano, Traiano et Hadriano in praecisuris, in laciniis et per strigas esse assignatum* fragmenta illa p. 236 docent [1].

Verum praeter has colonias alia etiam oppida a Vespasiano vel restituta vel aucta vel frequentata testantur fragmenta illa agraria p. 261 ed. Lachm. *terminavimus provinciam Apuliam et Calabriam secundum constitutionem et legem divi Vespasiani*. Cf. p. 211. Item apud Hygin. de gener. controvers. p. 131 commemorantur agri, quos *divus Vespasianus veteranis in Samnio assignaverat*. Ac nominantur in iisdem *Forum Popilii* in Campania p. 233: *Imperator Vespasianus postea lege sua agrum censiri iussit*, *Lavinium* sive *Lauro-Lavinium*, de quo cf. quae ipsi diximus in commentatione epigraphica de Lavinio et Laurentibus Lavinatibus (Berol. 1845) p. 25. Tum in *Reatinum* municipium se ab divo Vespasiano deductos esse praedicant veterani cohortis praetoriae septimae et quintae et legionis octavae in inscriptionibus apud Grut. p. 535, 8 et 2; p. 546, 2 (Orell. 3685); Grut. p. 1031, 6 (Don. p. 259, 130). Cf. Hygin. de condic. agror. p. 114 [2]. Neque intra Italiam hoc genus militum collocandorum constitit, sed etiam in Sicilia *Panhormi* ab eo milites constitutos esse narrant fragmenta illa agraria p. 211 ed. Lachm., qua de re infra in Hadriani coloniis plura dicentur.

Provinciarum, in quas a Vespasiano coloniae deductae sunt, prima sit *Hispania*, in qua condita una colonia

Flaviobriga, de qua Plin. IV, 34, 110 sic narrat: *Amanum portus, ubi nunc Fla-*

1) Si vera est inscriptio apud Grut. 443, 2, posita imperatore Vespasiano, referenda huc etiam est *Narnia*, vetus colonia Latina, deducta ann. 299 a. Chr., tum, ut par erat, municipium, quam ab Augusto non esse deductam Plin. III, 19, 113 coarguit, nec antea colonia frequentata esse narratur. Sed incerta tamen, ut diximus, videtur esse colonia.

2) *Lupia*, non ignobilis urbs Calabriae, appellatur colonia in celebri titulo M. Bassaei Axii, quem optime exhibet Gervasius in Observationibus de inscriptionibus nonnullis Neapol. ann. 1842 p. 2, item apud Orell. n. 138, Murat. p. 1113, 5 et 1505, 2, ex quibus inscriptionibus etsi una aut altera est dubia, de ipsa tamen colonia dubitari nequit. Sed quando deducta sit, videtur prorsus esse incertum; nam nec a Plin. III, 16, 101 nec a Ptolem. III, 1 dicitur colonia nec ex auct. de colon. p. 262 quicquam potest colligi, nec a Sulla aut a dictatore Caesare puto esse conditam, qui milites suos propius Romam collocare solerent. Quare ad imperatorum aliquem pertinere iudico.

viobriga colonia, ut ipse suo tempore doductam esse significet. Ptolem. II, 6, 7 colonism ignorat [1]).

Tum in *Galliis* a Vespasiano colonia constituta est

Aventicum Helvetiorum. Nam quamquam apud Plin. IV, 31, 105 nondum in coloniis ponitur, Vespasianum tamen eins auctorem fuisse demonstrant cognomina, quae in inscriptionibus eius tempore positis habet [2]). Nimirum in bello Vitelliano Tacitus Hist. I, 67 narrat Helvetiorum gentem a Caecina vexatam esse Aventicumque ipsum captum, quo tempore cognitum est et robur inventutis Helveticae dudum perisse et nullum in eorum terra paulo munitius esse oppidum. Subvenit igitur Vespasianus colonia constituta ac munita et contractis minoribus nonnullis Helvetiorum oppidis, unde *Foederata*, et veteranis additis, unde *Emerita* appellatur. Ptolem. II, 9, 21 coloniam dissimulat.

In *Thracia* duae coloniae deduciae sunt:

Develtus, de quo Plin. IV, 18, 45 dicit: *Deulton cum stagno, quod nunc Deultum vocatur veteranorum*, et Ptolem. III, 11, 11 Δεουέλτος κολωνία. Nummi eius supersunt aliquot a Traiano usque ad Philippos, de quibus vide Eckhel. Doctr. numm. Vol. II p. 32; Vaillant. numism. colon. Vol. I p. 148 cet. In iis inscriptio est C. F. P. D. vel COL. FL. PAC. DEVLT. i. e. *colonia Flavia Pacensis Develtus*. Signa militaria, quamvis veteranos deductos esse constet, in uno tantum Furiae Tranquillinae nummo inveniuntur apud Vaillant. Vol. II p. 155.

Flaviopolis colonia, ut ait Plin. IV, 18, 47, commemoraturque apud Solin. cap. X. Antea eo loco Zela oppidum fuerat. Nummi eius nulli noti sunt, nisi quod Harduin. ad Plin. l. l. laudat Goltzianum imperatoris Titi, in quo sit *col. Flaviopolis* [3]). Adiuta autem est et aucta a Vespasiano

1) Suppletam esse *Barcinonem* putat Norisius in Cenot. Pisan. p. 27, deceptus, opinor, cognominibus coloniae, cum, quae in inscriptionibus inveniuntur COL. F. I. A. P., interpretaretur *colonia Flavia Iulia Augusta Pia Barcino*: esse autem oportet *Faventia*.

2) Etenim in inscriptione apud Orell. n. 363, quae Vespasiano fere imperante videtur esse posita, appellatur COL. PIA. FLAVIA. CONSTANS. EMERITA. HELVETIOR., plenioribus etiam nominibus apud Orell. n. 364 *colonia Pia Flavia Constans Emerita Aventicum Helvetiorum foederata*; in reliquis titulis fere *colonia Helvetica*, ut apud Orell. n. 367 et 344 et 401, vel *colonia Aventicensium*, ut apud Orell. collect. inscript. Helvetic. (Turici 1844) p. 161 n. 145.

3) Nullae coloniae fuerunt *Solva* et *Sirmium*. Illa, cum dubitaret Cellar. in geogr. antiq. I p. 541, existimatur fuisse colonia a Reines. in syntagm. inscript. p. 33 et Mannert. geogr. Vol. III p. 721. Oppidum enim cum a Vespasiano conditum esset, vocatur sane *Flavium*, ut apud Orell. n. 3076 et 3077, sed mira est interpretatio Reinesii ad Grut. p. 559, 5, in qua inscriptione coloniae mentionem sibi videbatur invenire. Cf. supra p. 391, quae de Celeia aliisque Norici oppidis dicta sunt. De Sirmio infra in coloniis Septimii Severi disputabitur.

Siscia, cuius rei testes sunt inscriptiones, apud Grut. p. 1090, 17; Mur. p. 862, 7 (Orell. n. 3075); Oroll. n. 3078, in quibus dicitur *Flavia*.

Extra Europam in una *Palaestina*, quam cruentissimis seditionibus vexatam Vespasianus pacarat, colonia tum videtur esse constituta. Parcus enim admodum erat in agris dividendis imperator nec facile largiebatur, qua de re sic tradit Ioseph. bell. Iud. VII, 6, 6 Περὶ δὲ τὸν αὐτὸν καιρὸν (i. e. circa ann. 72 p. Chr.) ἐπέστειλε Καῖσαρ Βάσσῳ καὶ Τιβερίῳ Μαξίμῳ (οὗτος δ' ἦν ἐπίτροπος) κελεύων πᾶσαν γῆν ἀποδόσθαι τῶν Ἰουδαίων· οὐ γὰρ κατῴκισεν ἐκεῖ πόλιν, ἰδίαν αὐτῷ τὴν χώραν φυλάττων· ὀκτακοσίοις δὲ μόνοις, ἀπὸ τῆς στρατιᾶς διαφειμένοις, χωρίον ἔδωκεν ἐς κατοίκησιν, ὃ καλεῖται μὲν Ἐμμαοῦς, ἀπέχει δὲ τῶν Ἱεροσολύμων σταδίους ἑξήκοντα. Qui quod agrum publice venisse dicit, maximo ad urbem Hierosolyma eiusque agrum videtur pertinere, ni in eo castellum modo conderetur; sic enim *Emmaus* appellatur a Plin. V, 15, 70 et Ptolem. V, 16, 7 [1]). In reliqua Palaestina, quae a Samaritanis incolebatur, et oppida adiuvabantur, ut *Neapolis*, quae in nummis constantissime dicitur *Flavia Neapolis*, mutato vetere nomine Sichem, atque ab tertio Vespasiani anno novae aerae exordium ducit (vide Eckhel. Doctr. numm. III p. 435), et colonia una deducta est

Caesarea Samariae, *colonia prima Flavia*, *a Vespasiano imperatore deducta*, ut ait Plin. V, 14, 69, ideo nimirum, quia ibi imperator appellatus erat. Condita erat sub Augusto ab Herode, qui in eius honorem Caesaream appellavit templumque in ea Caesaris summa cum magnificentia extruxit. Vide Ioseph. antiq. Iud. XV, 13. De ea Paullus in Dig. L, 15 (de censibus) 8: *divus Vespasianus Caesarienses colonos fecit*, *non adiecto*, *ut et iuris Italici essent*, *sed tributum his remisit capitis*: *sed divus Titus etiam solum immune factum interpretatus est*, quae quomodo concilianda esse videantur cum iis, quae docet Ulpianus l. l. leg. 1, 6 *In Palaestina duae fuerunt coloniae*, *Caesariensis et Aelia Capitolina*, *sed neutra ius Italicum habet*, infra, ubi de iure Italico dicemus, ostendetur [2]). Nummi eius supersunt plurimi ab imperatore Domitiano [3]) usque ad Valerianum, in quibus appellatur *colonia Prima*

---

1) Itaque, quamvis veteranis deductis conditum sit, non recte tamen in Vespasiani coloniis ponitur a Tillemont. hist. imp. Rom. Vol. II p. 43. Id ne nummi quidem patiuntur. Nam etsi vocata est Nicopolis (vide Euseb. in Chron. et Sozom. hist. eccles. libr. V, 21), nummi Traiani Graece inscripti non appellant coloniam. Sed ab Elagabalo postea coloniae iure et honore donatum esse infra explicabitur. Itemque *Neapolis* a Philippo colonia facta est.

2) Minus recte Iustinianus in Novell. 103 eam a Vespasiano cum colonia fierat, Caesaream nominatam esse scribit, merito ea de causa vituperatus ab Eckhel. Doctr. numm. III p. 432.

3) Titi enim qui putabatur a Vaillant numism. colon. Vol. I p. 135, eum ad illam potius Caesaream, quae ad Libanum fuit, pertinere demonstratum est apud Eckhel. l. l. p. 361 a Pellerinio.

Flavia Augusta Caesarea[1]); postea adiecta sunt cognomina *Felix*, sub Septimio Severo primum, deinde sub Alexandro littera C, quam alii alia ratione interpretati sunt, sub eodemque *Metropolis*, denique *Antoniniana* sub Caracallo. Vide Eckhel. Doctr. numm. Vol. III p. 430 sqq.

Atque hae quidem coloniae a Vespasiano, qui largiri in republica sane nec poterat nec volebat, parce per imperium Romanum constitutae sunt; nam praeterea alias urbes adiuvit, quae beneficis Flavio cognomine testantur, ut *Flaviopolis* Bithyniae, quae antea Cratia dicebatur (vid. Eckhel. Vol. II p. 412), alia *Flaviopolis* Ciliciae (ibid. III p. 56), in Hispania *Flavium Brigantium* (Ptolem. II, 6, 4), *Flavionavia* (Ptolem. II, 6, 5), alia nonnulla oppida, quae enumerata sunt apud Tillemont. hist. imper. Rom. Vol. II p. 44 et Spanhem. de usu et praest. numismat. p. 769 et 771. Quas multi fuerunt, qui colonias et existimarent et appellarent.

Ab imperatore *Tito*, qui Vespasiano successit, nullam omnino coloniam deductam esse censeo. Satis, opinor, distinebatur domesticis illis calamitatibus, quae imperium eius illustrarunt, Vesuvii montis et urbis Romae incendio ac pestilentia, quibus omnis eius cura occupabatur. Neque enim recte de coloniis deductis intelligit Vaillant. numm. colon. et municip. Vol. I p. 134, quae narrat Dio Cass. LXVI, 24, qui post enarrationem conflagrationis Campaniae ὁ δ' οὖν Τίτος, inquit, τοῖς μὲν Καμπανοῖς δύο ἄνδρας ἐκ τῶν ὑπατευκότων οἰκιστὰς ἔπεμψε, quod quomodo accipiendum sit, docet Suet. Tit. c. 8: *curatores restituendae Campaniae e consularium numero sorte duxit* cet. Atque eo pertinent, quae in fragmentis agrariis p. 235 Lachm. annotantur ad *Neapolim*: *inter quos* (limites) *postea et miles imperatoris Titi lege modum iugerationis ob meritum accepit*, ut in vastatis Campaniae regionibus milites collocasse videatur. Eodemque tempore haud scio an suppleta sit *Paestana* colonia, de qua cf. quae supra p. 236 allata sunt.

Domitianus, Titi frater, magna hac at in plebem et in milites largitione usus est, ut *subsiciva, quae divisis per veteranos agris carptim superfuerunt, veteribus possessoribus ut usucapta concederet* (Suet. Domit. c. 9). Cf. Ag. Urbicum de controv. agr. p. 82 ed. Lachm., et Frontin. de controv. agr. p. 54, et Hygin. de generib. controv. p. 133. Ab eodemque militibus quartum stipendium adiectum asse constat (Suet. Domit. c. 7 ibique interpretes). Nec vero, cum esset ambitiosissimus omnique ratione et apud aequales et apud posteros gloriam consequi cuperet (Suet. Domit. c. 13), ullam ab eo novam coloniam deductam esse invenimus. Adiuverit sane aliquas urbes et Italicas, quarum nulla tamen ad nos memoria per-

---

1) De causa eius nominis non debuit Eckhel. l. l. p. 431 dubitare propter Plinii auctoritatem, quam supra exhibuimus. At cum *Sinopen* tamquam Flaviam coloniam afferunt Spanhem. de usu et praest. num. p. 769 et Tillemont. hist. imp. Rom. Vol. II p. 44, eo decipiuntur, quod cognomen *F* interpretantur Flaviam pro Felice. Vide supra p. 317.

venit, et in provinciis. Velut *Chalcis*, caput regionis Chalcidenes in Syria, in nummis vocatur ΦΛ. ΧΑΛΚΙΔΕΩΝ, quod interpretantur *Flaviae Chalcidensium*, epochaeque, quae in iis significatur, initium incidit in annum 92 p. Chr., quo regulis illius regionis sublatis urbs imperio Romano adiecta esse putatur. Vide Eckhel. Doctr. numm. Vol. III p. 264. Nec tamen ideo colonia facta est. Item *Corinthus* in duobus Domitiani nummis (apud Vaillant. num. colon. I p. 140) dicitur *col. Iul. Flavia Aug. Cor.* Nam cum Vespasianus et Achaiae libertatem a Nerone datam [1]), et duabus coloniis, Corinthiacae et Patrensi, monetae ius ademisset, Domitianus hoc certe alterum reddidit, quare in plerisque eius nummis legitur *Perm. Imp.* vel *Perm. Imp. Germ.* i. e. permissu imperatoris Germanici. Vide Eckhel. Doctr. numm. III p. 243.

Caput quintum.

Post Domitianum *Nerva* ubi ad imperium accessit, cum plebis magnam multitudinem egentem et miseram esse videret, agris veteri more emendis dividendisque eam consolari statuit. Narrat id Dio Cass. libr. LXVIII, 2 *τοῖς τε πάνυ πένησι τῶν Ῥωμαίων ἐς χιλιάδα καὶ πεντακοσίας μυριάδας γῆς κτῆσιν ἐχαρίσατο, βουλευταῖς τισι τήν τε ἀγορασίαν αὐτῶν καὶ τὴν διανομὴν προστάξας* i. e. pauperibus civibus agrum divisit ad sexcenties HS. Quo modo haec tanta pecunia adhibita aut agri divisi sint, nescitur; nam etiam quod Plin. epist. VII, 31 narrat Corellio cuidam id negotium datum ab eoque Claudium Pollionem adiutorem assumptum esse, parum ad ipsius rei rationem perspiciendam valet. Illud modo intelligo, colonos ita esse constitutos, ut similiter eo Sempronia olim lege passim, ubi quid agri opportune aut emi aut ex publico sumi posset, collocarentur. Verumtamen duae illae coloniae, quae nominantur, dubium est, an ex ipsa hac liberalitate ortae sint. Nominantur autem *Scylacium* in Bruttiis, vetus colonia, de qua supra p. 236 dictum est, quae in inscriptione apud Orell. n. 136 posita ann. 141 p. Chr. appellatur *colonia Minervia Nervia Augusta Scolacio*, ut ab Nerva suppleta et aucta esse videatur; et *Verulae*, in veteribus Hernicis sitae, de quibus haec sunt in fragmentis agrariis p. 239 ed. Lachm. *Verulae oppidum — ab imperatore Nerva colonis* (ager eius) *est redditus.* Sed memorabile est, quod praeter has Italicas colonias unius etiam externae, in Mauretania Caesariensi sitae, origo ad eundem hunc Nervam videtur esse referenda, nimirum

Sitifensis, quod oppidum, a Plinio neglectum, a Ptolem. IV, 2, 34 et in Itin. Ant. p. 40 ed. Wess. et in tabula Peuting. appellatur *colonia*. Nuper enim in eius ruinis complures

1) Testis est de Nerone et de Vespasiano Dio libr. LXIII, 11, ubi Reimari nota doctissima conferatur. De Vespasiano testatur etiam, quod nec ipsius nec Titi ulli nummi aut Corinthiaci aut Patrenses innotuerunt nec videntur omnino cusi esse. Vide Eckhel. l. l. p. 243.

inscriptiones repertae sunt, doctissime illustratae ab Letronnio in Diurn. Erudit. Paris. ann. 1847 p. 728 sqq. In duabus earum dicitur COL. SITIFIS., in una COL. NERVIANA. AVG. MART. VETERANOR. SITIFENS., in alia (*colonia*) NERVIANA AVG. MARTIAN. V[ETERA]NORVM. SITIFEN., rursus in alia COL. N. AVG. MART. VETER. SITIF.; denique in columna miliaria est R. P. SITIFENSIVM. NERVIANORVM, et in alia R. P. SITIFENSIVM. NERVIANORVM. ANTONINIANORVM. Hinc Letronnius colligit duas eodem loco fuisse colonias, unam, quae diceretur *respublica Sitifensium Nervianorum*, quia condita esset ab Nerva, tum ex Caracallae nomine appellata Antoniniana, alteram *coloniam Augustam Nervianam Martianam Veteranorum*, prope Sitifi sitam, conditam item a Nerva, deinde ab Traiano, qui augeret, ex sororis nomine appellatam *Martianam*. Equidem, cum saepe in coloniis fieri videam, ut et omisso coloniae titulo dicantur modo vel respublicae vel civitates et ex nominibus unum et alterum modo praetereant modo addant, nihil intelligo, cur duas eodem loco colonias ab eodem imperatore collocatas esse statuam. Immo una deducta colonia veteranorum, sed adiunctis, ut opinor, etiam veteribus oppidi incolis, quae ab auctore nominata *Nerviana*, paulo insolentiore ratione; nam Scylacium, de quo modo dictum est, vidimus appellari *Nervium*, rectius, ut videtur, at Latinae linguae, cuius sane Italicos homines peritiores esse oportebat, accommodatius. Sed fero tamen etiam Nervianam coloniam, ut Galbianus dicitur saepius; at vix fero *Martianam*, a Marciana, Traiani sorore appellatam. Etenim debebat esse aut *Marciana*, aut, ut Agrippinensis colonia dicitur, Marcianensis vel similiter. Quare equidem hoc cognomen a legione potius, quae *Martia* appellaretur, sumptum esse existimo, fortasse ab legione XIV Gemina Martia Victrice. Cf. quae p. 389 de cognomine Camaloduni dicta sunt. Praeter hanc autem coloniam fortasse deduxerit etiam alias per Africam, quas nos vel Traiano vel Hadriano tribuemus, sed, cum testimonia nulla supersint, invenire eas non potuimus.

Qui a Nerva adoptatus in imperium successit, *Traianus*, in Italia primum eadem ratione videtur esse versatus, qua priores imperatores usi sunt, ut emeritos milites passim per oppida in agris vel emptis vel vacuis collocaret. Nominantur ex eo genere *Lavinium* apud auct. de col. p. 234 ed. Lachm., *Ostia* ibid. p. 236, de quarum urbium utraque paulo supra dictum est. Tum *Veiis variis locis deficientibus veteranis iussu Imp. Caesaris Traiani agri sunt assignati*, ut est in iisdem fragm. p. 223. Sed bis deductionibus nisi quae fuerat iam antea colonia, nulla facta est nova. At vera vel a Traiano vel per eius aetatem in Italia factae hae coloniae:

Abella, de qua apud auct. de colon. p. 230 sic est: *municipium. Coloni vel familia imperatoris Vespasiani iussu eius acceperunt. Postea ager eius in iugeribus militi est assignatus.* At coloniam fuisse Traiani tempore docet titulus Cn. Marcii Plaetorii apud Grut. p. 1096, 1 (Kellerm. Vig. Rom. p. 35 n. 34). Quare, cum in alia inscriptione temporis Vespa-

siani vel eius filiorum apud Lupul. Itin. Venus. p. 15, quae, etsi Nolae extat, ad Abellam tamen videtur esse referenda, *patronus civitatis* commemoretur, nec certum quidem, at probabile, coloniam a Traiano esse constitutam. *Populus Abellinus* est apud Grut. p. 1099, 2, *praefectus Abellae*, obscuriore et potestate et origine, apud Orell. n. 3867.

Aeculanum nec a Plin. III, 16, 105 nec a Ptolem. III, 1, 71 colonia appellatur, at ager eius bis commemoratur in fragmentis coloniarum p. 210 et 260, et fuisse coloniam constat ex inscriptionibus. In earum una, quae propter orationis colorem ex Augusti fere aetate videtur esse, apud Orell. n. 566 (Guarin. de Aeclan. ed. 2 p. 92 et in Continuat. quaest. de urbe vet. Aeclan. p. 4) dicitur municipium magistratusque eius IIIIviri, iidemque inveniuntur in tribus aliis titulis apud Guarin. Aeclan. p. 111 et eund. Continuat. observat. de rebus Aeclanens. p. 7 et 8. Inde primorum imperatorum tempore nondum fuisse coloniam coniicio. At est colonia in inscriptione apud Orell. n. 5020 Antonini Pii tempore posita ac saepe deinceps, velut *princeps coloniae Aeclanensis* apud Orell. n. 3108, *patronus coloniae* apud Lupul. Itin. Venus. p. 114 et 115 (Guarin. Aeclan. p. 106 et 101), item in duobus fragmentis apud Guarin. l. l. p. 103 et p. 122, *curator splendidissimae coloniae Aeclanensium* apud Guarin. l. l. p. 103, *colonia Aeclani* apud Guarin. l. l. p. 142 (Lupul. Itin. Venus. p. 127) et nov. mon. Aeclan. p. 24, in quibus omnibus titulis notabile, quod minus eleganter Aeclanum et Aeclanenses appellantur. Magistratus sunt IIviri, aediles, quaestores. Quae cum ita sint, coloniam Traiani fere tempore deductam eique potissimum tribuendam esse censeo.

Nuceria in Umbria a solo Ptolem. III, 1, 53 colonia appellatur; nam Plin. III, 19, 113 nominat modo *Nucerinos cognomine Favonienses et Camelanos*. Quare quominus Traiani vel Hadriani fuisse putetur, non video quid obstet; nam quae inscriptio apud Mur. p. 13, 1 affertur, in qua municipium dici videatur, quin aut ementita aut interpolata sit, dubitari non potest.

Privernum. De eo in fragm. agrar. p. 236 sic est: *oppidum muro ductum, colonia. Miles deduxit sine colonis.* Scriptores tacent nec Plin. III, 9, 64 coloniam vocat. In inscriptione autem apud Grut. p. 494, 10 (Mur. p. 1115, 2) commemorantur *decuriones et VIviri Augustales municipii Privernatis*, quae si vera est, primorum imperatorum tempore municipium fuisse intelligimus. At *curator coloniae Privernatium* et *ordo decurionum et populus coloniae Privernatium* est apud Kellerm. Vig. Rom. p. 44. Quare Traiani fere aetate colonos videtur accepisse. Libertus coloniae, ut opinor, *M. Privernius Cerialis* est apud Gir. Amat. in Diurn. Arcad. ann. 1828, 3 p. 247.

Verumtamen Traianus, etsi ne hac quidem ratione colonorum collocandorum non usus est, ut militibus deducendis frequentiae Italiae prospiceret, magis tamen praesidiorum quorundam condendorum causa colonias constituit. Quamquam illud quidem minus est rectum, quod

quidem colligunt ex Iul. Capit. in vita M. Anton. c. 11 ***Hispaniis exhaustis Italica allectione contra Traiani praecepta verecunde consuluit***, quae Casaubonus ita interpretatur, solitos fuisse antea principes provincias delectibus militum exhaustas colonis Italicis frequentare; id vetuisse Traianum fieri vel, ut rectius dicam, et ipsum non fecisse et successoribus consuluisse, ne facerent. Sed vix equidem unquam ab imperatoribus factum esse existimo, ut ex Italie colonos in provincias deducerent, quod cum semel invitus faceret Augustus in paucis coloniis constituendis, cogebatur militum suorum necessitate, quibus alia nulla ratione consulere posset. Quare Capitolini illum locum sic potius interpretor, M. Antoninum, cum Hispaniae oppida delectibus exhausta essent, neque eum, quem oporteret, militum numerum praestare possent, in Italia ipsa conscripsisse, id quod Traianus ex veteri more noluisset fieri, ut Itali extra cohortes praetorias stipendia facerent. Ita ille parcendo et conservando magis etiam quam novis coloniis deducendis Italiae consulebat. Sed bellum imperii initio cum barbaris gesserat periculosissimum, quod aliquando metuebatur, ne in ipsam Italiam ingrueret. Quod ut inde averteretur, coloniis compluribus per confinia Italiae saperieris videtur providisse. Nam conditae tum hae coloniae:

Parentium Istriae, quod apud Plin. III, 23, 129 oppidum civium Romanorum vocatur, in inscriptione apud Orell. n. 3729 ***colonia Ulpia Parentium*** appellatur, in qua eadem inscriptione est memorabile, quod ***curialis veterum Parentanorum*** commemoratur, at apud Orell. n. 72 est ***colonia Parentanorum***.

Altinum coloniae iura usum esse docet titulus apud Orell. n. 4082. At Plin. III, 22, 126 oppidum vocet non Tac. Hist. III, 6, ubi praesidio occupatum esse narrat adversus classem Ravennatem, quicquam de colonia habet. Itaque a Traiano Italiam firmante deductam esse coniicio. De magistratibus eius vide supra p. 185.

Opitergium in Venetis situm, a Plin. III, 23, 130 oppidum vocatur neque aut a Tac. Hist. III, 6 aut a Ptolem. III, 1, 30 colonia, sed videtur ita dici in inscriptione apud Orell. n. 72. Quare similem eius fortunam fuisse censeo ac Parentii.

Forum Iulium in Carnis, cum non appelletur colonia a Plin. III, 23, 130, a Ptolem. III, 1, 29 sic vocatur. In inscriptione apud Orell. n. 73 est ***patronus coloniae Foro Iulii Iriensium***, itemque apud Bertol. Antiq. Aquil. n. 10 (Mur. p. 1108, 5) ***decurio col. For. Iuli Iriens.***, cum Iriensis vicus in coloniam Foroiuliensem attributus significatur. Coloniae IIvir est apud Donat. p. 172, 1.

Tridentum nec a Plin. III, 20, 130, qui Italiae accensens Raeticum tamen oppidum dicit, nec a Ptolem. III, 1, 31 appellatur colonia, sed fuisse constat ex insigni lapide Tridentino apud Orell. n. 2183 et 3905, in quo est ***patronus coloniae***. Quare dubito magnopere,

an sit illa splendidissima Raetiae colonia, quam Tac. Germ. c. 41 commemorat [1]), quod si verum est, Traianum eius auctorem esse constat.

Regium Lepidi ab uno Ptolem. III, 1, 46 vocatur colonia, et quidem eo loco, quo Placentia, Brixellum, Parma, Mutina, Bononia, quas florentissimas colonias fuisse constat, ita non vocantur. Plin. autem III, 20, 116 inter oppida recenset *Regienses a Lepido*. Quare multi fuerunt, qui apud Ptolemaeum erratum esse censerent; nos auctoritate eius non contempta fieri potuisse putamus, ut Traiani vel Hadriani temporibus oppidum auctum iure coloniae ornaretur. In inscriptionibus *IIvir* est apud Orell. n. 3983, *aedilis IIvir quinq.* apud Mur. p. 736, 7, sed etiam *IIIIvir* apud Mur. p. 746, 2 [2]).

Asta Liguriae a Plin. III, 5 non appellatur colonia, et a Ptolem. III, 1, 45, a Traiano, ut videtur, Italiam superiorem muniente deducta. De honoribus eius cf. Orell. n. 3877, titulum alioquin non prorsus incorruptum.

Verona, nobile oppidum, quo Maff. Veron. illustr. lib. V ab imperatore Augusto coloniam deductam esse statuit, cuius sententiam cum plerique secuti sint, nos sequi non possumus, propterea quod Plin. III, 23, 130, magnum et frequens fuisse significans, Euganeorum modo oppidum dicit, quem, si aut suo tempore fuisset colonia aut condita ab Augusto, tacere non potuisse puto. At Tac. Hist. III, 8 aperte appellat coloniam in historia belli Vitelliani. Accedit quod aliquamdiu per imperatorum tempora non fuisse coloniam coarguit inscriptio apud Orell. n. 3286, in qua dicitur municipium. Quid igitur existimabimus? Sic, opinor, deductam esse a Traiano. Ita et Plinius recte tacuit et Tacitus, qui suam magis aetatem, quam eam, de qua scriberet, respiceret, non falso tradidit. Cognomen autem *Augusta*, quo maxime Maffeius movebatur, iam antequam colonia deducta est, propter beneficia quaedam accepta ab Augusto sumptum est. De magistratibus autem Veronensibus dictum est supra p. 184.

---

1) Taciti locus, quem diximus, hic est: (Hermunduris) *solis Germanorum non in ripa commercium, sed penitus atque in splendidissima Raetiae provinciae colonia.* Eam vulgo existimant esse *Augustam Vindelicorum*, sed nec Tacitus nominat nec Plinius commemorat nec quisquam omnino ante Ptolem. II, 13, 2. Ac cum in inscriptionibus semper dicatur *municipium* (apud Grut. p. 497, 5; ibid. p. 426, 3 (Orell. n. 494 et 3743); Raiser. antiq. Aug. Vindelicor. col. p. 82) et semel adeo *municipium Aelium Augustum* apud Grut. p. 129, 4 (Orell. n. 493), non videtur esse dubium, quin ab Hadriano et conditum et civitate donatum et cognominatum sit, coloniae autem ius nunquam habuerit.

2) Mirum etiam mihi accidit, quod idem ille Ptolem. III, 1, 49 Saturniam coloniam appellat, veterem coloniam civium, deductam ann. 181 a. Chr., quam etiam postea constitisse docet inscriptio apud Grut. p. 1093, 8 (p. 326, 8). Nam Plin. III, 8, 52 sic modo habet: *Saturnini qui antea Aurinini vocabantur*, cum mutationem nominis indicans etiam coloniae deductionem significat. Num post Plinii tempora colonis frequentatam esse putabimus?

Extra Italiam autem Traianus item colonias deduxit, eo maxima consilio, ut et terras a barbaris captas praesidiis validis firmaret et quae bellis vastata erant, hominibus frequentaret. Earum terrarum princeps est *Dacia*, quae ann. 106 p. Chr. devicta et in provinciae formam redacta, ne barbari soli, qui et pauci supererant et parum fide digni esse videbantur, eam habitarent, ut Eutropius VIII, 3 habet, *ex toto orbe Romano infinitas eo copias hominum transtulerat ad agros et urbes colendas. Dacia enim diuturno bello Decebali viris fuerat exhausta.* Eorum hominum maxima pars in coloniis collocata est. Fuerunt autem hae maxime quattuor:

Sarmizegethusa, cuius historia plurimis inscriptionum testimoniis satis copiose traditur [1]), ex quibus paucas certe afferam. Nam Traiano ipsi positi quattuor supersunt tituli, apud Orell. n. 791 *colonia Dac. Sarmiz.*, apud Seivert. Inscript. Dac. n. 8 *col. Ulpia Traiana*, tertius apud Grut. p. 6, 3 (cf. Orell. n. 509) fictus, quartus apud Grut. p. 19, 5 certe dubius. Hadrianus, vel quod Traiano invidebat, vel securitatis causa, Daciam prodere statuerat, sed exoratus a civibus Romanis ibi collocatis magis ab omni impetu tutabatur (Eutrop. VIII, 3). Id praedicat titulus apud Grut. p. 249, 4 (Seivert. l. l. n. 10; Zamosc. in Analect. lapidum vetustorum et nonnullarum in Dacia antiquitatum, post Wolf. Lazii commentarios reipubl. Roman. Francofurt. 1598 p. 14; Hohenhausen. in libro Germanice scripto: Die Alterthümer Daciens, Vindobonae 1775 p. 47), de quo minus recte dubitabat Eckhel. Doctr. Numm. Tom. VI p. 494, in quo vocatur *col. Ulpia Trai. Sarmiz.*, aquam ab eodem imperatore in coloniam adductam titulus apud Maff. Mus. Ver. p. 240, 4 (Orell. n. 812), in quo vocatur *colon. Dacic. Sarmiz.*, et plenioribus nominibus apud Orell. n. 831 *colon. Ulp. Traian. Aug. Dacica Sarmizegetus.* Cf. Grut. p. 248, 7 (p. 254, 4). Servat haec nomina reliquorum imperatorum tempore, sed ita, ut modo omnia habeat, velut apud Orell. n. 878 et Grut. p. 266, 2, modo unum aut alterum omittat; nam *Ulp. Traia. Sarm.* est apud Grut. p. 465, 2 (cf. Orell. n. 3234), *decurio col. Dacicae Sarmiz.* apud Grut. p. 358, 5 (Maff. Mus. Ver. p. 243, 1); modo omnibus omissis appelletur tantum colonia. Postea, incertum quo tempore, cognomen accepit *metropolis*, quod habet apud Grut. p. 272, 2, in titulo ann. 239 p. Chr. posito, *colonia Ulpia Trai. Aug. Dacic. Sarmiz. Metrop.*; apud Grut. p. 476, 6 et p. 472, 5 (Mur. p. 1121, 4); Mur. p. 1121, 3 (Maff. Mus. Ver. p. 433, 2); Grut. p. 83, 1; Orell. n. 3433; Seivert. Inscr. Dac. n. 100 *colonia Sarm.* sive *Sarmiz. Metrop.*, postposito semper metropolis nomine. Magistratus semper sunt *IIviri*, deinde *aediles*, *quaestores*; frequentes etiam *decurionum* tituli. Ulpian. Dig.

1) Ipsi etiam huius coloniae historiam usque ad Pii imperatoris tempora explicavimus in disputatione de honorum gradibus sub imperatoribus Hadriano et Antonino Pio, in Museo Rhenano F. G. Welckeri et F. Ritschlii ann. 1842 p. 249 sqq.

L, 15 (de censib.) 8 ius ei Italicum tribuit. Ptolem. III, 8, 9, quod iure mirsre, coloniam dissimulat.

Apulum. Coloniam ibi a Trsiane collocatam esse, quamvis taceat Ptolem. III, 8, 8, testatur Ulpian. l. s. l. Inscriptionum, quae plurimae supersunt huius coloniae, nulla est, quae Traianum conditorem demonstret neque ulla videtur colenia habuisse cognomina: plerumque enim appellatur COL. APVL., ut apud Grut. p. 69, 3 et 472, 3 (nam sic ibi certissima corrigendum); Orell. n. 1225 et 3296, saepe, *colonia Apulensis* apud Orell. n. 3815. Magistratus sunt *quaestores*, ut Maff. Mus. Ver. p. 249, 6 et Grut. p. 105, 10, *aediles* bini apud Grut. p. 95, 1 (Orell. n. 2117). *IIviri*, ut apud Orell. n. 2695 et 2731 at 3815; Reines. Cl. I n. 8; Maff. Mus. Ver. p. 244, 4; Seivert. Insc. Dac. n. 117, frequentes etiam *decuriones* [1]). Constitit igitur colonia haec in extrema illa imperii parte usque ad Commodum fere; nam hoc imperante cum Daci rebellionem fecissent, ut narrat Ael. Lamprid. in eius vita c. 13: *Victi sunt sub eo tamen — per legatos Mauri, victi Daci, Pannoniae quoque compositae, in Britannia, in Germania et in Dacia imperium eius recusantibus provincialibus*, cum igitur vel bellum vel seditio orta esset, colonia Apulensis concidit nec ab Commode restituta est. Septimius Severus demum incolas dispersos collegit civitatemque composuit, sed coloniae iure non reddito, civitate ipsa relicta. Factum igitur est *municipium*, a conditore appellatum *Septimium*. Quare ab illo tempore, apud Orell. n. 3846 (Mur. p. 4, 8; Maff. Mus. Ver. p. 248, 3; Seivert. l. l. n. 120) est MVN. SEP. APVL. i. e. *municipium Septimium Apulense*; item apud Mur. p. 3, 13 (Maff. Mus. Ver. p. 236, 3) M. S. AP., apud Grut. p. 69, 4 M. SEP. APV., apud Orell. n. 2171 *decurio* M. APVL., apud Grut. p. 67, 1 (Orell. n. 3686) MVN. APVL. et *flamen municipii* apud Maff. Mus. Ver. p. 238, 7. Magistratus etiam mutati, cum IIIIviri MV. A. i. e. *municipii Apulensis* commemorentur apud Orell. n. 1934 (Maff. Mus. Ver. p. 249, 5), qua de re cf. quae supra disputata sunt p. 189. Sed cum Gothi in imperium Romanum ingressi Daciam imprimis totam perturbassent, Decius imperator ann. 251 repulsis hostibus (de qua re nummos aliaque testimonia allata vide apud Eckhel. D. N. T. VII p. 346) Apulum rursus, ut videtur, etiam communitum coloniae iure donavit. Documento est inscriptio insignis apud Orell. n. 991 posita Decio Traiano ann. 250 *restitutori Daciarum* a COL. NOVA. APVLS. i. e. *colonia nova Apulensi* [2]).

---

1) Unum addam, quod in inscriptionibus huius coloniae quia magis apparuit quam in aliarum civitatum titulis, commemorandum videbatur esse. Nimirum frequentes Apuli *Ulpii*, frequentiores *Aurelii*, longe omnium frequentissimi *Aelii*, ut discamus a tribus imperatoribus, Traiano, M. Aurelio, Hadriano multos homines civitate Romana carentes in Dacia esse collocatos vereque tradidisse Eutropium, qui ex toto orbe terrarum homines collectos esse narrat.

2) Item ad hanc coloniam pertineret titulus apud Grut. p. 347, 1, si esset verus; sed est Ligo-

Napoca sive *Napuca*, ut Ptolem. III, 8, 7 colonia non significata nominat, de qua testimonium est item Ulpiani l. l. Commemoratur autem etiam in inscriptione apud Reines. Cl. I n. 168 (Spon. Misc. Erud. antiq. p. 168) COL. NAP., eodemque videtur *decurio et aedilis coloniae* pertinere apud Grut. p. 346, 3 (Seivert. Inscr. Dac. n. 114).

Zerna sive *Dierna*, ut Ptolem. III, 8, 10 habet, cognoscitur ex solo Ulpiano l. l.: *In Dacia quoque Zernensium colonia, a divo Traiano deducta, iuris Italici est.* In inscriptione quidem apud Griselin. in libro Germanice scripto (Versuch einer Geschichte des Temeswarer Banats I p. 265) solum STATIONIS TSIERNEN. legitur. Cf. de loco Ed. Boecking. in notit. dign. Orient. p. 503.

Commemoro praeterea *coloniam Malvesem* sive *Malvensem*, quam, ut patriam militis, cui imperator Severus Alexander honestam missionem dedit, commemorari video apud Avellin. Opusc. T. III p. 178. Sed locus ipse prorsus ignotus. Cf. Avell. l. l. p. 323 [1]). Ex ceteris oppidis, quae in Dacia constituta sunt, nulla tune quidem videtur fuisse colonia; certe maxima, quae etiam in tabula Peutingeriana ut firma ac munita notantur, *Paralissum* sive *Parolissum* (Ptolem. III, 8, 6) et *Tibiscum* constat fuisse municipia, illud ex inscriptione apud Grut. p. 413, 2 (p. 477, 3; Orell. n. 3433), hoc ex ea, quam Maff. Mus. Ver. p. 250, 1 exhibet [2]).

Praeterea a Traiano has colonias deductas esse invenio:

Coloniam Traianam sive *Ulpiam* in Germania, quae saepius commemoratur in itinerariis, de qua vide, quae docte a Franc. Fiedlero in antiquitatibus Germaniae inferioris (Essen. ann. 1842) p. 147 sqq. disputata sunt.

Poetovionem in Pannonia superiore, quae etsi non appellatur colonia apud Ptolem. II, 15, 4, aperte tamen ex inscriptionibus a Traiano deducta esse cognoscitur. Etenim non modo D. C. P. i. e. *decurio coloniae Poetoviensis* invenitur apud Grut. p. 20, 3, sed est etiam apud Steinbuech. Annal. Vindob. ann. 1829, 2 p. 36 DEC. C. V. T. P. i. e. *decurio coloniae Ulpiae Traianae Poetoviensis*, itemque explicandus titulus C. Val. Tettii Tusci DEC. C. V. T. P. Q. AEDIL. i. e. *decurionis coloniae Ulpiae Traianae Poetoviensis*, *quaestoris*, *aedilis* apud Steinbuech. l. l. p. 61.

Ratiariam in Moesia superiore, *Oescum* in Moesia inferiore. Illa apud Ptolem. III,

---

rianus, interpolatos ex fragmento, quod habet Grut. p. 347, 2 et p. 517, 5, cum quo titulo perit etiam *colonia Apulesium*, quae inde a quibusdam efficiebatur.

1) Nisi forte huc referri placet, quod apud Geogr. Ravennat. p. 151 (ed. Paris. ann. 1688) est *Malum* et in tabola Peuting. *ad Malum*.

2) Commemoro maxime propter Mannert. geogr. Vol. IV p. 206, qui Paralissum non recte pro colonia numerat.

9, 4, haec apud eund. III, 10, 10 caret coloniae nomine, et Itin. Ant. p. 219 et 220 illam stationem leg. XIV Gem, hanc leg. V Macedonicae esse narrant. De colonia nihil inveniebatur nisi in inscriptione *Augustalis coloniae Ratiariae* apud Marsil. Danub. Pann. Mys. II p. 129. Sed nuper aliam inscriptionem inventam esse ait Borghes. in Bullett. Inst. Arch. ann. 1844 p. 90, ex qua utramque coloniam a Traiano deductam esse appareat.

Hadrumetum, nobilissimam et vetustissimam Africae urbem, quae cum fuisset antea libera (Plin. V, 3, 25), colonia vocatur a Ptolem. IV, 3, 9 et in Itin. Anton. p. 58 ed. Wessel. Auctorem significat insignis titulus apud Orell. n. 3058, positus ann. 321 p. Chr., ubi nominantur *coloni coloniae Concordiae Ulpiae Traianae Augustae Frugiferae Hadrumetinae*. Commemoratur eadem ab Ael. Spartian. Did. Iul. c. 1, qui eius imperatoris avum maternum ex Hadrumetina colonia fuisse dicit.

Hipponem Diarrhytum, quem nec Ptolem. IV, 3, 6 nec reliqui coloniam dicunt, Plin. V, 2, 33 simpliciter oppidum appellat, sed a Tiberio libertate esse donatum duo eius nummi ostendunt apud Eckhel. D. N. VI p. 146, in quibus dicitur *liberum*. Coloniam fuisse intelligitur ex uno testimonio Plinii epist. IX, 33, 2, qui *Hipponensem coloniam* nominat, in qua miraculum aliquod de insigni delphini mansuetudine factum esse narrat, quod nuper a se ait super coenam lectum esse. Atque eius narratiunculae auctor est Plinius maior nat. hist. IX, 8. 26, Hippone Diarrhyto accidisse referens. Inde duae res colliguntur, primum Hipponem Diarrhytum eo tempore, quod inter Plinium maiorem et inter minorem intercedit, coloniam factam esse, deinde minoris tempore alteram similis nominis in Africa urbem, Hipponem regium, nondum fuisse coloniam; quae si fuisset, parum recte fecisset Plinius, qui Hipponensi colonia nominata locum, quo miraculum illud accidisset, satis sibi videretur designasse.

Thamucadem, quam, etsi modo in tabula Peuting. et in itin. Ant. p. 34 et 35 et 40 commemoratur, certe postquam a Traiano aucta est, celebre Numidiae oppidum fuisse constat. Vide Morcell. Afric. Christ. Vol. I p. 305. Auctorem autem coloniae eo deductae Traianum significat inscriptio apud Grut. p. 1090, 16, in qua L. Aelius Perpetuus dicitur *legatione functus patriae suae coloniae Ulpiae Thamucadis ex Numidia*.

Hae igitur nominantur imperatoris Traiani coloniae vel ex certioribus argumentis efficiuntur. Quamquam non negabo, quin plures fuerint eum ad septentrionales imperii fines tum in Africa constitutae. Sed certi cum de iis nihil possit referri, sub Hadriani nomine omnes, quae altero p. Chr. saeculo conditae esse videantur nec certum auctorem habeant, coniungere maluimus.

Caput sextum.

Etenim *Hadrianus* cum in otio regnaret magis id providens, ne barbari in imperium invaderent quam ut ipse eos aggrederetur, plurimas videtur colonias deduxisse, cum iure coloniae veteribus urbibus donata, tum, si qua provincia tuenda videretur, novis conditis. De quo etsi dolendum sane est paucissima nobis esse tradita, constat tamen rem imprimis militarem instituisse talem, qualis usque ad Diocletianum et Constantinum mansit. Quantopere autem firmandis et undique tuendis finibus prospexerit, narrat Dio Cass. LXIX, 9, de nobilissimis eius itineribus dicens: *ἄλλην ἐπ' ἄλλῃ διαπορευόμενος ἐπαρχίαν, τάς τε χώρας καὶ τὰς πόλεις ἐπισκεπτόμενος, καὶ πάντα τὰ φρούρια καὶ τὰ τείχη περισκοπῶν, τὰ μὲν ἐς ἐπικαιροτέρους τόπους καθίστη, τὰ δὲ ἔπαυε, τὰ δὲ προσκαθίστατο.* Idemque c. 5: *Καὶ τὰς πόλεις τάς τε συμμαχίδας καὶ τὰς ὑπηκόους μεγαλοπρεπέστατα ὠφέλησε· ..... πάσαις δὲ ὡς εἰπεῖν ἐπικούρησε ταῖς μὲν ὕδωρ, ταῖς δὲ λιμένας, σῖτόν τε καὶ ἔργα καὶ χρήματα καὶ τιμὰς ἄλλας διδούς* [1]. Quare recte prorsus fieri arbitror, si eae coloniae, quae per hoc tempus ita nominantur, ut nullus certus auctor vocetur, ad hunc potissimum referantur.

Quamquam *Italia* quidem non dubium est, quin ex toto imperio Romano et frequentissima et maximis urbibus celebris fuerit; nec, quoniam nullus internus hostis supererat, coloniis videbatur esse munienda: externum obiectae provinciae arcebant. Itaque duas modo novas colonias invenio esse, quae huc referendae esse videantur.

Anximum. Eius agrum auctor de colon. p. 227 ait *limitibus Grachanis* esse assignatum. Ac fuit vetus colonia, incerti quidem generis, ut ait Madvig. de iur. et condic. colon. (Opuscul. Acad. p. 303). Equidem Latinam fuisse iudico propterea quod nec a. Plin. III, 18, 111 appellatur colonia et municipium, ut videtur, in fragmento inscriptionis apud Mur. p. 230, 3 (Fabrett. p. 686, 91), positae circiter ann. 109 p. Chr. Ac confirmat hoc aliud fragmentum apud Donat. p. 345, 2 (p. 349, 2), in quo alicui, cuius nomen periit, *primo equiti Romano post coloniam deductam decurionum consulto colonorumque voluntate patrocinium* delatum esse narratur. Quod quomodo potuisset dici, si ex antiquis temporibus colonia constitisset! Itaque ab Hadriano vel ab Traiano deductam esse conicio. Nam postea saepissime ita appellatur in inscriptionibus, ut ann. 137 p. Chr. apud Grut. p. 445, 10, ubi est *patronus coloniae*, et apud Grut. 445, 9 (Orell. n. 3868) et Orell. n. 3306; et Grut. p. 372, 4 et p. 454, 8 et 465, 4 et 996, 5; Mur. p. 1103, 7; Mur. p. 617, 5 (p. 1031, 5), alias. Summi magistratus sunt IIviri.

---

1) Cf. etiam Ael. Lamprid. in vita Hadrian. c. 19, ubi multa de imperatoris munificentia habet, et c. 21, ubi Latium ab eo multis civitatibus datum esse scribit. Addere debebat civitatem et ius coloniae; nam haec quoque ad eas urbes, quae iam civitate utebantur, honoris augendas dabat.

Mediolanum et antiquis temporibus municipium fuisse constat et a Tacit. Annal. I, 70 sic appellatur, ut recte fieri videatur a Plin. III, 21, 124, qui non recenseat inter colonias. At manifestum coloniae vestigium in titulo ann. 159 p. Chr. posito apud Orell. 3062 et apud Mur. p. 1067, 4 commemorantur *collegia fabrum et centonariorum* C. A. A. F. M. i. e. *coloniae Aeliae Augustae Felicis Mediolanensis*, itemque apud Orell. n. 4060 est C. A. A. M. Quare quae apud Orell. n. 1702 sunt COLON. C. A. F. MED., non credo Orellio interpretanda de *colonia Claudia* sive *Concordia Augusta Felici Mediolanensi*, sed de *colonis coloniae Aeliae Felicis Mediolanensis* [1]. Propter haec autem cognomina ab Hadriano videtur esse constituta. Ad priora autem tempora, si illa vera sunt, pertinere oportet inscriptionem apud Orell. n. 3942, in qua *municipium Mediolanense* videtur significari.

Pauca etiam vetera oppida veteranis deductis frequentata esse reperio; nimirum etiam militibus si agris donandis providere vellet, in provinciis potius collocandos esse putabat. Nominantur apud auctorem incertum de coloniis *Lavinium*, de quo cf. supra p. 395, *Ostia*, de qua diximus p. 355 [2], *Lanuvium*, de quo in libro colon. p. 235 sic est: *postea imperator Hadrianus colonis suis agrum assignari iussit*; *Ardea*, cuius ager ibid. p. 231 ab Hadriano dicitur esse censitus, sive ut colonos in eo collocaret, sive ut tributi modum constitueret; *Veii*, in quibus ibid. p. 222 eiusdem nomen commemoratur. Etiam *Hispellum* auctum esse significat auctor idem p. 224, cum *lege Aelia* assignatum esse eius agrum ait.

In *Sicilia* autem duae sunt urbes, quae hoc tempore coloniae ius accepisse videantur:

Lilybaeum, cum a Plin. III, 14, 90 non appelletur colonia, non potest esse deductum ab imperatore Augusto. Quare cognomina quae habet COL. AVG. LILYBIT. i. e. *colonia Augusta Lilybetanorum* in inscriptionibus apud Castell. Inscr. Sicil. p. 17 n. 2 (Donat. p. 347, 4) et p. 56 n. 34 et p. 60 n. 44 (Spon. Misc. p. 184) fieri non potest, ut coloniae causa acceperit. Atque appellatur *municipium Lilybitanorum* apud Orell. n. 1691. Pendet igitur auctor coloniae ex eo titulo, quem Reines. p. 309, 28 habet, in quo Castell. Inscr. Sicil. p. 292 n. 66 esse ait RESP. COIHELY. AVG. LILYBIT., quod ipsi credo esse explicandum *respublica coloniae Heliae* (sive *Aeliae*) *Augustae Lilybetanorum*; alii enim ad Helvium Pertinacem retulerunt. Neque obstat Ptolemaei III, 4, 5 silentium, quippe qui nullam Siciliae coloniam nominet.

Panhormus. Eius coloniae auctor vulgo solet haberi imperator Augustus, maxime quod Strabo VI, 2, 5 dicit: Πάνορμος δὲ καὶ Ῥωμαίων ἔχει κατοικίαν. Ac constitutos esse ab

1) Eodem autem pertineret *colonia*, quae reperitur in Osann. Syll. inscript. p. 555 n. 21; sed eam nullam esse docet exemplum, quale exhibetur a Labus. in Memor. Inst. Lombard. I p. 7.

2) Testis autem beneficii accepti est titulus apud Grut. p. 249, 7, quem Hadriano posuit *colonia Ostia conservata et aucta omni indulgentia et liberalitate eius*.

Augusto Panhormi milites Romanos aperte demonstrent nummi Augusti Latine inscripti, ex quibus nonnulli etiam IIvirorum magistratum, item saeculo altero p. Chr. ibi usurpatum (Castell. Inscr. Sicil. p. 35 n. 22; Donat. p. 338, 9), exhibent, apud Eckhel. Doctr. Numm. I p. 232. Sed quid faciamus Plinio nat. hist. III, 14, 90 Panhormum inter oppida recensente? Cuius auctoritas tantum valere debet, ut propterea ea, quae proprie appellanda sit colonia, non existimetur facta esse ab Augusto. Ac Strabo, si accurate eius verba interpretere, hoc modo dicit, incolas ibi esse Romanos, non urbem esse coloniam, nec in nummis unquam coloniae nomen usurpatur. Habuerint veterani illi tamquam pro praesidio impositi suam quandam rempublicam in eaque IIviros: constabat iuxta urbs Graeca, cerena civitate. Atque ipsi illi milites vereor ne mox emortui sint; nam quos auct. de colon. p. 211 ed. Lachm. narrat veteranos et familiam imperatoris Vespasiani ibi constitutos esse, dubito an in sedes ab illis vacuas relictas successerint. Sed certum tamen, etiam toti oppido postea ius coloniae esse datum. Nam etsi plerumque solet *respublica Panhormitana* dici, ut apud Grut. p. 174, 5 et p. 266, 6; Mur. p. 240, 1; Orell. n. 718; Castell. Inscr. Sicil. p. 30 et 31 et 32 et 33 et 39, duae tamen sunt inscriptiones, in quarum una apud Orell. n. 3760 (Mur. p. 1114, 3) est *col. Panhormit.*; in altera apud Orell. n. 948 *col. Aug. Panhorm.* Cognomen *Augusta* certe habuit ab Augusto, qui primus eo Romanos transtulit; coloniae ius toti oppido coniicio ab Hadriano esse datum [1]).

In *Sardinia* ab Hadriano videntur conditae esse:

Uselis sive *Usellis* colonia, quae a Ptolom. III, 3, 2 refertur; nam Plin. III, 13, 85 unam modo in insula coloniam esse scribit. Nec alius quisquam scriptor eius mentionem facit, sed commemoratur tamen in nobili tabula hospitii apud de la Marmor. Itin. Sard. II p. 466 *colonia Iulia Augusta Usellis*, unde aliquis ab Augusto deductam esse putet. Quod cum fieri nequeat et propter Plinii silentium et, quod Augustus ipse in monumento Ancyrano Sardiniam praetermittit in iis provinciis, in quibus colonias constituerit (cf. supra p. 364), sic statuemus, oppidum olim ab Augusto adiutum et exornatum, deinde ab alio imperatore coloniae iure donatum esse [2]).

Cornus, etsi a Plin. III, 7, 13 prorsus omittitur nec a Ptolem. III, 3, 7 colonia appellatur, necesse tamen est acceperit saeculo altero p. Chr. coloniae ius, quia ita vocatur in duabus inscriptionibus apud de la Marmor. Itin. Sard. II p. 483 n. 43 et 44, quae quamquam mutilae sunt, coloniae tamen significationem certam continent.

---

1) Commemoratur tamquam colonia etiam *Nissa* in inscriptione apud Castell. Inscr. Sic. p. 54 n. 30, sed eam iam Orell. n. 152 vix veram esse iudicavit.

2) Idem autem hoc oppidum dici puto apud Geogr. Ravenn. V, 26 p. 290, ubi vulgo sic legitur *Colonia Iulia Adselona*, ut fortasse scribendum sit *colonia Iulia Uselona* vel similiter.

In *Hispania* nulla nova deducta est colonia, unum vetus oppidum coloniae iure donatum *Italica*, antea municipium, ut nummi testes sunt apud Eckhel. Doctr. numm. Vol. I p. 23. At coloniae iure donatum esse, quamvis non appellet ita Ptolem. II, 4, 13, colligi potest ex Gell. Noct. Att. XVI, 13 (Divus Hadrianus) *mirari se ostendit, quod et ipsi Italicenses et quaedam item alia municipia antiqua, in quibus Uticenses nominat, cum suis moribus legibusque uti possent, in ius coloniae mutari gestiverint.* Nam concessum iis esse, quod petiverent, et ipse significat et Uticae exemplum ostendit, quam coloniam factam esse constat. Multaque omnino beneficia et honores in Italicenses collata esse narrat item Dio Cass. libr. LXIX, 10 [1]), ea de causa, quia Traianus et Hadrianus inde oriundi erant.

In *Gallia* plures coloniae ab Hadriano videntur esse constitutae, de quibus antequam disputem, videtur faciendum esse, ut paucis explicetur, qui Galliarum status, quod ius sub prioribus imperatoribus fuerit, qua de re admodum ambigi videam. Claudio igitur imperatore anno 48 p. Chr. principes Galliae comatae *foedera et civitatem Romanam pridem assecuti*, concupiscere coeperunt ius honorum (Tacit. Annal. XI c. 23). Gallia autem comata a Tacito dicitur, ut etiam Plin. nat. hist. IV, 31, 105 definit, Belgica, Lugdunensis, Aquitanica; nam Narbonensis provinciae civibus Romanis iam honores Romae patuisse ipse Tacitus significat, c. 24 haec Claudii verba referens: *num poenitet Balbos ex Hispania nec minus insignes viros e Gallia Narbonensi transivisse?* Taciti igitur illum locum sic intellige, vetera foedera, quae nonnullis populis Gallicis erant, facta primum a Caesare, renovata deinde ab Augusto, hoc iuris constituisse, ut pars privata quasi civitatis vel praeter ius honorum quicquid ex civitate e peregrinis usurpari poterat, primoribus vel iis, qui certos aliquos honores gessissent, concederetur [2]). Sunt autem secundum Plin. IV, 31 sq. in Gallia Belgica et Lugdunensi (nam in Aquitanica sunt nulli) hi populi foederati, *Lingones, Remi, Aedui, Carnuti*, ex quibus a Claudio quidem soli tunc Aeduorum principes plenam civitatem adepti sunt. Verum haec ad principes modo civitatum, non ad populos universos pertinebant. Postea Nerone eccisae cum civile bellum imprimis in Galliis conflaretur, Iuliusque Vindex seditionem moveret, Galba omnibus iis, qui cum Vindice fuissent, civitatem et tributi levamentum concessit (Plut. Galb. c. 18; Tacit. Hist. I, 8), Lingones et Treviros et alias nonnullas civitates atrocibus edictis aut finium damno perculit (Tacit. Hist. I, 53). Quare Otho ubi imperium adeptus est, ut Lingonum animos cum

1) Inscriptio autem apud Orell. n. 96, in qua est *colonia Italicensium*, parum certa auctoritate niti videtur, ut ea uti noluerim.

2) Etenim Tacitus, cum *foedera et civitatem* consecutos esse scribit, hoc, opinor, vult, ipso eos foedere civitatem assecutos esse. Quae igitur coloniae in Gallia comata erant, Equestris, Rauriaca, Lugdunensis, Agrippinensis, eas tota civitate usas esse arbitror.

causa sua coniungeret, universis civitatem Romanam dabat [1]. Quae omnia non mansisse, postquam Vespasianus imperio recepto Gallias composuit, ostendit Plinii auctoritas, qui cum de beneficio Latinitatis Hispaniae ab eo dato commemoret (nat. hist. III, 4, 30), de iure Galliarum mutato tacet. Nec ab Traiano quicquam in eo genere novatum esse existimo; at de Hadriano Spartian. in eius vita c. 12 sic dicit: ***Latium multis civitatibus dedit***, quod ita interpretor, ut ab eo universae provinciae Narbonensi maiorique parti reliquae Galliae Latinitatem datam esse censeam; neque ea his, cum Hispani omnes haberent, recte negari potuit. Tum eae civitates, quae Latinae condicionis erant, vel nobiliores ex iis, ut per aliquod beneficium acciperent, civitate et coloniae iure donatae sunt. Illud certe est memorabile, quod, quae in Gallia a Ptolemaeo nominantur coloniae, eas praeter unam omnes constat antea fuisse Latinae condicionis [2]. His igitur, quas dixi, rationibus ductus has colonias in Galliis ab Hadriano non incolis novis deductis, sed veteribus civitatibus nove iure donatis, factas esse statuo:

Aquas Sextias, nobile oppidum, conditum a C. Sextio haud procul Massilia anno 123 a. Chr. (Liv. epit. libr. LXI; Strab. IV, 1, 5), quod quo iure veteribus temporibus fuerit, non constat. Equidem cum a Plin. nat. hist. III, 4, 36 in Latinis oppidis recenseatur, intellego non fieri posse, ut eo tempore, quo conditum est, aut civitatem aut Latinitatem accepisse videatur. Sed Romani, qui praesidii causa imponebantur [3], Latinae coloniae ius habuerint et postea cum lege Iulia Latinis civitas data est, etiam civitatem assecuti sint; qui reliqui erant in civitate indigenae peregrinae condicionis fuisse coniicio usque ad dictatorem Caesarem, a quo eum Latinitatem impetrassent, beneficii memoriam cognomine servarunt. At coloniam i. e. vere Romanam coloniam appellat Ptolem. II, 10, 15 idemque ius testantur inscriptiones, in quibus modo ***colonia*** solum appellatur, ut apud Orell. n. 3217, Millin. Itin. Gall. II p. 206, sed etiam ***colonia Iulia Aquis***, ut apud Grut. p. 469, 3 et 469, 1, et ***colonia Iulia Augusta Aquis Sextiis*** apud Grut. p. 413, 4. Magistratus summi coloniae fuerunt IIviri, ut apud Mur. p. 769, 5 (Millin. l. l. p. 204), praeterea ***aediles*** (Mur. p. 741, 8). Dubium autem videtur, num ***colonia Aquensis*** apud Grut. p. 403, 5 (Orell. n. 2156) aut huc pertineat aut recte se habeat.

---

1) Auctor est Tacit. Hist. I, 78: ***Hispalensibus et Emeritensibus familiarum adiectiones, Lingonibus universis civitatem Romanam, provinciae Baeticae Maurorum civitates dono dedit; nova iura Cappadociae, nova Africae, ostenta magis quam mansura***, in quibus quae ultima sunt ***ostenta magis quam mansura*** non magis censeo ad nova iura Africae et Cappadociae pertinere, quam ad statum Galliarum mutatum.

2) Similiterque in Sicilia factum esse coniicio, quae necesse prope erat Latinitatem assequeretur, si Hispani et Galli accepissent.

3) Nam Romanos ibi esse collocatos Strabo l. l. dicit: φρουρὰν κατῴκισε Ῥωμαίων.

Avenion in Cavarum agro (hodie Avignon) a Plin. III, 4, 36 in oppidis Latinis recensetur, a Ptolem. II, 10, 14 appellatur colonia. Nummos Eckhelius quidem in Doctr. numm. Vel. I p. 67 nullos habet coloniae.

Cabellio (hodie Cavaillon) a Plinio l. l. oppidum Latinum, a Ptolem. l. l. colonia dicitur, itemque in nummis apud Eckhel. l. l. Apud Mur. p. 481, 7 (Orell. n. 4028) quattuor coloniae IIIIviri nominantur; cf. supra p. 189.

Nemausus, Arecomicorum caput. De eo consentiunt Strabo IV, 1, 12 et Plin. III, 5, 37, incolas habuisse ius Latii civitatique, quae maxima prope totius Narbonensis provinciae erat, fuisse attributa viginti et quattuor oppida ignobiliora, ab Augusto, ut opinor, cuius memoriam et cognomine, quod gerabat, et nummis celebrabat [1]). Addit Plin. l. l. ab imperatore Galba adiectos esse formulae duos alios populos inalpinos, Avantícos et Bodionticos. Hadrianum quidem scimus multis eam civitatem magnificisque aedificiis exornasse (Spartian. in eius vita c. 7), ut etiam alia ratione probabile fiat, ab eodem coloniae ius donatum esse; Antoninus Pius vero inde paternum genus deducebat (Iul. Capit. in eius vitae initio). In nummis imperatoriis apud Eckhel. Doctr. numm. I p. 69 idem semper typus est, crocodilus ad palmam vinctus coronaque civica et inscriptio COL. NEM., quo typo Augustum, potentiae Nemausensis sucterem, celebrari constat. Eademque est causa, cur in inscriptionibus appelletur *colonia Augusta*, apud Mur. p. 1110, 7 (Maff. Antiq. Gall. sel. p. 61); Grut. p. 323, 5 et p. 467, 3; sed simpliciter est *aedilis coloniae Nemausensis* apud Mur. p. 1112, 8; Reines. p. 394 n. 2; Grut. p. 351, 6 (Orell. n. 3974), *quaestor coloniae* apud Grut. p. 479, 5, *colonia* praeterea apud Grut. p. 423, 6; Millin. Itin. Gall. Vol. II p. 257 et 262; *coloni et incolae* apud Maff. Antiq. Gall. p. 72 (Murat. p. 356, 2). Magistratus summos iam antequam colonia fuit, *IIIIviros* fuisse docet Orell. n. 3579, ac mansisse eosdem post coloniam deductam ostendit fragmentum apud Maff. Mus. Ver. p. 414, 3. Ac cum commemorentur et *IIIIviri iuri dicundo*, apud Reines. p. 424 n. 60 (Kellerm. Vig. Rom. p. 33 n. 26); Orell. n. 2157, et *IIIIvir aerarii* apud Orell. n. 2542 sive *IIIIvir ab aerario* apud Grut. p. 423. 5 (nam alius IIIIvir Nemausensis apud Orell. n. 4159 videtur potius in IIIIIIvirum esse mutandus) et denique apud Grut. p. 467, 3 *quaestor — ab aerario*, rationem probabile est fuisse hanc, ut qui quaterni summi quotannis in colonia fierent magistratus, ex iis bini iuri dicundo, bini aerario praeessent. Cf. supra p. 178. Nam aerarii cura quam magna debuerit esse in tot populorum quasi metropoli, apparet.

Toloso Tectosagum, a Plin. III, 5, 37 Latinum oppidum, a Ptol. II, 10, 9 colonia dicitur.

---

1) Nec tamen propterea ipsa colonia Augusti existimari debuit, quae fere est sententia scriptorum Nemausensium, ut Menardii in amplissima Nemausi descriptione et historia Vol. I p. 23. Nisi forte colonia appellatur quodvis Latinae condicionis oppidum.

Acusium in Cavaribus a Plinio prorsus praetermissum apud Ptolem. II, 10, 14 est colonia.

Maritima Avaticorum caput, apud Plin. III, 5, 34 oppidum est, apud Ptolem. II, 10, 8 colonia; item apud Geogr. Ravennat. IV, 28 et V, 3 *colonia Maritima.*

Reii Apollinares. Plinius III, 5, 36 inter oppida Latina recenset *Alebece Reiorum Apollinarium*, at in inscriptione apud Mur. p. 1110, 7 (Maff. Antiq. Gall. sel. p. 61) nominatur *col. Iul. Aug. Apolinar. Reior.*; itemque explicandae notae C. I. A. A., *colonia Iulia Augusta Apollinarium*, apud Mur. p. 1116, 2, et *col. Reior. Apollinar.* est apud Grut. p. 828, 9 (ibid. p. 468, 6; Mur. p. 1111, 1) et Spon. Miscell. p. 178 (Donat. p. 350, 7). Cf. supra p. 189. Quare *Iulia Augusta* appellata propter Latinitatem ab Augusto acceptam, colonia postea addita. A Ptolemaeo non commemorari miror.

Ruscino a Plin. III, 5, 32 Latinorum oppidum, a Pomp. Mela II. 5 extr. colonia dicitur. Quam rem cave ita interpretere, ut Plinium negligentiae accusandum esse putes. Usus enim est hoc ipso loco Mela auctore [1]. Quare Melam apparet ex consuetudine veterum locutum esse, qui colonias etiam Latini iuris esse statuebant, Ruscinonem autem ab Augusto eum Latinitate donaret, militibus etiam veteranis esse frequentatam constat ex nummo apud Eckhel. Doctr. numm. I p. 70, in cuius una parte caput Augusti, in altera duae aquilae legionariae sunt cum hac inscriptione COL. RVS. LEG. VI; ac nescio an etiam in alias urbes Galliae Narbonensis, quae Latinitate donabantur, veterani ab eodem imperatore deducti sint. Sed vera colonia Romana videtur facta esse Ruscino ab Hadriano, etsi Ptolem. II, 10, 9 id honoris cognomen non addit.

Apta Iulia Vulgientium, a Ptolemaeo prorsus omittitur, a Plin. III, 5, 36 iuris Latini esse dicitur. At Sidon. Apoll. Epist. IX, 9 coloniam appellat, itemque inscriptiones *coloniam Iuliam Aptam*, apud Mur. p. 1109 (Bozii histor. Aptens. Iul. Apt. ann. 1813, p. 70); Orell. n. 200 (Millin. Itin. Gall. III p. 407); *IIIIvir coloniae Iuliae Aptae* apud Orell. n. 197 et Millin. l. l. p. 89, sed solum *col. Apta* apud Grut. p. 323, 6 [2].

---

1) Sequitur enim vicus Illiberis, de quo Mela: *magnae quondam urbis et magnarum opum tenue vestigium*, quae Plinius sic contraxit *magnae quondam urbis tenue vestigium.* Ac Melam Plinius ipse inter auctores suos libri tertii nominat.

2) Ac quoniam hic ultimus est locus, quo de coloniis Gallicis dicendum sit, multasque, de quorum auctoribus minus constet, eodem contulerimus, faciendum videtur esse, ut quasdam commemoremus civitates, per easdem regiones sitas, quae cum putentur fuisse coloniae, non fuerunt. *Artaunum* castellum (Tac. Annal. I, 56) tamquam coloniam Antoninianam recenset Orell. n. 4970, deceptus titulo parum accurate descripto, quem cum Steiner. Cod. Inscr. Rhen. n. 217 emendatiorem exhibuerit, eam nullam fuisse coloniam intelligitur. *Dea Augusta Vocontiorum* colonia nititur una inscriptione Foro-

Alia de causa atque alia ratione in *Britannia* duaa novae conditao sunt coloniao *Eboracum* et *Glevum* vere deduotis veteranis. Quae cum a nullo scriptoro vetere commemorentur, ex inscriptionibus solis efficiuntur. Nam *IIIIIIvir col. Ebor.* est apud Orell.

---

iuliensi, quao nunc asservatur Massillae, quam habet Grut. p. 323, 2 ax copiis Scaligerianis. Est autem eius initium hoc: D. M. CAECILIAE. D. F. APRVLLAE. FLAM. DESIGNATAE. COL. DEA. AVG. VOC. De fide inscriptionis non potest dubitari: coloniam dici Deam Augustam Vocontiorum nego. Primum enim nomen ipsum val urbis vel coloniae erit ita insolitum, ut nullum aliud simila meminerim. Doindo geographus nullus commemorat, itineraria stationam appellant. Quare tantum abest, ut coloniam fuisse existimem, ut ne oppidum quidem ac civitatem fuisse putem, quamvis cum alii multi viri docti adversentur, tum Bimardus, qui in dissertatione prima in Muratorii novo thesauro Vol. I p. 22, et imprimis in diatriba ibid. p. 62, multa da hac, quam opinatur, colonia narret. Fuisse autem templum tantum Deae Augustae i. e. Andartae (Grut. p. 88, 9 et 10 et Orell. n. 1958) et aedificia nonnulla in sacrum usum constituta colligo ex inscriptione apud Orell. n. 4025. Nec omnino in Vocontiis ullae, quaa proprio dicuntur, erant urbes; nam vicatim incolae habitabant duobusque utebantur capitibus, Vasione, oppido divite (Pomp. Mel. II, 5; Ptolem. II, 10) et Luco Augusti, qui deletus propo est in bello Vitelliano (Tac. Hist. I, 67), sed universorum Vocontiorum una erat civitas. Eius rei testis est Plin. III, 5, 57 eamquo confirmant inscriptiones. Nam apud Grut. p. 484, 2 est *ordo Vocontiorum*, apud Millin. Itin. Gall. I p. 476 *decurio Vocontiorum*; apud Spon. Misc. Erud. Antiq. p. 86 *civitas Vocontiorum* ann. 245 p. Chr.; *ex decreto senatus Vocontiorum* in inscriptione apud Ioan. Dion. Longium in Antiquit. Vocont. in Memor. Acad. Par. Inscr. Ser. II Vol. II, ann. 1849 p. 389, qui veterem de hac colonia errorem tueri studet. Contra Vasionis incolae cum imperatori Gallieno statuam ponunt, non populus aut ordo aut civitas Vasiensis nominatur, sed Vasienses. Vide Spon. Miscell. Erud. Antiq. p. 201. Quomodo autem iam explicandus ille, unde error fluxit, titulus? Sic, ut statuamus ab Arelatensibus flamines et flaminicas eligi consuevisse, qui ad Deam Augustam Vocontiorum sacra facerant. Itaque Caecilia illa appellatur *flaminica coloniae* (Arelatensis) *designata Deae Augustae Vocontiorum*. — *Geneva* colonia effecta est hodiernae urbis incolarum ambitione, qui patriam suam coloniam Romanam fuisse videri vellent. Quod falsum esse docent tituli, in quibus *vicani Genavenses* appellantur (Orell. n. 253 et 254), ut Genevam intelligamus fuisse vicum in coloniam Equestrem Noviodunensem contributum coloniaeque commemorationem ad Noviodunum pertinere. Neque ideo non poterat fieri, ut peculiares quidam essent Genevae magistratus, velut aedilem a vicanis eligi solitum fuisse docet Orell. n. 259. — *Lingonum colonia* putatur fuisse, quae nulla fuit, propter unam inscriptionem apud Grut. p. 616, 1 (Orell. n. 3020), cuius fides merito a Valesio damnatur. Vide Comment. Acad. Paris. Inscr. T. IX p. 140. Similis est ratio *Meminorum coloniae*, quao nititur inscriptione Arausione in sarcophago inventa, apud Maff. Antiq. Gal. sel. p. 61: M. COL. IVL. MEM. HERED. EX. TESTAMENTO., de qua consentio Millin. in Itin. Gall. II p. 155 COL. IVL. MEM. hominis nomina esse. Nam colonia illa inaudita, *Morinorum colonia*, et scriptoribus et itinerariis ignota, efficitur ex una inscriptione, quam Grut. p. 80, 6 (Steiner. Cod. Inscr. Rhen. p. 952) a Goltzio, parum digno fide auctore, accepit. Quae si vera est, vix dubium, quin pro COLLON. MOAINOAVM (sic enim est) aliter legendum sit. — *Sequanorum* denique *coloniam* intellexit Orellius in inscriptione, quam in collectione inscriptionum Helveticarum n. 26 (mi-

n. 190 (qui titulus emendatior exhibetur a viro docto Anglo C. Wellbeloved, qui de antiquitatibus Eboracensibus scripsit, Eboraci ann. 1842, p. 102); et *decurio coloniae Glev.* apud Orell. n. 207. Haec quidem *Glebum colonia* commemoratur etiam apud Geogr. Ravenn. V, 31 p. 300. Neque earum utrique probabilior auctor assignari poterit quam Hadrianus. Nam cum Tacitus, qui sub Traiano scripsit, unam modo coloniam in tota insula noverit [1]), poterit sane statui, a Traiano ipso postea esse deductas, sed cum is novis magis provinciis expugnandis, quam veteribus firmandis studeret, longe est probabilius, Hadrianum, qui Britanniam adiit provinciaeque tuendae causa ingentem murum perduxit, imperii propagandi causa duas has colonias constituisse (Spart. in vit. Hadr. c. 11). Neque his obstat, quod Eboracum a Ptolem. II, 3, 16 non appellatur colonia; nam ne Camalodunum quidem aut alia ulla urbs appellatur. Glevum vero sive Clevum ab eo omnino non commemoratur. Quemquam non negabo potuisse etiam ab alio insequentium imperatorum recte deduci. Sed incertus prorsus est auctor

Lindi coloniae, quae appellatur a Geogr. Rav. V, 31 p. 303, de qua dubitari ne hodiernum quidem urbis, quae *Lincoln* vocatur, nomen patitur [2]).

In provinciis Germaniae finitimis tres colonias ad hoc potissimum tempore et ad Hadrianum auctorem referendas esse censeo:

Aequum in Dalmatis mediterraneis, quae colonia a Ptolem. II, 17, 11 commemoratur, cum Plinius totum oppidum ignoret. Confirmant autem Ptolemaei auctoritatem inscriptiones, apud Orell. n. 1941 et n. 502 et Grut. p. 387, 4 (cf. Gud. p. 25, 4 et Grut. p. 571, 9), in quibus est *colonia Aequum*, nulla tamen temporis significatione addita, nisi quod unam earum Elagabalo imperante positam esse constat [3]).

---

nus emendatam in collectione amplissima n. 230) exhibuit, in monte S. Bernhardi inventam, in qua sic esse ait: *Iovi Poenino Q. Siluvius Perennis* STABELL. COLON. SEQVANOR. cet. De lapide ipso non iudico: coloniam quidem video nullam fuisse; fuit enim una civitas Sequanorum (vide Orell. n. 4018 et 4803), nec probabile unum aliquod eius gentis oppidum accepisse coloniae ius. Panvinius vero de imp. Rom. (Graev. thes. antiq. Rom. I p. 532) ex Tac. Annal. XIII, 57, ubi prava olim lectio obtinebat, *coloniam Iuhonum* et nescio unde *coloniam Lutarburgium Tarbelliorum* efficiebat.

1) Vide quae supra dicta sunt de Camaloduno, Claudii colonia, p. 389.

2) At *Londinium*, etsi nomen Augusta accepit (Amm. Marcell. XXVII, 18), coloniam fuisse nullo pacto demonstrari potest. Magis *Deva* (hodie Colchester), quae statio erat legionis XX Victricis (Itin. Anton. p. 469), pro colonia haberi possit ac finxit talem nummum Goltzius, et locus ille, qui *Colonia* in Itin. Ant. p. 474, *Coloneae* apud Geogr. Ravenn. V, 31 p. 300 vocatur; sed tutius videtur neutram urbem in coloniarum numero recensere. Nec colonia videtur illa fuisse *Carvetiorum*, quae effici solet ex inscriptione apud Grut. p. 411, 4 (Cambden. Britann. p. 831), in qua quod est IN. C. CARVETIOR. QVAESTORIVS, rectius de *civitate Carvetiorum* intelligitur, quemadmodum saepissime civitates populorum fuisse cognoscimus.

Mursam in Pannonia, quae cum a Plinio ignoretur, a Ptolem. II, 15, 8 et in inscriptione apud Orell. n. 3281 colonia appellatur. Ac Steph. Byz. s. v. *κτίσμα* Ἀδριανοῦ vocat [1]).

In *Syria* Hadrianum constat vehementissime pugnasse cum Iudaeis, in quorum terra diruta vetere urbe Hierosolymis aedificavit

Aeliam Capitolinam, de qua conferendus est imprimis Dio Cass. LXIX, 12. Nummique multi eius coloniae testes sunt, qui ab Hadriano usque ad Hostilianum extant [2]). Commodus imperator multis coloniam beneficiis videtur affecisse; cognomen certe ab eo habuit Commodianae, quod in multis nummis Severi insequentiumque imperatorum invenitur. Vide Eckhel. Doctr. numm. Vol. III p. 441. De eadem denique colonia dicunt Ptolem. V, 16, 8 et VIII, 20, 18 et Euseb. hist. eccles. IV, 6. Tum ab Hadriano non condita illa quidem, at coloniae iure donata videtur esse

Heliupolis Coeles Syriae (Baalbeck hodie), quae cum nec a Plin. V, 18, 80 nec a Strab. XVI, 2, 20 nec denique a Ptolem. V, 15, 22 colonia dicatur, in tabula tamen Peutinge-

3) Referri solet ad Hadrianum auctorem etiam *Iuvavum* colonia, quae putatur, propter inscriptionem, quam Grut. p. 265, 4 habet, a Pighio, ut videtur, vel ab eo, a quo ille acceperat, interpolatam; nam Apianus Inscr. Sacros. vetus. p. 408, Reines. p. 310, auctor descriptionis Iuvavi Germanicae (Salzburg. 1784) p. 33, notam COL. HADR., quae est apud Gruterum, omittunt. Cf. Orell. n. 496. Quae ipsa nota si vere legeretur, memorabilis esset ideo, quod colonia non *Aelia*, ut oportet, diceretur, sed *Hadriana*. In aliis autem inscriptionibus, velut in descriptione Iuvaviae p. 43, Orell. n. 497 et n. 1964, deest coloniae significatio atque in ea, quae in descriptione illa p. 43 reperitur, *civitas Iuvavensium* legitur. Nulla igitur colonia videtur fuisse Iuvavum. Similis est causa *Sumloci* Vindeliciae eo loco siti, quo nunc pagus est Sualchon prope oppidum Rottenburg, quae colonia putatur a multis, quia ibi dicitur in testula inventum esse CL. SVMLOCEN., quod interpretabantur de *colonia Sumlocensi*. Sed ibi nullam fuisse coloniam silentium omnium geographorum praeter tabulam Peutingerianam arguit; nec ita vocatur in aliis inscriptionibus. Vide Steiner. Cod. Inscr. Rhen. n. 1 sq. At colonia Varvaria vel *colonia Liburnuarva*, quam Scaliger in Indice X excogitavit ex Grut. p. 564, 7, iam explosa est ab Hagenbuchio apud Orell. n. 3637. *Colonus* enim ibi nomen proprium est. Non commemorassem, nisi vellem aliquod exemplum afferre, quanta coloniarum monstra ex inscriptionibus male lectis et explicatis nata essent. Cf. Grut. p. 272, 3 et 448, 4 (p. 897, 8) et p. 113, 5 et p. 552, 5 et p. 346, 3 (Orell. n. 3977), ubi perversa est interpretatio apud Gruterum adiecta; Grut. p. 815, 10, aliasque complures inscriptiones, quas afferri non opus est.

1) Quod autem Hagenbuch. apud Orell. ad n. 3067 putabat *Aeliam* dici in inscriptionibus, admodum est dubium. Cf. Kellerm. Vig. Rom. n. 214. Sed hoc certum, cum urbs condita sit ab Hadriano, plurimos in ea Aelios reperiri.

2) Unus adeo nummus eius est cum capite Hadriani, in quo haec inscriptio invenitur COL. AEL. CAPIT. COND., cum communi coloniarum imagine, colono arante et signo militari, quo nummo aperte auctor Hadrianus celebratur.

riana duabus turribus insignitur et in nummis coloniae appellatur. Ii ab Hadriano extant usque ad Gallienum [1]). Quare non dubito, quin ab Hadriano ad motus Iudaeorum comprimendos anno 133 p. Chr. munita et coloniae honore aucta sit. Exornavit autem eam eximio templo Iovis Heliupolitani extructo filius eius Antoninus Pius, quod testatur Malala Chronograph. libr. XI p. 280 (ed. Bonn.) atque id ipsum templum deinde saepe in nummis conspicitur. Postea Septimius Severus, additis fortasse novis incolis, ut Paullus in Dig. L, 15, 8 ait, *Italicae coloniae rempublicam dedit*, ex quo tempore in nummis nomina habet *col. Iulia Augusta* vel *Iulia Augusta Felix*, cum antea dicatur *col. Iul. Hel.* Ex quibus cognominibus non hoc equidem colligo, quod Vaillantius censet, ab Caesare fuisse deductam, ab Augusto auctam, sed Iuliam appellatam ab Augusto propter beneficia nonnulla accepta, coloniam factam multo post. Maxime autem ex nummis memorabilis est Philippi ille iunioris, in quo nomina inveniuntur *leg. VIII Aug.* et *V Maced.*, ex quibus iisdem legionibus colonia Berytensis constituta erat.

Palmyra, nobilissima antiquitatis urbs, quae quamquam a Ptolem. V, 15, 24 non appellatur colonia, hoc tamen maxima tempore et instaurata videtur esse et coloniae iure donata. De ea enim sic est apud Ulpian. Dig. L, 15 (de cens.) 1: *est et Palmyrena civitas in provincia Phoenice prope barbaras gentes et nationes collocuta*, etsi non refertur inter eas urbes, quae iure Italico utantur. Ut autem ad hoc tempus referam, facit Stephanus s. v.: οἱ αὐτοὶ Ἀδριανοπολῖται μετωνομάσθησαν, ἐπικτισθείσης τῆς πόλεως ὑπὸ τοῦ αὐτοκράτορος. Nam Hadrianus cum urbem et novis incolis auxerit et a suo nomine Hadrianopolim appellarit, probabile sane additum esse ius coloniae.

Tum in *Asia minore* ab Hadriano conditae videntur esse hae coloniae:

Iconium Lycaoniae, quod a Strabone πολίχνιον, a Plin. V, 25, 95 urbs celeberrima dicitur. Nam imperator Claudius multis beneficiis ornatam auxerat, quare in nummis *Claudia* appellatur. Coloniam fuisse soli nummi testantur (nam Ptolem. V, 6, 16 dissimulat), qui Gordiani et Gallieni supersunt, in quorum uno est haec inscriptio COL. AEL. ICONIEN. cum imagine coloni arantis et duobus signis militaribus. Quare dubitandum non est, quin ab Hadriano et denuo munita et coloniae iure donata sit. Vide Eckhel. Doctr. numm. Vol. III p. 33; Mionnet. Vol. III p. 535.

Parlais sive, ut Plin. V, 25, 95 appellat, *Paralais*, item Lycaoniae, in nummis modo colonia appellatur apud Eckhel. l. l. p. 34; Mionnet. III p. 537. Et quidem in M. Antonini

1) Unus affertur ille quidem etiam Nervae ex Pellerinio ab Eckhel. doctr. numm. III p. 334 (cf. Mionnet. Vol. V p. 298), sed et dubito num verus sit, et si est verus, cum fieri nequeat, ut Heliupolis a Nerva deducta esse videatur, in eius memoriam propter incertam aliquam causam signatus est. Commemoratur autem *colonia Heliupolis* etiam in inscriptione apud Kellerm. Vig. Rom. n. 284.

nummo est *Parlais Col.*, in L. Veri *Iul. Aug. Col. Parlais*, itemque in nummis Severi et Iuliae Domnae. Cognomina autem *Iulia Augusta* memorabile est anteponi coloniae nomini, non postponi, ut solet fieri. Quae cognomine, etsi urbs ignoratur prorsus a Plin. V, 23, 95, non dubito tamen, quin ab Augusto, antequam coloniae ius accepit, propter beneficia nonnulla addita sint.

Cremna Pisidiae item hoc loco a me affertur, etsi incertum est, utrum ab Hadriano an ab Traiano deducta sit: hac certo aetate conditam esse constat. Eum munitissimum fuisse locum narrat Strabo XII, 6, haec addens: τὴν μὲν οὖν Κρῆμναν ἄποικοι Ῥωμαίων ἔχουσιν. Inde plurimi coloniam Augusti fuisse collegerunt. Sed non fuisse docet Plin. libr. V, 24, 94 silentium, ne nominantis quidem, ut illo tempore castellum modo, qualia multa per eam regionem fuerunt, fuisse videatur, militibus Romanis occupatum. At Ptolem. V, 5, 8 coloniam appellat, idque confirmant nummi Getae, Elagabali, Etruscillae, Treboniani apud Eckhel. Doctr. Numm. Vol. III p. 20 cum hac inscriptione COL. IVL. AVG. FE. CREMNA. Quare oppidum cum primum conditum esset ab imperatore Augusto, unde cognominatur, ab Hadriano latrones Pisidas coërcente auctum et coloniae iure donatum esse existimo [1]).

Germa Galatiae a Strab. XII, 5 et Plin. V, 42, 146 ignoratur, at a Ptolem. V, 4, 7 colonia dicitur, itemque in notitia episcoporum saepius invenitur Γερμοκολωνία. Ac duo certa nummi sunt imperatoris Commodi, in quorum uno est COL. GERMAN. cum aquila et duobus signis militaribus, in altero COL. AVG. F. GERMENO. item cum imagine coloniam indicante. Vide Eckhel. Doctr. numm. III p. 178; Mionnet. Tom. IV p. 390. Quare ad Hadrianum referendam esse putavi [2]).

Selinus in Cilicia. Ibi cum Traianus mortuus esset, dicta est *Traianopolis* (Dio Cass. libr. LXVIII, 33). Sed cum hac nominis mutatione coniunctam fuisse etiam amplificationem incolarum testimonio esse debet Ulpian. Dig. L, 15 (de censib.) 1: *Est et in Cilicia Selinus et Traianopolis*, qui colonias modo videtur enumerare. Nam etsi a Ptolem. V, 8, 2 non dicitur colonia, in tabula tamen Peutingeriana duabus turribus insignitur. Nummi eius, qui huc pertineant, nulli noti sunt.

Sinis Armeniae minoris, urbs alioquin ignota, quae cum a Ptolem. V, 7, 5 colonia ap-

1) Nec vero diu videtur constitisse. Nam Probo imperatore ibi magnam fuisse seditionem et diuturnam coloniae obsidionem, cum electis Romanis Lydius quidam latro omnia occupasset, narrat Zosimus libr. I c. 69. Nec postea oppidum commemoratur aut in tabula Peutingeriana aut apud Geogr. Ravennat. II, 17.

2) Nam Vaillantius, qui ad Augustum auctorem referebat, satis iam refutatus est a Spanhem. de usu et praest. numm. Tom. II p. 601.

pelletur, secundum institutum nostrum hoc loco referenda erat. Probabilis autem Mannert. Geogr. VI, 2 p. 304 coniectura est, eundem esse huno locum, qui *Ciaca* appellatur in Itin. Ant. p. 209 et in tab. Peuting., cuius *coloni* commemorantur etiam in Not imper. c. 27. Idem etiam videtur locus, qui a Geegr. Ravenn. II, 16 p. 81 *colonia*, a Procop. de aed. III, 4 aliisque inferioris aetatis scriptoribus κολωνία vecatur.

Auctum autem et adiutum est ab Hadriano in Asia propria, quae dicitur, *Parium*, vetus Augusti colonia; nam in nummis post Hadriani tempora cusis constantissime cognomen habet H. vel HAD. i. e Hadriana. Vide Eckhei. Doetr. numm. II p. 462; Mionnet. Vel. II p. 577.

De *Africanis* coloniis, quarum numerus est maximus, difficile est dicere. Cum enim exigua omnino urbium Africanarum memoria sit apud scriptores, paucae earum supersint inscriptiones, paucissimi nummi, efficitur, ut raro, quo tempore aut a quo imperatore deductae sint, definiri possit. Neque aut Ptolemaeo aut itinerariis fidem habendam esse, si quam emittant coloniam, nec inde de tempore deductionis posse colligi cum saepe alias tum in tribus, quas certum est ab Hadriano conditas esse, coloniis intelligi potest; nulla enim earum a Ptolemaeo commemoratur. Tum, quae praecipua causa esse solet coloniarum condendarum, omnes a Traiano imperatores in Africa multum ac vehementer cum barbaris pugnarunt. Velut de Hadriane testis est Ael. Spart. in eius vita c. 12: *motus Maurorum compressit et a senatu supplicationes meruit*; cf. c. 5; de Antonino Pio Iul. Capit. c. 5: *Mauros ad pacem postulandam coegit*; de M. Aurelio idem c. 21: *Cum Mauri Hispanias prope omnes vastarent, res per legatos bene gestae sunt*; nam si Hispaniae a Mauris vexatae sunt, multo certe magis ipsa Africa; de Septimio Severo Ael. Capitol. c. 18 *Tripolim, unde oriundus erat, contusis bellicosissimis gentibus securissimam reddidit.* Quare cum omnes imperatores iustam causam haberent coloniarum deducendarum ac praesidiorum constituendorum, tum imprimis Hadrianus, qui totum orbem terrarum componere vellet, id videtur facere debuisse, quamquam de ea haec modo sunt apud Ael. Spart. in eius vit. c. 13 *in Africam transit ac multum beneficiorum provinciis Africanis attribuit*. In quibus etsi beneficia modo collata nominantur, tamen dubium non esse debet, quin securitati etiam imperii prospexerit. Duplicis igitur generis colonias constituebat, et iis oppidis, quae bene meruisse viderentur, coloniae iure donatis, et aliis, quae opportuno loco sita erant, veteranorum praesidio firmatis. Ac quas tres colonias certum est ab Hadriano esse factas, has quidem primo loco recensebimus; tum adiiciemus eas, quae aut a Ptolemaeo primo nominentur, aut eum iam apud Plinium in municipiorum numero sint, eadem ratione atque Italica et Utica coloniae ius impetrasse videantur, aut denique alia probabili ratione ad hoc tempus referendae sint. Quas quidem ex provinciarum ordine distribui. In *Tingitana* quidem provincia, ab Augusto, tum ab Claudio satis firmata, a Ptolemaeo non commemorantur, duae modo, quae a nobis nominabuntur. Certum autem est in Africa ab Hadriano constitutas esse has colonias:

Uticam, vetustissimam ac nobilissimam Africae urbem, civitate donatam ab Augusto (Dio Cass. XLIX, 16), quare a Plin. nat. hist. V, 3, 24 dicitur *civium Romanorum*. Quae cum ab Hadriano coloniae ius petisset [1]), impetrasse etiam constat ex inscriptione apud Ianssen. Inscr. Mus. Lugd. Batavi p. 79, in qua appellatur *Col. Iul. Ael. Hadr. Aug. Utik.*, ex quibus cognominibus *Iuliam* patet sumptum esse ab Caesare vel Augusto [2]), cetera ab Hadriano. Cur autem coloniae ius petiit? Ideo opinor, quia cum multas alias colonias in Africa constitui civitatemque aut Latinitatem oppidis donari videret, ipsa dignitate superari nolebat.

Zamam, item vetus ab pristinis regibus oppidum, unde *Regia* nominatur, a Plin. V, 4, 30 oppidum vocatur, nec Ptolem. IV, 3, 33 coloniam commemorat. At in titulo, apud Grut. p. 364, 1, posito ann. 322 p. Chr. (cf. Reines. p. 458, 122), appellatur *colonia Aelia Hadriana Aug. Zama Regia*, unde origo eius certa est.

Thaenam, Byzacenae regionis oppidum, nec a Plin. V, 3, 25 nec a Ptolem. IV, 3, 11 colonia dicitur; at est ita in Itin. Anton. p. 59 Wess. et in inscriptione apud Grut. p. 363, 3, posita anno 321 p. Chr., ubi *colonia Aelia Augusta Mercurialis Thaenitana* appellatur.

Has igitur colonias cum constet ab Hadriano esse factas, ut supra dictum est, adiiciemus eas colonias, quas probabile sit vel ad Hadrianum vel ad eiusdem aetatis alium imperatorem referendas esse. Nominantur autem in *Mauritania Tingitana* hae coloniae:

Rusadir, quod *oppidum* vocatur a Plin. V, 2, 19, a Ptolem. IV, 3, 4 sine ulla iuris significatione, at in Itin. Ant. p. 11 ed. Wess. dicitur *colonia*.

Volubilis, quod a Pomp. Mel. III, 10, 6 *opulentum oppidum*, a Plin. V, 1, 5 et Ptolem. IV, 1, 14 simpliciter oppidum, in Itin. Ant. p. 23 *colonia* dicitur. Ambae hae coloniae solebam dubitare nū ab M. Aurelio conditae essent, quo imperante Iul. Capit. c. 21 Mauros narrat Hispanias vexasse, quos cum ex Tingitana maxime provincia oporteat transisse, pacatam eam provinciam his duobus praesidiis firmatam esse putabam. Cf. Ael. Capit. in Severo c. 2. Sed incerta tamen illa coniectura est.

Deinde in *Caesariensi* provincia fuerunt hae coloniae:

Arsennaria, quae a Plin. V, 2, 19 Latinorum oppidum vocatur, et in Tingitana provincia collocatur, a Ptolem. IV, 2, 3 ponitur in Caesariensi et colonia appellatur.

Bida sive *Beda* a Ptolem. IV, 2, 28 colonia dicitur; alias non commemoratur, nisi quod eam limitis firmandi causa institutam esse apparet ex Notit. imper. Occident. c. 70 ed. Panc.,

1) Vide Gell. Noct. Att. XVI, 13 et quae supra in Italica diximus. Colonia autem appellatur etiam in tabula Peutingeriana. Nec dubium est, quin apud Geogr. Ravennat. III, 5 p. 113, ubi vulgo legitur *Antiqua colonia*, emendandum sit *Utica colonia* Cf. maxime eundem V, 5 p. 258.

2) Idem enim cognomen habet in nummis imperatoriis apud Eckhel. Doctr. numm. IV p. 147.

ubi proepositus limitis Bidensis appellatur. Videtur autem essa is locus, qui in tab. Peut. vocatur *Syda municipium*, at coloniam fuisse docet etiam Geogr. Rav. III, 8, ubi est *Sita colonia*.

Siga a Plin. V, 2, 19 non vocatur colonia, sed a Ptolem. IV, 2, 2 Σίγα πόλις, κολωνία. Nec moveor, quod in Itin. Ant. p. 12 ed. Wess. et opud Geogr. Rav. III, 8 (ubi vocatur *Signa*) dicitur *municipium*. Nam multas Africanas urbes invenimus gradatim primum civitate esse donatas, ut municipia essent, deinde coloniae iure.

Aquae calidae a solo Ptolem. IV, 2, 26 commemorantur ὕδατα θερμὰ κολωνία, nisi quod etiam in Itin. Ant. p. 31 vocatur colonia.

Quiza a Plin. V, 2, 19 appellatur Xenitano, peregrinorum oppidum, in itinerariis p. 13 *municipium*, a Ptolem. IV, 2, 3 colonia.

Rusucurrium, *civitate honoratum a Claudio*, ut est apud Plin. V, 2, 20; nec a Ptolem. IV, 2, 8 coloniae nomine insignitur. Sed cum ita dicatur in Itin. Anton. p. 16 et 30 Wess. et in tabula Peutingeriana, inter municipia fuisse iudico, ab Hadriano coloniae iure donata (Gell. Noct. Att. XVI, 8).

Auzia. Vetus erat castellum, Tiberio imperante semirutum (Tac. Annal. IV, 25). Colonia appellatur tantum in memorabili inscriptione apud Maff. Mus. Ver. p. 463, 1 (Orell. n. 529; Donat. p. 287, 2), quae exeunte saeculo tertio p. Chr. videtur esse posita. Cf. Donat. p. 42, 5.

Gilva in solo Itiner. Anton. p. 13 vocatur *colonia*, ignota alias, nisi quod *Gilba* dicitur in notit. Africae.

Icosium, a Vespasiano Latinitate donatum esse scribit Plin. nat. hist. V, 2, 20, *colonia* dicitur in Itin. Ant. p. 15 et apud Mart. Capell. VI § 668; nam Ptolem. IV, 2, 6 nihil nomini addit.

Tipasa habet ius Latii apud Plin. V, 2, 20; apud Ptolem. IV, 2, 5 nihil additur, at in Itin. Ant. p. 15 vocatur *colonia*. Saepius autem commemoratur in historia episcoporum Africanorum apud Morcell. Afric. Christ. (Brixiae 1813) Vol. I p. 327 et apud Ammian. Marcell. XXIX, 5 dicitur *Tiposa*.

In *Numidia* plurimae tunc videntur factae esse coloniae:

Aphrodisium, a Ptolem. IV, 3, 5 vocatur colonia, nec probabile, quod quidam coloniae significationem ad Hipponem Regium, cuius mentio fit proxime, pertinere putant.

Culcua a Ptolem. IV, 3, 29 *colonia* dicitur, item in tab. Peuting. est *Culchul colonia*, in Itin. Ant. p. 29 *Cuicul*. At diversa inde urbs *Chulli* (Itin. Ant. p. 19), quam Solin. c. 26 videtur significare, cum magnitudine proxime ad Cirtam accedere ait.

Tabraca (nam ita sine aspirata scribit etiam Pomp. Mel. I, 7) a Plin. V, 2, 22 dicitur *oppidum civium Romanorum*, apud Ptolem. IV, 3, 5 est *Thabraca colonia*.

Tibiga, ut Plin. V, 4, 29 dicit inter oppida civium Romanorum recensens, sive *Thigiba*, ut Ptolem. IV, 3, 29 coloniam appellans. In tabula Peuting. est *Tignica* eodemque nomine

commemoratur in inscriptione apud Maff. Mus. Veron. p. 464, 4, ubi *flamen utriusque partis civitatis Tignicensis* commemoratur, unde intelligimus vere deductos esse colonos eosque suam reipublicae partem habuisse. Item *Thignica* nominatur apud Donat. p. 343, 7.

Tyridromum a Plin. V, 4, 29 *civium Romanorum*, a Ptolem. IV, 3, 39 *colonia* vocatur.

Tuburnica item a Plin. V, 4, 29 *civium Romanorum*, a Ptolom. IV, 3, 29 colonia dicitur.

Theveste sive *Teveste* non vocatur colonia a Ptolem. IV, 3, 30, sed in Itin. Ant. p. 27 et in inscriptionibus, eum olim nota apud Grut. p. 600, 10 tum aliis compluribus nuper repertis. Ex quibus eum appareat ann. 124 p. Chr. imperatorem Hadrianum per milites legionis III Augustae viam e Carthagine ad Theveste coloniam munisse, satis probabiliter Letronnius in Annalibus Gallicis (Revue archéologique II p. 820—831) coniicit conditam esse coloniam ab illo imperatore. In Theod. Cod. XI, 30 (de appellat.) 5 et 6 vocatur *Thebeste*.

Madaura videtur apud Ptolem. IV, 3, 30 commemorari, quo loco Μάδουρος est, item apud Grut. p. 600, 10, ubi est *Medaurianus*, et apud August. Epist. 16 et 17 et 232. Illud dubium, num etiam *Materense* oppidum liberum, quod Plin. V, 4, 30 habet, huc pertineat. Coloniam fuisse narrat Appulei. Apolog. p. 447 Oud., cuius eam patriam fuisse constat: *Neque hoc eo dixi, quo me patriae meae poeniteret, etsi adhuc Syphacis essemus: quo tamen victo ad Massinissam regem munere populi Romani concessimus ac deinceps veteranorum militum novo conditu splendidissima colonia sumus.* In qua colonia patrem suum ait fuisse *loco principe duumviralem cunctisque honoribus perfunctum* [1]. Iam cum haec ab Appuleio constet scripta esse imperatore Antonino Pio, quem p. 570 ita appellet, ut Divi nomen non addat, paterque eius in nova colonia iam honores gessisse dicatur, necesse est eam, si non prius, at ab Hadriano esse deductam. De ipso deductionis genere hoc intelligitur, veteranos ita esse collocatos, ut veteres incolae ascriberentur; nam Appuleius nec dicit maiores suos fuisse milites Romanos, qua re recte gloriari poterat, et se indigenam Africum esse profitetur Apolog. p. 445 *Seminumidam et Semigaetulum*, cuius sermo patrius non fuerit Romanus.

Ammedera (sic enim scribendum esse recte statuit Morcell. Afric. Christ. I p. 75) a Plinio prorsus negligitur, neque a Ptolem. IV, 3, 30 colonia appellatur. At in Itin. Ant. p. 26 est *Admedera colonia*, itemque Hyginus de limitibus constituendis p. 180 ed. Lachm. ibi agrum divisum esse significat. Incerta autem prorsus eorum videtur esse coniectura, qui hoc oppidum non diversum esse censent a Madaura, Appuleii patria, de qua modo dictum est.

Simittu a Plin. V, 4, 29 vocatur oppidum civium Romanorum, a Ptolem. IV, 3, 39

1) Nam sic, non *loco principis*, quod Hildebrandtio, recentissimo Appuleii editori placuit, scribendum esse demonstravi in Annal. critic. Berol. ann. 1843 p. 697. Pater Appuleii fuerat inter principes coloniae i. e. et summo honore, duumviratu, et ceteris honoribus perfunctus.

ubi male legitur Σιμίσθου, non additur coloniae significatio. At in Itin. Anton. p. 43 et in tab. Peuting., in qua sic emendandum esse censeo, quod male legitur *Sanitu*, dicitur *colonia*.

Rusicade a Plin. V, 2, 22 et Ptolem. IV, 3, 4 simpliciter *oppidum*, item in Itin. Ant. p. 5 at 19 (perisse videtur coloniae significatio in inscriptione apud Donat. p. 95, 1); in tab. Peuting. *colonia* vocatur.

Hippo Regius et a Plin. V, 2, 22 *oppidum*, nec a Ptolem. IV, 3, 5 *colonia* dicitur. At appellatur sic in Itin. Ant. p. 22 et apud August. Epist. 35 et de civit. dei XXII, 8 [1]). Nondum fuisse coloniam Traiani tempore supra p. 407 dictum est.

Mileum, clarum posterioribus temporibus oppidum (vide August. adv. Donat. VI, 20; Morcell. Afr. Christ. I p. 228), *colonia* dicitur in tab. Peuting., quamquam ibi non recte scriptum est *Mileu*. Item apud Geogr. Ravennat. p. 119 lib. III c. 6 est *Milebo Colonia*.

Lambaesa (sic enim apud Ptolem. IV, 2, 29 et August. adv. Donat. VI, 13 et in inscriptione apud de Slan. Diurn. Asiat. ann. 1845 p. 163 sine coloniae significatione appellatur) apud Cyprian. Epist. 55 *Lambesitana colonia* dicitur.

Thelepte (cf. Morcell. Afric. Christ. I p. 310) videtur significari in tab. Peuting., ubi est *Theleote colonia* et apud Geogr. Ravennat. III, 6, ubi *Tepte colonia*. Item apud Maff. Mus. Ver. p. 461, 3 appellatur *col. Thelepte*.

Lares apud Ptolem. IV, 3, 28 sine coloniae nomine commemoratur, at *Laribus colonia*, abl. casu, est in Itin. Ant. p. 26. De loco urbis cf. Morcell. l. l. p. 199.

Tum in *Africa propria* hae reperiuntur coloniae:

Neapolis, quae libera a Plin. V, 3, 24, colonia a Ptolem. IV, 3, 8 dicitur; *Cuina* colonia, alias ignota, apud Ptolem. IV, 3, 34.

Bislea sive *Visica*, ut est apud Morcell. l. l. p. 357 (eadem enim videtur esse urbs) in una modo inscriptione apud Maff. Mus. Ver. p. 460, 4 (Orell. n. 1072), anno 318 p. Chr. posita, commemoratur *col. Bisica Lucana*, in quibus notabile ac vix explicandum nomen *Lucana*.

Byzacena a Ptolem. IV, 3, 39 non dicitur colonia, at in inscriptione apud Reines. p. 458, 122 est *col. Byzacena*. [2])

Capsa (nam recte arbitror Morcell. l. l. 118 hanc potius intelligere Byzacenae provinciae, quam Cellar. geogr. antiq. p. 185 Numidiae urbem) a Ptolem. IV, 3, 39 non vocatur *colonia*, at in tab. Peuting. Item apud Geogr. Rav. III, 5 ex coniectura videtur scribendum esse *Capsa col.*

---

1) Nummos, qui a Vaillantio olim ad hanc coloniam referebantur, ad Parianam potius Asiae coloniam pertinere docuit Eckhel. Doctr. Numm. IV p. 152.

2) Etiam *Paroda*, Zeugitanae urbs, a quibusdam propter nummos quosdam pro colonia habebatur, id quod eum per se parum probabile sit, ne nummorum quidem illorum recta interpretatione satis commendari docet Eckhel. Doctr. Numm. IV p. 143.

Curubis liberum oppidum vocatur a Plin. V, 3, 24; a Ptolem. IV, 3, 8 et in itinerariis nihil edditur. Sed colonia dicitur in inseriptione, Constantini tempore posita, apud Maff. Mus. Ver. p. 463, 3 (Donet. p. 346, 6; Orell. n. 530), in qua est *col. Ful. Curubis*, quod Morcell. l. l. p. 149 interpretetur *colonia Fulminatrix* vel *Fulminata*.

Tusdrum sive *Thysdrum* (ut in inscriptione apud Kellerm. Vig. Rom. n. 66) sive *Tisdrum* sive *Tisdra*, liberum vocatur a Plin. V, 4, 30. Etiam Ptolem. IV, 3, 39 simpliciter habet Θυσδρος. Sed *colonia* vocatur in Itin. Ant. p. 59. [1]) Gordianum ibi imperetorem eppellatum esse narrant Iul. Capit. in vita Gord. c. 7 et Herod. VII, 6. Sed coloniam iam ante deductam esse existimo.

Cilium, cum coloniae significatione carent in Itin. Ant. p. 54, in inscriptione tamen apud Maff. Mus. Ver. p. 462, 3 est colonia *Cilitana*.

Midila, ut Aug. adv. Donet. VII, 9 scribit, colonia cognoscitur ex memorabili titulo apud Gor. Inscr. Etrur. I p. 6 n. 2, posito Iuliae Domnae *ex decreto paganor. pagi Mercurialis veteranorum Medelitanorum*. Nam si veterani erant Midilee, eadem ratione probabile est coloniam factem qua Madeuram, de qua supra diximus.

Sequitur *regio Syrtica*, in qua hae quattuor coloniae commemorantur:

Leptis magna oppidum vocatur a Plin. V, 4, 27 nec Ptolem. IV, 3, 13 coloniae nomen addit. Necdum imperante Vespasiano fuisse coloniam apparet ex Tac. Hist. IV, 50, qui ubi de discordiis et bello adeo inter Leptitanos et Oeenses gesto narrat, si illa esset colonia, non commemorare id non potuit. Facta igitur est colonia postea, et quoniam ita modo in Itin. Anton. p. 63 et in tabula Peutingariene vocatur, e Septimio Severo conditam esse iudico, quem at natum ibi esse constat (vide Ael. Spart. in eius vita 1 et 15 extr.) et urbi patriae ius Italicum tribuisse (Paull. in Dig. L, 15 (de cens.) 8) [2]). Nec contre sunt nummi, qui imperatoris Tiberii supersunt Graece inscripti, quo tempore nondum coloniam fuisse inde apertum est. In reliquis dicitur COL. VIC. IVL. LEP. vel C. V. I. L. i. e. *colonia Victrix Iulia Leptis*, ex quibus nominibus Iulium ab Caesare vel Augusto propter beneficia quaedam sumptum esse puto. Memorabile autem est, quod in nummis IIviri et quinquennales et aediles nominantur. Vide Eckhel. Doctr. Numm. Vol. IV p. 130.

Oea a Plin. V, 3, 27 dicitur *Oeensis civitas*, a Ptolem. IV, 3, 12 simpliciter Ἐῶα, sed *colonia* in Itin. Ant. p. 62 et in tab. Peuting., ubi ita emendandum est, quod male legitur *Osa colonia*. De bello, quod cum Leptitanis et deinde etiam cum Romanis gessit, confer et paulo

1) Eodemque dubito an pertineat quod in tab. Peuting. legitur *Thiforo col.*, pro quo esse oporteat *Thisdro col.*

2) Atque etiam alia ratione videtur posse fieri probabile, non ante Septimium coloniam factam vel veteranos eo deductos. Etenim Ael. Spart. in vita eius imperatoris c. 15 extr. cum narrat Ponice

supra et Plin. nat. hist. V, 5, 38. L. Appuleius saepe commemorat, sed nunquam ita, ut coloniam fuisse intelligamus. Quamquam iam fuit eius tempore. Nam in nummo uno, qui certe ad hanc urbem pertinet, Antonini Pii apud Eckhel. Doctr. Numm. Vol. IV p. 131 est COL. AVG. OCE, unde iam Pellerinius non sine aliqua veri similitudine ab Hadriano deductam esse coniecit. Unum magnopere dubito num recte fecerit Eckhel., quod *Oceam* nominandam esse putabat, quae plurimis scriptorum locis dicatur *Oea*. Quam facile enim fieri potuit, ut quod OEE erat in uno illo nummo, male legeretur?

Sabrata nec a Plin. V, 3, 25 nec a Ptolem. IV, 3, 12, apud quem est Σαβάϑρα, colonia dicitur nec apud Isidor. Orig. XIII, 5 aut Solin. c. 27, etsi magnum oppidum fuisse significant. Ex iis, quae Suet. Vesp. c. 3 habet, cum Flaviam Domitillam inde oriundam fuisse narrat, Latinae condicionis fuisse coniicio. At in Itin. Anton. p. 61 vocatur *colonia*.

Tacape rursus nec apud Plin. V, 3, 25 nec apud Ptolem. IV, 3, 11 colonia vocatur; at magnam fuisse urbem et Tripolitanae regionis metropolim constat ex Theod. Cod. XI, 30 (de appellationibus) 33, ubi cf. Gothofr. *Colonia* dicitur in Itin. Ant. p. 59 et in tab. Peutingeriana. Quare equidem et hanc coloniam et proximam antecedentem Septimio maxime Severo tribuendam esse censeo, de quo Ael. Spart. c. 18 scribit: ***Tripolim, unde oriundus erat, contusis bellicosissimis gentibus securissimam reddidit ac pacem diuturnam, oleum gratuitum et fecundissimum agrum donavit.*** Nam securitas maxime paratur colonis belli peritis adiectis, qui cum ad veteres incolas accedunt, etiam agri amplificatione opus est.

In *Cyrenaica* denique regione duae hae notantur in tabula Peutingeriana coloniae:

Cyrenae, nota urbs, in qua cum Vespasianus quaestor fuisset (Suet. Vesp. c. 2), postea imperator factus tanta in eam contulit beneficia, ut in nummo Titi Graeca inscriptione apud Eckhel. Doctr. Numm. IV p. 127 dicatur Flavia. Colonia autem facta postea.

Tauchira sive *Arsinoë* (Plin. V, 5, 32). Alibi non commemoratur colonia.

Hae igitur nominantur Africanarum provinciarum coloniae. Sed facile credo plures fuisse, quarum memoria periit. Abundabat enim ora Africae urbibus magnis et frequentibus, quae ab impetu barbarorum saepius defendendae erant adiectione veteranorum militum.

Caput septimum.

Qui Hadriano successit *Antoninus Pius*, vel paucas vel nullas videtur colonias deduxisse nec, cum Hadrianus plurimum in imperii statu adiuvando ac confirmando laborasset, magno-

---

magis quam Latine fuisse disertum, sororem autem eius vix Latine intellexisse. Id si oppidum diu esset militibus Romanis frequentatum, quamvis etiam veteres incolae recepti in coloniam essent, minus videtur potuisse accidere.

pere opus erat. De cuius bellis et ornandarum urbium studio praeter ea, quae brevissima sane habet Iul. Capit. c. 5 et c. 8 *multas etiam civitates adiuvit pecunia, ut opera vel nova facerent vel vetera restituerent*, conferendus imprimis est Pausanias libr. VIII c. 43. In Africa quidem probabile est ab eo institutas esse aliquas colonias, cum Mauros irruentes non modo repelleret, verum etiam omnes eorum agros usque ad montem Atlantem occuparet, sed nominari potest nulla. In Britannia quas ceperat, muro cespiticio defendit, in Germania et Dacia barbarorum impetus repulit. In Italia cum veteri more militum in agris collocandorum uteretur, duo nominantur oppida, in quibus agrum diviserit, *Asculum* Picenum, ubi T. Hoenio Severo et Stloga cos. i. e. ann. 140, et *Alba*, ubi Scipione Orfito et Quinto Nonio Prisco cos. i. e. ann. 149 determinatio facta esse dicitur in script. gromat. p. 244 ed. Lachm. De Asculanorum republica disputatum est supra p. 349, de Albensibus nihil amplius notum, nisi quod IIIIviros summo apud eos magistratui praefuisse docet inscriptio apud Mur. p. 750, 8.

At *M. Aurelium* ne si vellet quidem maximo multas colonias deducere potuisse existimo. Fuit enim eo imperante tanta per totum orbem terrarum pestilentia, ut non oppida modo, verum etiam exercitus vastarentur ac cum bellum gravissimum Marcomannicum ingrueret, vix essel, unde supplerentur. Quare tum primum propter hominum inopiam factum est, ut ad regiones ipsas Italiae frequentandas multa milia barbarorum captorum collocarentur [1]), et qui erat ager publicus, quoniam militibus expleri non poterat, ne vacuus iaceret, privatis hominibus concessus. Sic certe accidisse narratur apud auct. grom. p. 229 ed. Lachm. *Superequi*, de quo supra p. 301 dictum est in Augusti coloniis. Ibi cum antea veterani consuessent collocari, *postea Verus et Antoninus et Commodus aliqua privatis concesserunt.* Sed vero facta colonia

Canusium, quod cum oppidum appelletur a Plin. III, 16, 104 et *municipium* in tubi plumbei inscriptione, quam refert Romanell. topograph. regn. Neap. II p. 164, et in alia inscriptione apud Molam Peregrin. littorar. per Apul. p. 38. ubi IIIIvir est, *colonia* vocatur primum in fragmento inscriptionis apud Maff. Mus. Ver. p. 449, 4 (Ianssen. Mus. Lugd. Batav. p. 74), in quo de hac potius colonia quam de Campana dici exposui in recensione libri Ianseniani inserta in Annal. critic. Berol. ann. 1843, p. 477, tum in insigni titulo apud Mur. p. 656, 3, item mutilo, quem cum satis recte explesset Muratorius expletumque repetisset Romanell. l. l. p. 267, tamquam integrum, deceptus est Orell. n. 2630. In eo autem *colonia Aurelia Augusta Pia Canu-*

---

1) Pluribus haec persecutus sum in quaestione Germanice scripta: Ueber den Ursprung und die Entwickelung des Colonats, inserta museo Rhenano ann. 1842, p. 11.

sium commemoratur. Quare a M. Aurelio coloniae iure donatum esse censeo, fortasse ut beneficio afficeret oppidum, in quo L. Verus ex vehementi morbo convaluisset (Iul. Capit. Ver. c. 6.) [1].

Praeterea ab eo coloniae videntur deductae esse hae:

Carnuntum Pannoniae superioris, quod a Plin. IV, 25, 80 tamquam *Pannonica hiberna*, a Ptolem. II, 14, 3 nulla adiecta iuris significatione commemoratur. At in inscriptione apud Grut. p. 390, 2 (Grut. p. 452, 2. rectius apud Orell. n. 4964 ex ipso lapide, qui nunc in musao Vindobonensi est) invenitur *dec. col. Karn.*, atque etiam in tabula Peutingeriana, quia magna civitas erat, duabus turribus insignitur. Factam autem esse coloniam arbitror a M. Aurelio, qui ibi in bello Marcomannico per totum triennium versatus est, ac mansit caput quasi Pannoniae, unde limites Germanici observarentur; nam Septimius Severus ibi versans imperator appellatus est (Ael. Spart. in eius vita c. 5).

Ovilaba Norici, quae urbs in tabula Peutingeriana sub nomine *Ovilia* duabus turribus notatur, eodem fere tempore colonia videtur esse facta, quo Carnuntum. Nam in inscriptione apud Grut. p. 345, 8 (quae longe emendatior est apud Steinbuech. in Annal. Vind. ann. 1820 p. 30) est *decurio et IIvir coloniae Aureliae Antoninianae Ovil.*

Lauréacum Norici videtur colonia dici in inscriptione prope Romam reperta apud Grut. p. 484, 3 (Orell. n. 2179), ubi est *patronus et municeps col. Aug. Laur.*; nam fallitur certe Hagenbuchius apud Orell., qui Laurentum coloniam dici putabat, quam nullam fuisse expositum a nobis est in commentatione epigraphica de Lavinio et Laurentibus Lavinatibus p. 23. Refero igitur ad Norici urbem, quem cum a nullo priorum geographorum, sed in Itin. Ant. p. 231 et 235 et saepius et in tab. Peuting., ubi male scribitur *Blaboriciacum*, commemorari videam, omnino probabile sit conditam esse ab M. Aurelio, in illa regione per bellum Marcomannicum versante.

Carrhae in Mesopotamia, vetus praesidium Romanorum finium, item facta colonia. Docent id nummi apud Eckhel. Doctr. Numm. III p. 505. Nam et M. Aurelii sunt nummi, cum nondum esset colonia, et rursus coloniae et Graeci et Latini inde a M. Aurelio usque ad Tranquillinam. Vocatur autem in Graecis ΑΥΡ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. ΦΙΛΟΡ. (i. e. φιλορωμαίων) ΚΟΛ., in Latinis, qui solius Caracalli extant, *Col. Met.* (i. e. metropolis) *Antoniniana Aur. Alex.*, ut primum a M. Aurelio *Aurelia*, deinde a Caracallo *Antoniniana* et *Alexandriana* dicta esse videatur. Cum autem tanto plures supersint Graece inscripti nummi quam Latine, non magna copia militum deducta videtur esse, vel, qui deducti erant, cito esse emortui.

---

1) Magistratus coloniae noti sunt ex celeberrimo albo Canusino, de quo plurima supra p. 113 disputata sunt. Item *aedilis*, *quaestor*, *IIvir* commemorantur apud Grut. p. 490, 4 (Mur. p. 1037, 3), si verum est, eum lapidem huc pertinere. Antea fuerant IIIIviri, de quibus cf. etiam Orell. n. 1619.

Singara, item Mesopotamiae urbs saepe in bellis Romanorum commemorata, quae in nummis apud Eckhel. l. l. p. 519 appellatur ΑΥΡ. ΣΕΠ. ΚΟΛ. ΣΙΝΓΑΡΑ, unde ab M. Aurelio primum institutam, deinde ab Septimio auctam et munitam esse intelligimus.

Faustinopolis inter Tyana et inter Taurum in Cataonia sita. De ea sic narrat Iul. Capit. in M. Aurel. c. 26: *Faustinam uxorem suam in radicibus montis Tauri in vico Halalae exanimatam subito morbo amisit — Fecit et coloniam vicum, in quo obiit Faustina, et aedem illi extruxit*, de qua aede cf. Ael. Lamprid. Heliogab. extr. Alibi nusquam commemoratur haec colonia, ut saepe dubitarim, an hoc modo Capitolinus significare voluerit, conditam esse urbem a M. Aurelio, non factam coloniam.

Filius M. Aurelii, *Commodus*, ut erat totius reipublicae negligentissimus, ita nec extra Italiam videtur ullas colonias deduxisse neque in Italia solitam agrorum assignandorum rationem egressus esse, cuius rei documentum est in scriptor. gromat. p. 229 ed. Lachm. Sed mira tamen eius erat ambitio, ut, cum nihil salutem reipublicae adiuvaret, summis honoribus uti vellet. Quare Romam ipsam coloniam suam existimari iussit appellarique *Commodianam* (Ael. Lamprid. Commod. c. 8; Dio Cass. LXXII, 15), cuius furoris nummi nonnulli testes supersunt apud Eckhel. Doctr. Numm. Vol. VII p. 123, itemque Carthaginem Africae *Alexandriam Commodam togatam* nominari voluit. Quae illo imperante usurpata cum ipso conciderunt.

P. Helvius Pertinax cum emendandae reipublicae studiosissimus esset, si diutius imperasset, certe etiam colonias condidisset. Nam narrat de eo Iul. Capit. c. 9 *praemia militantibus posuit*, hoc, opinor, significans, eum agros divisisse certa ratione militibus. Sed cum brevissimum eius fuerit imperium, nihil eum potuisse exequi non mirum est. Nec magis quicquam egit Didius Iulianus, dissolutus alioquin homo et gerendae reipublicae negligens. At *L. Septimius Severus*, ubi armis imperium occupavit, quia ipsa diu ac vehementer cum barbaris pugnavit, coloniis necessario ad fines tutandos utendum esse intellexit. Quamquam etiam in Italia ab eo deducta est

Ricina in Piceno, quae titulum ei posuit cum hac inscriptione: *colonia Helvia Ricina conditori suo*, apud Grut. p. 265, 5 (Orell. n. 915). Quod oppidum etsi iam antea agri divisiones passum est (vide supra in IIIvirorum coloniis p. 339), tum vere colonia facta, nullis, ut puto, militibus additis, verum quia Helvius Pertinax, cuius memoriam impense colebat, in ea regione natus erat (nam Capitol. in eius vit. c. 1 eum in villa Martis ad Appenninum natum esse scribit, Dio Cass. LXXIII, 3 Albae Pompeiae), honorem oppido addidit. Videtur certe aliqua pietatis causa intercessisse, quia colonia appellata est Helvia; etenim Severum etsi constat a senatu Pertinacem nominatum esse (Iul. Capit. Pert. c. 15; Ael. Spart. Sev. c. 7), nondum tamen inveni etiam gentilicio eius nomine usum esse.

At complures extra Italiam Severus vera condidit colonias, primum contra Germanos in *Pannonia*

Aquincum, quod etsi nec a Ptolem. II, 15, 4 nec in tabula Peutingeriana, ubi duabus tamen turribus insignitur, nec denique in Itin. Ant. p. 245, ubi modo statio legionis II Adiutricis dicitur, colonia appellatur, cognoscitur ex inscriptionibus. Nam *decurio* COL. AQ. est in duabus inscriptionibus apud Sestinium in Itineribus per Valach., Transilvan., Hungar. susceptis (Florent. 1815) p. 244 et 245, *dec.* COL. AQ. *aedilis*, *IIviralis* apud Grut. p. 12, 8 (Orell. n. 4138), *scrir* COL. AQ. apud Sestin. l. l. p. 247, *Augustalis* COL. AQ. apud Orell. n. 3924 (cf. Schoenvissner. Antiq. Sabariens. p. 57 et Sestin. l. l. p. 248); eodemque fortasse pertinent duo alii tituli apud Grut. p. 372, 6 et Mur. p. 2053, 2. Sed de auctore coloniae nihil inde potest colligi essumendusque Grut. p. 545, 9 (Orell. n. 506), ubi Iulius Iulianus appellatur DOMO. SEPT. AQVINCI.

Sirmium, cum iam Straboni notum fuerit VII, 2 extr., a Plin. III, 28, 148 *civitas Sirmiensium* appellatur, ut, cum ille scriberet, nondum videatur fuisse colonia. Quamquam auxit sane et ornavit imperator Vespasianus, cuius rei testis est inscriptio apud Mur. p. 863 (Orell. n. 3617), in qua dicitur *Flavium* [1]; eaque tamquam sedes praefecti classis primae Flaviae notatur in notitia imperii. Sed quia Ptolem. II, 16, 8 non addit coloniae significationem, a Septimio demum rursus imperii fines muniente deductam esse censeo. Nam fuisse coloniam constat ex inscriptione apud Mur. p. 1118, 3, in qua *decurio col. Sirmiensis* est atque etiam in tab. Peuting., tamquam munitum oppidum, binis turribus eppictis notatur. Omnino complurie eius regionis oppida ab Septimio firmata, ut *Sisciam*, veterem Augusti coloniam, insigniter tum ediutam esse demonstrat inscriptio apud Schoenvissn. in antiquit. Sabariens. p. 52 (Orell. n. 4993), ubi *colonia Septimia Siscia Augusta* vocetur, et alias duae apud Grut. p. 103, 11 (Orell. n. 505) et Steinbuech. Annal. Vindob. ann. 1831, 3 p. 32 n. 368, ubi est *Septimia Siscia*.

In *Dacia* tum unum oppidum coloniae iure donatum esse invenimus

Patavissam (Ptolem. III, 8, 7, tab. Peuting.), de qua Ulpianus in Dig. L, 15, 1, 9 sic ait: *Patavicensium* (vel *Patavissensium*) *vicus, qui a Divo Severo ius coloniae impetravit.* Incolae ipsi non videntur esse mutati.

In *Mesopotamia*, ubi diu ac feliciter a Severo pugnatum est, duae coloniae firmandorum finium causa constitutae sunt:

---

1) Fortasse tum civitatem accepit, ut in Norico *Scarabantia*, quae apud Plin. III, 27, 146 *oppidum* et *Iulia* vocatur, unde ab Augusto conditam esse discimus, municipium factam esse a Vespasiano docet inscriptio apud Schoenvissner. de antiq. Sabariensibus p. 51, ubi est *municipium Flavium Aug. Scarbantia.* Cf. etiam quae supra de Solva dicta sunt p. 396.

Nisibis, quae cum controversa diu inter Romanos et inter Parthos fuisset, recepta M. Aurelii tempore a Severo eximie ornata et honoribus aucta esse narratur a Dion. Cass. libr. LXXV c. 3. Cuius rei testes sunt etiam nummi non pauci apud Eckhel. Doctr. Numm. III p. 517, in quibus Graeca semper inscriptione vocatur urbs ***Septimia colonia Nisibi***. Eadem ab Alexandro Severo metropolis honore ornata.

Rhaesena in nummis modo colonia proditur apud Eckhel. Doctr. Numm. III p. 518, qui omnes sunt Graecae inscriptionis. In iis etsi coloniae nomen non raro omittitur, saepe dicitur ***Septimia Col. Rhaesenesiorum***; in nonnullis additur ***Leg. III Pia***, quam legionem Dio Cass. libr. LV c. 24 a Severo in Mesopotamia constitutam esse narrat, ut de auctore coloniae dubitatio esse nulla possit. Illud autem memorabile, cum milites Romani ibi versari videantur, nullum tamen nummum Latine inscriptum inveniri.

In ***Arabia Petraea***, quo item Severus bellum intulit,

Bostra aucta et coloniae iure donata sunt. Sic enim narratur apud Photium cod. 242 ἀπεδήμησεν εἰς τὰ Βόστρα τῆς Ἀραβίας, πόλιν μὲν οὐκ ἀρχαίαν (ὑπὸ γὰρ Σεβήρου τοῦ βασιλέως πολίζεται), φρούριον δὲ παλαιὸν, ἐπιτετειχισμένον — ὑπὸ τῶν Ἀραβικῶν βασιλέων. Vetus igitur erat castellum, muro cinctum ab Augusto, ut refert Malala Chronograph. IX p. 223 ed. Bonn. Tum auctum oppidum a Traiano ann. 105 p. Chr., unde ab illo anno Bostreni et novam aeram instituerunt (Chron. Pasch. p. 472 ed. Bonn.) et oppidum ***Novum Traianum*** appellare coeperunt. Vide Eckhel. Doctr. Numm. III p. 500. Denique Septimius Severus πόλιν, ut est apud Photium, i. e. coloniam Romanam fecit, quod idem testantur nummi, in quibus inde ab Elagabalo est ***colonia Bostra***, tum imperante Alexandro ***nova Traiana Alexandriana colonia Bostra***, ut ab hoc aucta esse videatur, tum inde a Philippo, ibi nato, ***colonia metropolis Bostra***.

Complures autem colonias Severus in ***Palaestina*** et in ***Coele Syria*** instituit, non tam ut imperii fines tutaretur, quam ut propter fidem in bello Pescennii Nigri servatam beneficia tribueret. Commemorantur autem hae:

Laodicea, Seleuci opus, quae cum Pescennio acerrime restitisset, eversa, sed deinde ab Severo restituta, aucta, ex suo nomine Septimia appellata, iure metropolis donata est (Malal. Chronograph. XII p. 293 ed. Bonn.). Itaque etiam Ulpian. Dig. L, 15, 1, 3 ***Est et Laodicena colonia in Syria Coele, cui D. Severus ius Italicum ob belli civilis merita concessit.*** Idem testantur nummi apud Eckhel. Doctr. Numm. III p. 319. Extant enim Severi et qui nondum appellent coloniam et qui appellent, posteriorum autem imperatorum omnes aut coloniam aperte nominant aut typos coloniarum proprios habent: inscriptio est aut vera Latina aut Graeca, sed Latinis litteris consignata: cognomine in iis gerit nulla, nisi quod fere semper dicitur ***metropolis***.

Tyrus in Phoenice, cum in bello civili a Septimio Severo contra Pescennium Nigrum

stetisset, ut Laodicea, colonia optimi iuris facta est. Sic enim de ea ait Ulpianus Dig. l. l.: *huic D. Severus imperator noster ob egregiam in rempublicam imperiumque Romanum insignem fidem ius Italicum dedit.* Confirmant id nummi apud Eckhel. l. l. III p. 387, qui extant Septimii Severi usque ad Gallienum, in quibus dicitur *Col. Sept. Tyrus* vel *Tyro Metrop.* In nonnullis Severi additus est typus coloniarum communis et nomen legionis III Gallicae, de qua paule supra dictum est. Elagabale autem imperante cum colonia aliquamdiu a Macrino stetisset nec novum imperatorem accipere voluisset, ereptum est et coloniae et metropolis ius, quod utrumque Alexander Severus restituit.

Sebaste, olim Samaria, caput provinciae Samariae. De ea Ulpianus l. l. sic habet: *Divus quoque Severus in Sebastenam civitatem coloniam deduxit* idque confirmant nummi apud Eckhel. l. l. p. 440. Etenim cum multi extent imperatorum usque ad ipsum Severum et ann. 195 p. Chr., coloniae et significatione ac nomine carentes, ceterorum imperatorum et ipsius Severi, habent inscriptionem vel Graecam ΚΟΛ. ΣΕΒΑΣΤΕ vel Latinam plenius COL. L. SEPT. SEBASTE i. e. *colonia L. Septimii Sebaste* cum vulgaribus typis coloniarum. Atque ex ipsa ea re, quod Latine inscripti nummi extant, apparet, recte tradidisse Ulpianum, qui vere colonos deductos esse scribat; sed recepti in coloniam erant etiam veteres incolae.

Adiutae praeterea a Septimio Severo videntur esse in eadem regione *Caesarea*, quae in eius nummis appellatur *Felix* (cf. supra p. 397) et *Heliupolis*, de qua supra p. 417 in Hadriani coloniis dictum est.

Reliqua est una *Asiae* minoris colonia, quam de coniectura huc referendam esse existimem, ***Comana*** vel Pontica vel Cappadociae. Utra enim colonia dicatur in nummo Caracelli, in quo est *Col. Iul. Aug. F(elix) Comanorum*, nondum decreverunt rei nummariae iudices. Vide Eckhel. Doctr. numm. II p. 351 et Mionnet. II p. 349. Neque nos hoc loco iudicabimus, praesertim cum ex scriptoribus nihil praesidii peti possit. Neutra enim colonos Romanos accepisse narratur, neutra apud Plin. libr. VI, 3 aut apud Ptolem. V, 6, 9 et V, 7, 7 colonia dicitur, utraque autem in tabula Peutingeriana tamquam magna urbs binis turribus insignitur. Illud autem certe minus verum, quod Vaillant. in nummis colon. et municip. Vol. I p. 1 et II p. 52 ex nominibus coloniae colligit, deductam eam esse ab Augusto; condiderit ille vel amplificarit urbem, coloniam Plinius tacere non potuit.

Qui Septimio Severo successit, *Antoninus Caracallus* cum mortuo patre celeriter Romam redisset, gessit ille quidem et in Germania bellum et in Asia, sed illud auro magis quam armis composuit nec eo composito coloniarum praesidiis fines munivit, in hac terra quia voluptatum fere causa commorabatur, quattuor urbibus, quibus prae ceteris delectatus erat, coloniae ius tribuit, sed non ita, ut incolarum numerum adiectis veteranis augeret, verum honore ac dignitate tenus. Earum urbium princeps fuit

Antiochia Syriae, graviter olim punita a Severo, quia cum Pescennio Nigro fecerat, sed ab eodem Severo deprecante Caracallo in integrum restituta (Ael. Spartian. Caracall. c. 1). Aucta deinde est, cum Caracallus ipse imperaret ac frequenter Antiochiae versaretur (Dio Cass. LXXVII, 20). Nam Paullus Dig. L, 15 (de cens.) 8 dicit: *Divus Antoninus* (i. e. Caracallus) *Antiochenses colonos fecit salvis tributis* i. e. coloniae iure donavit, sed non addidit ius Italicum. Idemque testantur nummi, qui sunt Caracalli usque ad Valerianum, apud Eckhel. Doctr. Numm. III p. 302, qui habent omnes inscriptionem Graecam ANTIOXEΩN. MHTPO. KOΛON., ut hi quoque indicant, non novos incolas esse additos, sed veteres novo iure donatos. Deinceps nominandae sunt

Edessa Mesopotamiae, ubi Caracallus paulo antequam mortuus est versabatur. Coloniam demonstrant nummi inde a Caracallo usque ad Decium, Graeca omnes inscriptione, in quibus modo nulla cognomina habet, modo *Aurelia Antoniniana* dicitur, modo adiectas habet litteras O et M, quas Opelium Macrinum significare putantur. Vide Eckhel. l. l. 510.

Tyana Cappadociae. Eius urbis multi extant nummi imperatorii usque ad imperatorem Severum, in quibus nulla est coloniae commemoratio. Sed in sex nummis Caracalli apud Eckhel. l. l. III p. 195 vocatur Graece ANT. KOΛΩNI. TYANΩN i. e. *Antoniniana colonia Tyanensium*; simul in nonnullis typus coloniarum proprius additur.

Caesarea ad Libanum, vetus urbs, olim *Arca* nomine, eoque saepe commemorata, etiam nummis Antonini et M. Aurelii celebrata, in quibus appellatur KAIΣAPEIAΣ. ΛIBANOY. Vide Eckhel. D. N. III p. 360. Coloniae nummi antea noti erant modo Elagabali et unus Alexandri Severi, apud Eckh. l. l. p. 361, Mionnet. V p. 358, in quibus est *Colonia Cesaria* (sic) *Lib.* Postea inventi etiam Caracalli et Macrini, eadem inscriptione nec ullo addito cognomine. Vide Mionnet. Supplem. VIII p. 256. Videtur igitur a Caracallo esse deducta. Paulo post maiorem gloriam adepta est, quod natus in ea erat Severus Alexander (Aurel. Vict., Ael. Lamprid. Alex. Sev. 1 et 5), sed honores tamen non invenitur propterea ullos peculiares accepisse.

Praeterea a Caracallo adiuta et beneficiis aucta vetus per eandem regionem colonia, *Caesarea* Palaestinae, quae in nummis eius vocatur *Antoniniana* apud Eckhel. l. l. III p. 432; item in Asia *Troas*, quae in eiusdem nummis vocatur *Aurelia Antoniniana* apud Eckhel. II p. 482. Etiam *Pergama* Mysiae Dio Cass. LXXVIII, 20 ab eo multis beneficiis affecta esse refert; sed ea intra id constitisse, ut *princeps Asiae* et *metropolis prima* diceretur, docent nummi apud Eckhel. l. l. II p. 472.

Opelio Macrino, qui post Caracalli caedem imperium adeptus coloniarum condendarum nec occasionem nec otium habuerat, celeriter trucidato successit *Bassianus Elagabalus*, An-

toninorum ultimus, qui cum omnia prae deo suo, quem unum in toto orbe terrarum coli volebat, contemneret, tres tamen Orientis urbes ad coloniarum dignitatem evexit. Eae sunt:

Emisa ad Orontem. De ea sic ait Ulpian. Dig. L, 15 (de cens.) 1: ***Sed et Emisenae civitati Phoenices*** (nam in Phoenicen tunc contribuebatur) ***imperator noster*** (i. e. Elagabalus) ***ius coloniae dedit iurisque Italici eam fecit***, similiterque Paullus ibid. l. 8: ***Imperator noster Antoninus civitatem Emisenorum coloniam et iuris Italici fecit.*** Eiusdemque rei testes sunt nummi apud Eckhel. l. l. III p. 311, Mionnet. V p. 228, Caracalli, Domnae, quorum in honorem Elagabalus perculi iussit, denique Elagabali ipsius, in quibus vocatur Graeca inscriptione ΕΜΙΣΩΝ. ΚΟΛΩΝΙΑΣ, in Elagabali quidem additur *Metropolis*.

Sidon Phoenices. Cum enim Tyriis et coloniae ius et ius Italicum, quo Septimius Severus ornaverat, ademisset, transtulit adempta in Sidonem, veterem Tyriorum aemulam. Nam in nummis Elagabali et Alexandri Severi Sidon vocatur, Latina inscriptione, COL. A. P. M. SID. vel plenius COL. *Aur. pia metrop. Sidon* adduntur que communes coloniarum typi nomenque *Leg. III Par.* i. e. legionis III Parthicae, quam a Severo institutam et in Mesopotamia collocatam esse scribit Dio Cass. libr. LV c. 24. Cf. Eckhel. l. l. III p. 371. Dubitat Eckhelius num colonia postea constiterit, equidem, etsi posterioris aetatis nummi nulli noti sunt, non dubito. Italicum quidem ius, quo Tyrus utebatur, utrum habuerit necne incertum est.

Nicopolis Palaestinae, olim Emmaus, de quo Romanorum castello supra p. 397 dictum est; idem enim videtur esse oppidum. De eo Eusebius in Chron., Chronic. Pasch. I p. 499 ed. Bonn. narrant, conditum esse ab Elagabalo, intercedente Iulii Africani praefecti opera, nec recedit, quod Syncellus Chronograph. I p. 676 ait ab Alexandro imperatore dignum esse habitum, quod Nicopolis appellaretur; nam videtur id factum esse, cum ambo imperarent. At Sozom. Hist. eccl. V, 21 post excidium Hierosolymorum Nicopolim vocatam scribit, quae antea Emmaus fuisset, ac nummi sunt Traiani et Antonini Pii, in quibus iam Nicopolis dicitur. Cf. Eckhel. l. l. III p. 454. Quid igitur statuemus? Hoc, opinor, similiter accidisse Nicopoli ac Bostris, ut Vespasianus milites ibi in castello quodam collocarit atque Nicopolim appellarit, deinde Elagabalus coloniae iure donarit universum oppidum. Apud Ptolem. quidem libr. V, 16, 7 Emmaus vocatur, neglecto illo veteranorum praesidio.

Stobi Macedoniae, qui cum civitatem iam ab Augusto accepisse videantur (nam oppidum civium Romanorum appellatur a Plin. III, 17, 34), servarunt hanc condicionem usque ad Elagabalum, cuius rei plurimi nummi testes sunt apud Eckhel. D. N. II p. 77, in quibus constantissime est *municipium Stobensium*. A quo ipso Elagabalo cur existimem coloniae iure donatos esse infra explicabitur.

Qui secuti sunt Elagabalum imperatores, vix singuli condiderunt singulas colonias, non quod non fines imperii tutandos esse intelligerent veteranorumque deductiones ad eam rem

aptissimas esse existimarent, sed quod tanta erat iam hominum inopia, ut vetus illa ratio relinquenda esse videretur. Velut Alexandri Severi, qui prudenter imperium continuit ac defendit, nulla tamen affertur colonia. Beneficia ille quidem contulerit alia; nam Ael. Lamprid. in eius vita c. 44 multas ab eo scribit civitates esse adiutas, atque in nummis *Caesareae* Palaestinae illo primum imperante litteras F. C. i. e. *Felix Concordia*, ut Eckhel. l. l. III p. 430 interpretatur, conspiciuntur (cf. etiam supra p. 431 *Bostra*): sed colonias veras condere non potuit, inani honoris specie urbium ambitionem alere noluit. Supersunt igitur hae coloniae:

Viminacium in Moesia superiore, quae ad Gordianum tertium refertur et anno 240 p. Chr. constituta esse putatur propter nummos plurimos, qui extant illius imperatoris et reliquorum usque ad Gallienum. In iis haec est Latina inscriptio: P. M. S. COL. VIM. i. e. *provinciae Moesiae superioris colonia Viminacium;* simulque in nonnullis sunt nomina legionis VII et IV, quarum utramque constat in Moesia fuisse collocatam; notatur etiam epoche, quae in illum, quem dixi, annum incidit. Vide de his copiose et erudite disputantem Eckhel. II p. 8. Ex inscriptione autem musei Vindobonensis (vide Musei Vindobonensis statuas et inscriptiones descriptas ab Ios. Arneth., Vind. 1847, p. 42) discimus ab Hadriano esse civitate donatum, ut *municipium Aelium* appellaretur; tum *decurio coloniae Viminacii* est apud Grut. p. 371, 5. [1])

Philippopolis Thraciae. Eam Euseb. in Chron. ait ann. 248 ab imperatore Philippo esse conditam, eadem ratione peccans, qua peccarat paulo supra in Nicopoli Palaestinae. Conditam enim esse constat a Philippo Macedone, et magnam frequentamque fuisse etiam sub imperio Romanorum. Sed dicebat Eusebius coloniam esse factam vel coloniae iure donatam; nam id testantur etiam nummi Philippi et Marini apud Eckhel. II p. 44, in quibus est ΦΙΛΙΠΠΟΠΟΛΙΤΩΝ. ΚΟΛΩΝΙΑΣ, quos nonnulli minus recte ad Philippopolim Arabiae, ab eodem imperatore vere conditam, rettulerunt. Nec vero constitit diu colonia, iam ann. 251 a Gothis capta et crudelissime exciisa, qua in clade cum centum milia hominum perisse narret Ammian. Marcell. XXXI, 5, 17, facile quanta urbs fuerit, existimari potest.

Damascus Coeles Syriae. Eius nummi, qui coloniae mentionem nullam habeant,

1) Eadem quae fuit caussa Viminacii forsitan fuerit *Cetii*, Norici oppidi, quae solet a plerisque pro colonia haberi, ut ab Al. A. Mucharo, qui historiam scripsit Norici Romani, p. 165. Conditum id erat ab imperatore Hadriano ad eandem rationem, qua Norici plurima oppida a Claudio, nonnulla a Vespasiano aedificata esse supra p. 390 intelleximus, ideoque *Aelium* vocatur in inscriptionibus apud Steinbuech. in Annal. Vindob. ann. 1820 Vol. XII p. 30 et Fabrett. p. 211, LVII. Sed non fecit coloniam, verum municipium; nam *aedilis municipii Aelii Cetiensium* est apud Grut. p. 469, 8 (p. 517, 6; Fabrett. p. 212, 534). Iam fieri potest, ut posteriorum aliquis imperatorum coloniae iure donarit (nam magnam ac munitam fuisse urbem ostendit tabula Peutingeriana, in qua binae turres appinguntur), sed demonstrari id non potest.

extant usque ad Alexandrum Severum; at Philippi insequentiumque imperatorum usque ad Saloninum inscriptionem habent fere Latinam COLO. DAMA. METRO., in nonnullisque additur nomen aut *leg.* VI. F. (i. e. ferratae) aut *leg. III Gal.*, quarum utramque prope Damascum tunc constitisse novimus; nam veteranos earum legionum ibi collocatos esse vel ideo non probabile, quod non in iisdem, sed una in his, altera in illis nummis reperitur. Vide Eckhel III p. 331.

Neapolis Samariae, quam a Vespasiano colonis Romanis frequentatam ac Flaviam appellatam diximus supra p. 397. Duae igitur in oppido fuerant incolarum partes, una Romanorum, altera indigenarum. Illa pars sola coloniae honorem magni fecit ac celebravit. Nam Philipporum primum, deinde aliorum imperatorum sunt satis multi coloniae nummi Latine inscripti, at item Graeci, qui nullam coloniae mentionem habeant, ut eodem tempore et Romanos et Graece loquentes indigenas iuxta habitasse appareat, quos diversi tamen iuris fuisse, propterea quod utrique civitate utebantur, parum est probabile. Inscriptio Latina est COL. NEAPOL. vel COL. SERG. NEAPOL. vel COL. FVL. NEAPO., quarum notarum nondum satis apta inventa est explicatio. Vide Eckhel. l. l. III p. 437.

Perusia Italiae. Eam omnes prope Itali scriptores ideo, quod urbem constat in bello Perusino incensam ab Augusto deinde esse restitutam (cf. supra p. 356), Augusti coloniam fuisse censent. Vide eorum opiniones expositas et comprobatas a Vermigliolio in antiquis inscriptionibus Perusinis (edit. sec. Perus. 1834) p. 399. Cui quidem sententiae apertissime repugnant inscriptiones nonnullae, in quibus dicitur municipium, veluti in ea, quam Vermigl. p. 418 (Grut. p. 375, 4; Mur. p. 672, 7; Spon. Miscell. p. 183; Orell. n. 97) habet, est ***patronus municipii***, veluti in altera apud Vermigl. l. l. p. 423 (Grut. p. 1102, 6; Orell. n. 3707; Maff. Mus. Vor. p. 360, 5) ***municipes et incolae***. Unde certissime colligitur, urbem usque ad Antoninum Pium (nam hoc imperante altera illarum inscriptionum posita est) non fuisse coloniam, sed municipium. Neque obstare debet, quod ***Augusta Perusia*** appellatur ab eo, qui restituit, veluti in nobili decreto decurionum apud Marin. Act. fratr. Arv. p. 6 (Orell. n. 4038) et apud Grut. p. 164. 7 (Orell. n. 93; Vermigl. p. 398), ubi quod titulus coloniae honorificus abest, id ipsum non fuisse coloniam demonstrat. Plurima enim oppida ab iis, qui vel condiderunt vel ornaverunt, appellari nec tamen colonias fieri cognovimus. At insignis est inscriptio Perusina, etiam nunc in magnifico aedificio superstes, haec COLONIA. VIBIA. PERVSIA. AVGVSTA apud Vermigl. l. l. p. 398 (Orell. n. 93; Grut. p. 164, 9), ex qua constat fuisse coloniam et quidem a Vibio aliquo deductam; nam Augusta et antea iam vocabatur et nomini Perusiae non sine causa postponitur. Sed quis ille est Vibius? Vermigliolius cum improbet Cluver. Ital. antiq. II p. 578 de C. Vibio Pansa cos. ann. 43 a Chr. explicantem, ipso quid dicat nescit; nam eorum, qui eam ab C. Vibio Treboniano Gallo, qui ann. 251 per breve

tempus imperavit, nomen accepisse putent, opinio ei displicet. Quae qua de causa displiceat, non intelligo. Nam cum coloniam non fuisse imperante Pio constet, colonias aetate imperatorum nisi ab his non appellari ipse concedat, denique imperatorum nullus alius reperiatur Vibius, relinquitur, ut ab Treboniano Gallo deducta sit vel modo appellata propter beneficium aliquod acceptum; nam vere deductos colonos non credo. Accedit autem etiam causa aliqua, quare ab hoc potissimum imperatore condita esse videatur. Inventa enim est Perusiae haec inscriptio (apud Vermigl. l. l. p. 507; Grut. p. 930, 9; Mur. p. 670, 4 et 1292, 8; Orell. n. 907): AFINIAE. M. F. GEMINAE. SEBIANAE. CL. F. VXORI. VIBI. GALLI. C. V. VIBIVS. THALLVS. PATRONI. VXORI, in quo ipse titulus *clarissima femina* et *clarissimus vir* significant hominem non dici municipalem, sed amplissimis honoribus insignem. Cur igitur non credamus huius inscriptionis veteribus interpretibus, ipsum dici Trebonianum Gallum, antequam imperavit? Nam in his regionibus eum imperasse documento est, quod apud Interamnam eum occisum esse narrat Aurel. Vict. c. 31.

Thessalonica Macedoniae, nota et illustris urbs. Ea in nummis Valeriani apud Eckhel. II p. 80 et caret mentione coloniae et appellatur colonia, ut ab eo deductam esse constet vel potius modo coloniae iure donatam. Nam hanc et Philippopolim Thraciae solas ex omnibus coloniis in Europa sitis Graecis nummorum inscriptionibus uti observat Eckhel. Ac causam honoris habiti significat Zosimus I, 29, cum anno 253 vehementissime a Scythis obsideretur, urbem cum egregia fortitudine hostes repulisse. Dubito an item colonia dicatur apud Grut. p. 539, 9, ubi nunc legi solet CL. THESSALONIC.; Claudii certe beneficium ei tributum nescimus.

Verona Italiae, olim iam a Traiano, ut diximus, deducta colonia, aucta est ann. 265 p. Chr. et novis muris firmata a Gallieno, cuius rei testis est nobilis inscriptio arcus Veronensis apud Orell. n. 1044, in qua dicitur *colonia Augusta Verona Nova Gallieniana*, in qua cognomen ipsum *Nova* videtur significare non tam adiectos novos incolas quam munitum ac restitutum oppidum. Atque hanc coloniam Maffeius multique post eum ultimam omnino deductam esse existimare solebant, recte illi quidem, si de Italicis dicerent, quarum omnino admodum exiguum saeculo altero exeunte et tertio numerum fuisse deprehendimus. Ad externas una videtur esse addenda

Nicomedia Bithyniae, quam non fuisse coloniam usque ad imperatorem Saloninum ostendunt nummi apud Eckhel. l. l. II p. 429. Ac Gallienis regnantibus Scythae in Bithyniam ingressi Nicomediam incensam graviter vexarunt (Treb. Poll. Gallien. c. 4). Sed eadem in inscriptione apud Mur. p. 1113, 6 (Spon. Misc. p. 193; Orell. n. 1060), posita circa ann. 335 p. Chr., appellatur *colonia Nicomediensium*. Auctor ipse incertus, sed probabile est

Diocletianum, cum ibi imperii sedem constituere decrevisset, ut veteribus imperii urbibus dignitate exaaquaret, tantum ei honorem tribuisse [1]).

Haec igitur ultima, cuius memoria ad nos pervenerit, est colonia, neque aliam postea deductam esse arbitror. Commutata enim universa vetere republica cum non commoda, quae num ulla unquam coloniarum propria fuerint, videtur esse magnopere dubitandum, sed ius ipsum coloniarum sublatum esset, nomen etiam sollemniter ac publice usurpari desiit. Invanitur illud quidem etiam postea, sed aut in nomen ipsum oppidorum abierat, cuius rei aliqua exempla a nobis allata sunt, aut ita dicebatur, ut quaevis urbs incolis aucta atque ornata colonia appellaretur. Velut cum Eumenius pro instaurandis scholis c. 5 init. *Augustodunum* Galliae vocat coloniam, non hoc videtur velle, vere denatum iure coloniae, sed ad illam rationem, qua olim coloniae condebantur, esse amplificatum. Neque quod c. 4 de incolis novis adiectis narrat, ad veteranos milites ibi collocatos refero, sed maxime ad barbaros captos agrorum colendorum causa in imperium Romanum translatos, quod ipsum principium colonatus, qui postea appellari solebat, tunc maxime coeptum esse demonstravimus in quaestione nostra de origine colonatus inserta Museo Rhenano ann. 1843 p. 20.

Libri quarti

Caput primum.

Postquam coloniae quae fuerint et a que quaeque deducta vel aucta sit, quantum fieri potuit, exposuimus, consentaneum erat, ut duae quaestiones adderentur, una de iure coloniarum, altera de earum republica, quas ad rationem coloniarum totam explicandam suscipiendas esse putamus; nam quae tertia de agrorum assignatione et limitum constitutione institui potest, qui locus omnis ad rem agrariam, quae proprie appellatur, pertinet, eam a proposito nostro alienam esse iam supra, ubi fines libelli nostri describebamus, dictum est. Verum etiam

1) De *Claudiopoli*, Isauriae oppido non ignobili, quae a compluribus colonia appellata est, iam supra dictum est p. 390, quae num colonia fuerit incertum esse iudico. Quamquam et Claudium Gothicum Isaurorum res aliqua ratione composuisse narrat Trebell. Pollio trig. tyr. c. 26 et Geogr. Ravenn. II, 17 p. 85 inter oppida Isauriae recenset *coloniam Isauriam*, qua nescio quid faciam, cum nec auctor satis probabilis esse videatur nec res tamen per se ipsa non credibilis. Nam fuit etiam alia Isauriae colonia *Olba* vel *Olbasa*, si recte lecti sunt illi nummi, quos habet Eckhel. Doctr. Numm. Vol. III p. 20, quae possit fortasse referri ad geographi Ravennatis coloniam. Verumtamen geographorum de ipsa illa urbe vel Olba vel Olbasa tanta est dissensio, ut nihil decernere audeam. Hoc video, extrema hac aetate aliquam in Isauria coloniam esse constitutam.

altera de republica coloniarum disputatio hinc amovenda erat, quippe quam superioribus commentationibus, imprimis ea, quam de quinquennalibus municipiorum suscepimus, ita occupaverimus, ut quae maxime nova in hoc genere invenisse videremur, separatim explicaremus. Relinquitur igitur, ut de iure coloniarum dicamus, quam disputationem antequam ingrediamur, iuvat uno quasi obtutu decursum coloniarum militarium, qui a nobis explicatus est, complecti.

Cuius quidem quattuor fere, si ita dici placet, periodos distinguendas esse video, quarum prima pertinebit usque ad Augustum, altera Augusti imperio continebitur, tertia imperatores usque ad Hadrianum, quarta reliquos complectetur. Earum periodorum prima plura habet, quae partium contentionibus agitata quam quae effecta sint. Nam postquam Semproniae leges, quibus solitudini Italiae subveniebatur, cum ipsis auctoribus ceciderunt, quod Gracchi temptarant, etsi idem complures tribuni plebis contenderunt, nemo perfecit; unus Caesar cum consulatum varius dissolvendae quam constituendae reipublicae causa suscepisset, incohavit veterem illam pauperum civium in agris collocandorum rationem. Qua ubi principatum, quem concupierat, adeptus est, rediit continuo ad eam, quae tunc necessitas erat, veteranorum deducendorum. Nam hi soli per eam aetatem agros vere acceperunt, primum Mariani, deinde Sullani, tum Pompeiani, tum Caesariani, denique IIIvirorum, quibus hoc amplius concessum est, ut eorum causa reliqui homines foedissime spoliarentur. Quamquam quod Gracchorum tempore utile fortasse fuerat, ut et Italia frequentaretur et inops multitudo Romana exhauriretur, id multiplici clade ingruente ita paulatim necessarium factum est, ut Caesar, postquam rempublicam suscepit, coloniis in provincias deducendis occurrere statueret, quod ne perficeret cum morte praeventus esset, Augustus, qui item militibus consulere deberet, executus est. Hic utrumque coloniarum genus cum ingenti totius imperii salute usurpavit. Nam et Italiam militibus per multas colonias constitutis frequentavit et omnes provincias partim militibus partim pauperibus civibus deductis firmavit, et illius consilii auctor erat, quo omnes deinceps imperatores usi sunt, ut sine cuiusquam iniuria veteranos passim in agris vel publicis vel publice emptis collocaret, iisque cum provincias, tum maxime Italiam, cuius semper maxima cura erat imperatoribus, incolis frequentem conservaret. Neque ea minima causa erat, cur imperium Romanum, quod iamiam videbatur esse periturum, et contineretur et floreret, neque eorum, qui postea imperarunt, quisquam Augustum vel multitudine vel frequentia coloniarum superavit. Nam qui insecuti sunt, imperatores, cum nec externus hostis ingrueret, et internam felicitatem Augusti cura constitutam esse viderent, satis fere habuerunt veteranis ea quam dixi ratione prospicere; alio coloniarum genere praeter Vespasianum, qui Italiam bello civili vastatam componere deberet, et Traianum, qui novam provinciam bello partam, quam desertam prope accepisset, hominibus frequentare cuperet, non usi esse reperiuntur. Militares autem coloniae, quae a Claudio, Vespasiano, Traiano condebantur, fere in extremis

imperii finibus collocabantur, contra Germanos, in Britannia, in Africa contra barbarorum impetus, tres in Asia incolarum pacandorum causa; ipsam Italiam unus Traianus adversus barbaros muniendam esse putavit. Retinebatur igitur per hanc aetatem militum illa deducendorum ratio, qua et pro necessitate reipublicae veteranis consuleretur et fines imperii defenderentur; pauperum hominum in agris collocandorum necessitas ea de causa iam minor erat, quia nulla usquam multitudo superfluebat. Hadrianus primus videtur vel invenisse vel saepius usurpasse honorem coloniarum appellandarum, quo civitates insigniores in mediis provinciis sitas afficiebat, sed multas idem in provinciis barbarorum incursioni expositis veras colonias condidit; nam inopia hominum tum etsi sentiebatur, nondum laborabatur. At post Hadrianum cum paulatim ipsi barbari intra fines imperii agrorum colendorum causa arcesserentur, quae orige coepit esse colonatus, qui dicitur, civitas autem ipsa Romana per totum imperium propagaretur, et verae coloniae nisi necessario ad limites muniendos non deducebantur et nomen coloniae, quo praeter ipsam appellationem nihil quaereretur, paulatim desitum est usurpari. Cuius ultimum vestigium reperimus Diocletiani aetate, qui Nicomediam, quo imperii sedem transtulerat, ut omni iure exornaret, coloniam etiam appellavit. Constantini quidem aetate omne ius ac nomen fuisse abolitum urbis Constantinopolis exemplum ostendit, quae cum a conditore omnibus rebus Romae exaequaretur ac iura italico augeretur, nusquam tamen colonia vocatur, quam appellationem et in ipsa Roma olim a Commodo et nuper in Nicomedia adhibitam si meris omnino tunc esset usurpari, Constantinus, et urbi et gloriae suae gratificans, non videtur fuisse praetermissurus. Cf. Gothofred. commentar. ad Theod. Cod. XIV, 13 (de iure Italic. urb. Const.) p. 249 ed. Ritter.

Harum igitur, quarum decursum atque exitum paucis significavimus, coloniarum duplex omnino est ratio. Erant enim aut deductis vere novis colonis effectae aut non mutatis veteribus incolis nomine modo ac iure coloniarum, quicquid illud fuit, auctae, de quo altero genere honorariarum, quas dicemus, coloniarum infra disputabitur. Quae vere et fuerunt et appellandae sunt coloniae, afficiuntur, cum *certus civium Romanorum numerus certis legibus in eam civitatem coniungitur, cui nomen coloniae tribuatur* [1]). Quare nisi nomen et

1) Veteres ipsi, quid colonia sit, explicaturi aut originem vocabuli interpretari satis habent aut parum probabilia proferunt. Velut Servius ad Virg. Aen. I, 12 haec habet: *Colonia est coetus eorum hominum, qui universi deducti sunt in locum certum aedificiis munitum, quem certo iure obtinerent. Alii: Colonia est, quae Graece ἀποικία vocatur; dicta autem a colendo; est autem pars civium aut sociorum missa, ubi rempublicam habeant ex consensu suae civitatis, aut publico eius populi, unde profecta est, consilio. Hae autem coloniae sunt, quae ex consensu publico, non secessione sunt conditae.* Quae quantopere nec ad omnes colonias Romanas neque ad eas, de quibus nos agimus, pertineant, apparet.

ius coloniae adiiceretur, nullum oppidum, quod aut additis ad veteres incolas colonis auctum aut deductis omnibus novis incolis conditum esset, neque erat propria colonis neque ita appellabatur, ut colonorum nomen latius patere intelligamus quam coloniarum. Nam in Italia lege Sempronia magnum colonorum numerum deductum esse constat imprimis ex libris coloniarum, qui inter scriptores gromaticos edi solent, at colonia facta nulla, propterea quod passim, ubi ager publicus superesset, homines deducebantur, ac ne cum plures quidem uno loco homines constituebantur, ideo condicio civitatis, in qua consederant, mutabatur. Tum Sulla, Caesar, IIIviri reipublicae constituendae, Augustus pro numero colonorum, quos in omnibus Italiae partibus collocarunt, paucas condiderunt colonias; quare in catalogo coloniarum ab illis imperatoribus deductarum, multas saepe civitates deprehendimus, quas constaret et non esse appellatas colonias et easdem colonis frequentatas. Ex iis autem, qui post Augustum imperarunt, vix fuit quisquam, quin in agro aut publico aut publica pecunia empto veteranos collocaret, qui veras colonias conderent, fuerunt non multi. Nec dissimilis est provinciarum ratio, quae cum compositis bellis civilibus maiore cura ab imperatoribus administrari coepissent, plurima oppida incolis aucta et amplificata, coloniae constitutae sunt paucae. Testimonio sunt tot per Hispanias, per Gallias, in reliquis provinciis civitates, quae Iuliae vel Claudiae vel Flaviae vel Aeliae (hae enim frequentissimae) cognominantur, quas si quis pro coloniis omnes habere velit, magnopere fallatur. Ipsi etiam homines in Helvetia, in Norico, in Pannonia plurimi per omnia oppida appellantur Iulii vel Flavii vel Claudii, quos intelligimus ab eo imperatore esse vocatos, qui eos in civitatem Romanam ascivisset; qui in quibus oppidis considebant, eae nequaquam nominabantur coloniae. Imperator Traianus cum Daciam a barbaris captam hominibus frequentaret, (unde in inscriptionibus Dacicis nihil Ulpiorum nomine est frequentius), tres modo voluit esse colonias, reliqua aut municipia aut eadem uti condicione, qua antea usi erant. Insigne vero exemplum supra p. 390 allatum est ex Plin. nat. hist. III, 27, 146, qui in Norico recenset haec oppida: ***Virunum*, *Celeia*, *Teurnia*, *Aguntum*, *Vianiomina Claudia*, *Flavium Solvense***, quo loco hoc Plinium valle exposuimus, a Claudio condita esse Virunum, Celeiam, Teurniam, Aguntum, Vianiominam et appellari ex eius nomine Claudia, a Vespasiano Solvam. Nam colonia in his oppidis fuit nulla. Neque intererat, utrum veterani an alius generis homines deducerentur; nam Sicum Plin. nat. hist. III, 26, 141 narrat veteranos esse deductos, neque ea fuit colonia; at in Graecia quaedam ab Augusto coloniae verae conditae sunt, nullis, ut videtur, militibus adiectis. Sic, cum et eas civitates, quae aut nullos prorsus colonos aut nullos certe veteranos accepissent, esse colonias, et eas, ubi consedissent cum alii coloni, tum veterani, non esse videamus, si universam rei vim ac naturam persequare, colonorum deductionem a coloniis separandam esse

56

intelligas [1]); sin a honorariis, quas dicimus, coloniis discedatur, esse quidem omnes colonias veteranis deductis constitutas, sed ita, ut ius ac nomen coloniarum adiceretur. Ac ne illud quidem, quod Servius eo, quem paulo supra attulimus, loco habet, munitas esse significans colonias, harum coloniarum est proprium. Sunt illae quidem munitae, sed item aliae civitates plurimae, quas vel municipia vel provincialia modo oppida fuisse constat, imprimis prope limites imperii, ubi vix ullum maius erat oppidum, quod non ad hostium impetus repellendos muris ac turribus defenderetur. Neque existimabimus eas civitates, quae cum antea fuissent municipia, deinde honoris causa ab imperatoribus coloniae factae sunt, ex quo genere complures nominatae sunt, antequam fuerunt coloniae, non fuisse munitas. Quare nec illi satis recte statuerunt, de quibus supra p. 200 dictum est, qui in tabula Peutingeriana quodcunque oppidum binis turribus insigniretur, eam coloniam fuisse putarunt neque nos in coloniae vi ac natura definienda non potuimus facere, quin munimentorum rationem omitteremus.

Quaeratur, cum ea sit coloniae definitio, quam diximus, quid intersit inter has, de quibus nos disputamus, colonias militares et inter illas, quae veteribus liberae reipublicae temporibus deduci solebant. Equidem cum quattuor maxime res afferri videam, quibus militares illae ab his civilibus diversae fuerint, quarum una sita est in iis, qui deducerentur, altera in ratione deducendi, tertia in auspiciis, quarta in iis, qui deducerent [2]), unam tamen modo rationem esse intelligo, quae vere discrepet. Nam primum cum ab imperatoribus modo milites modo togatos homines a bello omni alienissimos deductos esse et supra diximus et infra demonstraturi simus, quid, quaeso, aliter erat vetusto tempore, cum imperii tuendi causa homines armorum peritos, prolis augendae causa pauperes de plebe homines in coloniis collocatos esse constat. Quodsi hominum, qui deducebantur, genera erant eadem sub imperatoribus atque olim, ne modus quidem deducendi potuit esse alius. Nam et veteres colonos olim, tamquam exercitum cum vexillo exisse scimus militarique more consedisse et hos militares eo est probabilius, quod imprimis per bella civilia, cum ab oppidorum incolis vi depulsis metuerent, universae legiones cum signis et aquila in colonias deductae esse narrantur.

1) Itaque, etsi in Italia omnia persecuti sumus, quae ex libellis duobus coloniarum, qui inter scriptores rei agrariae extant, colligi possunt, ex quibus magnam partem ad hanc coloniarum rationem proprie non pertinere non dissimulamus, noluimus tamen in provinciis idem committere. Quare non retulimus, quae Lamprid. Alex. Sever. c. 58, Vopisc. Prob. c. 16 narrant, nec quae sunt l. 11 Dig. de evict. (XXI, 2), l. 15, 2 Dig. de rei vind. (VI, 1); l. 3 Theod. Cod. de veteran. (VII, 20) similiaque, quae quidam minus recte ad hanc de coloniis quaestionem pertinere existimarunt. Ea ad aliam disputationem referenda, a nobis fortasse alias instituendam.

2) Attigit hunc locum, prudenter, ut solet, disputans Trekell. Antiq. sel. p. 207 sq., exequitur capitibus certe ipsis significatis Reinius in Aug. Paulii Encyclop. class. antiq. s. v. colonia.

Vide Appian. bell. civ. II, 120 et III, 81; Hygin. de limit. constit. p. 176 ed. Lachm. Neque postea aut cum in provinciis coloniae conderentur aut cum ex variis legionibus veterani passim per veteres colonias ac municipia collocarentur, eum morem omissum esse existimo [1]), id quod vel ex signis legionum, quae non raro in nummis coloniarum inveniuntur, intelligitur, aliquando adeo traditur ab iis, qui coloniarum deductionem commemorant, veluti vide supra in Augusti coloniis Africanis p. 381 et in Claudii coloniis p. 389. Tum quod aiunt militarem coloniam potuisse eo loco constitui, quo fuisset iam antea colonia, civilem coloniam propter auspicia potuisse negant, nescio, quo pertineat. Quod enim ex Cic. Philipp. II, 40 colligunt, vereor, ut efficiatur. Ibi negat Cicero in eam coloniam, quae esset auspicato deducta, dum esset incolumis, coloniam novam iure deduci; colonos novos ascribi posse dicit. Vituperat igitur M. Antonium, qui Casilinum, ubi dictator Caesar paulo ante coloniam collocarat, novam coloniam deduxerit. At Casilinum militaris, opinor, erat colonia, in quo si non prohibebant auspicia novae coloniae deductionem, quid vituperabat Cicero? Ac si interesset vera aliquid inter militarium et civilium coloniarum auspicia, afferre debebat hoc discrimen Cicero, ne Antonius eo, quod suam esse diceret militarem coloniam, causam suam defenderet. Prorsus igitur nihil ex Ciceroniano illo loco de discrimine ullo videtur posse intelligi, sed modo de omnium coloniarum et militarium et civilium iure, a quo nunquam descitum esse censeo. Nam quod ex libellis coloniarum, qui inter scriptores gromaticos extant, apparere putant nonnunquam in eandem civitatem complures colonias esse deductas, nec usquam certum est, num incolumes fuerint veteres coloniae, in quas novae deducerentur (hanc enim incolumitatis legem praescribit Cicero), et is est scriptor, quicunque indicem illum confecit, cuius verba si ad tam accuratae interpretationis normam exigere velis, multiplici impediare difficultate. Ipsum etiam illud, quod ab imperatoribus omnibus passim per veteres colonias et municipia milites veteranos collocatos esse diximus, convenit cum liberi populi Romani more. Nam Sempronia lege, deinde Livia nonne plurimi homines, ubicunque vacaret ager, civitatibus ascripti sunt, cui rei prorsus simile illud praemiorum militarium genus, quo imperatores utebantur? Nullum

1) Quamquam omissum esse colligunt quidem ex Tac. Annal. XIV, 27, qui ut doceat, cur imperator Nero veteranis Tarentum et Antium ascribendis infrequentiae locorum non subvenerit, haec addit: *Non enim, ut olim, universae legiones deducebantur cum tribunis et centurionibus et sui cuiusque ordinis militibus, ut consensu et caritate rempublicam efficerent, sed ignoti inter se, diversis manipulis, sine rectore, sine affectibus mutuis, quasi ex alio genere mortalium repente in unum collecti, numerus magis quam colonia.* Sed haec eo potius pertinent, quod non amplius tota oppida veteranis occupabantur, verum in locis passim vacuis milites collocabantur, cum non amplius fieri poterat, ut universae vel cohortes vel legiones deducerentur, sed ex diversis legionibus tamquam civili quadam ratione considerent.

igitur ne hac quidem in re fuit coloniarum civilium et militarium discrimen. Quod quidem in ea una re positum fuisse censeo, quod ii, qui deduxerunt, diversi erant. Nam, quamdiu libera fuit respublica, inde a vetustissimis temporibus nullam coloniam potuisse deduci sine lege, iniussu populi ipsosque eos, qui deduxerunt, a populo debuisse fieri certissimis argumentis optime demonstravit Trekell. antiq. select. p. 208 seq. At hae militares deductae sunt iniussu populi ab imperatoribus pro potestate imperii. Id in ipso adeo earum coloniarum principio intelligitur. Nam L. Sulla, qui primus militum colonias deduxit, lege Valeria hanc potestatem permissam habebat, ut, ubicunque et quotcunque hominum vellet, colonias conderet, qua si ita usus est, ut singula tamen, quae ageret, a populo confirmanda curaret, non necessitatem sed maiorem securitatem sequebatur. Illud unum in Sulla diversum ab reliquis imperatoribus, quod per quinque curatores videtur agrum divisisse, quos utrum ipse constituerit (licuisse enim per legem Valeriam constat), an per populum creari iusserit, incertum est. Vide supra p. 246 et 249. Qui proxime colonias militares deduxit, dictator Caesar, quas in consulatu inchoavit divisiones, eae non videntur constitisse; quas in dictatura suscepit, eas per legatos imperatorio iure eum curasse demonstravimus supra p. 301. Idque ubi semel coeptum est, adeo tenebatur, ut restituta libertate ac vetere republica ipse senatus, cum veteranis militibus agros dividere vellet, consules ei negotio praeesse iuberet (p. 325) idemque senatus cum duas colonias in Gallia, Lugdunum et Rauricam, condi iussisset, L. Munatium Plancum solum curatorem constitueret (p. 371). A IIIviris vero reipublicae constat colonias per legatos esse conditas, neque ibi ulla populi senatusque mentio. Neque Augustus quique ei successerunt imperatores, quorum omnis potentia maxime in imperio sita erat, eam rem, qua praemia militibus efficiebantur, senatui aut populo permittere poterant [1]). Quam cum universam ipsi suscepissent, consentaneum erat, ut etiam sumptus ad eam rem necessarios ipsi tolerarent. Itaque Augustus in Mon. Ancyr. III, 36 aerarium militare a se ait esse constitutum, *ex quo praemia darentur militibus, qui viginti stipendia emeruissent.* Cf. Dio Cass. LV, 24. Agrosque imperator aut suos dividebat aut quos sua pecunia comparasset. Ac cum colonias fere ad tutandas provincias constitutas esse viderimus, apparet plerumque ita accidisse, ut imperator, qui bellicosiores provincias ipse administraret, ex suo agrum facile largiri posset [2]). Hoc igitur unum est, quo coloniae veteres ab his coloniis militaribus, de quibus

1) Itaque Augustus in monumento Ancyrano tab. V, 35 *colonias*, inquit, *deduxi* similiter atque in ceteris rebus pro imperio gestis. Nam ubi senatus aliquam auctoritatem aut populi iussum intercedere oportebat, addere id solet.

2) Quare imperatores nonnunquam sui compendii causa narrantur veteranos sub vexillis retinuisse neque iis agros divisisse. Vide Suet. Tiber. c. 48; Tac. Annal. I, 17. Cf. supra p. 382.

disputatio nostra instituta est, differant, idque significavit ipse Vellei. I, 14 ***Huic loco inserere*** (statui), ***quae quoque tempore post Romam a Gallis captam deducta sit colonia iussu senatus. Nam militarium et causae et auctores ex ipsarum praefulgent nomine***, quo loco haud dubie eas, quae iussu senatus (et populi, hoc enim proprie addendum erat) deductae erant, et militares inter se opponit.

Caput alterum.

Postquam diximus, quae fuerint coloniae militares, qua in quaestione de iis, qui deduxerunt, disputatum est, sequitur deinceps, ut de iis, qui deduci solebant, quaeramus. Quorum cum duo intellexerimus fuisse genera, unum militum, alterum hominum togatorum, illud et numero et quasi ordine longe fuit praecipuum, cuius causa tota res et inventa principio sit et deinceps plerumque usurpata. Nec vero omnes milites in agris collocabantur, sed praemium id erat militiae iique modo, qui stipendia emeruissent, dimissi in coloniis sedes accipiebant, qui *emeriti* sive *veterani* appellantur [1]). Stipendia autem iusta viginti annorum erant in legionibus, in praetoriis cohortibus sedecim anni sufficiebant. Nam ita cum imperator Augustus anno 5 p. Chr. ex senatusconsulto constituisset (vid. mon. Ancyr. tab. III, 37 nostraque ad eum locum nota), etsi Tiberii principio aliquando seditiosi milites expresserant, ut sedecim annorum stipendiis emensis dimitterentur (Tac. Annal. I, 17 et 78), Augusti tamen praeceptum usque ad extrema imperii tempora valuisse docet Diocletiani et Maximiani lex in Cod. VII, 64 (quando provoc.) 9 *veteranis, qui in legione vel vexillatione militantes post vicesima stipendia honestam vel causariam missionem consecuti sunt.* Hos igitur veteranos, si a Sulla discedas, quem cum Italiam praesidiis suis occupare vellet, nullum militum et veteranorum discrimen observasse iudico, ubique in coloniis condendis commemorari videmus. Nam et Appuleia lege Marii veteranis, Flavia Pompeii, Iuliis dictatoris Caesaris veteranis consulebatur; qui stipendia nondum explessent, vel dimittebantur vel in militia retinebantur. Ideo etiam cum restituta paulisper libertate post Caesaris necem optimates militum gratiam inire vellent, veteranorum modo militum in agris assignandis rationem habendam esse statuerunt (p. 325). Tum IIIviri reipublicae constituendae, quamvis magna ac multa militibus largirentur, tamen iis tantum, qui stipendia emeruissent, consulebant, ceteros secum remanere iusserunt, in eorumque coloniis, ut Beneventi, Cremonae, Puteolis a scriptoribus veterani narrantur esse

1) Notabile est, quod Hygin. Grom. de limit. constit. p. 176 ed. Lachm. ait: ***ferunt quidam postea indictum modum belli et expleta centesima hostium congressione ad colendorum deductos terrarum agros.*** Sed falsum tamen esse apparet nec credidit ipse.

collocati. Nec sane Augustus aut in Italicis aut in externis coloniis aliud institutum secutus est. Qui cum omnino severiore disciplina milites contineret, unde ipsum etiam stipendiorum numerum auxit [1]), magis quam reliqui videtur exigere debuisse, ut expletis demum stipendiis praemia militiae tribuerentur. Quare Augusta Emerita, colonia Hispanica, et Aventicum ipso cognomine ab emeritis militibus se constituta esse testantur. Magnum autem moris etiam illud documentum, quod legiones Germanicae, cum Tiberii principio ingentem seditionem movissent, nihil tamen ultra progressi sunt, quam ut emeritis agros et praemia dari postularent (Tac. Annal. I, 26 et 28). Mansitque hoc sub reliquis imperatoribus, velut a Claudio Cumis et in colonia Agrippinensi et Siel et in Africa Oppidi novi et in Britannia Camaloduni, a Nerone Capuae et Tarenti et Nuceriae et Antii, a Vespasiano Aventici et Deulti et in Palaestina veterani collocati esse dicuntur. Quare et ubi milites modo vel coloni appellantur, emeritos tantum stipendia diei putabimus et, si quo loco legio aliqua aut cohors collocata esse tradetur, non universam eam militia solutam existimabimus agros accepisse, sed eam modo partem, quae expletis stipendiis praemiis digna esse videretur [2]). Quamquam non negarim equidem,

1) Ipse enim quae statuerat initio praetorianis duodena, legionariis sena dena stipendia, ea auxit postea. Vide Dio Cass. LIV, 25. Sed illa etiam videntur aucta esse ex eo numero, qui liberae reipublicae tempore ac per bella civilia fuerat, quare cavendum est, ne, quae sub imperatoribus fuerunt, temere ad priora tempora transferamus.

2) Ex singulorum hominum titulis, qui non pauci reperiuntur in inscriptionibus Latinis, iudicare tamen est difficile, propterea quod nisi, id quod raro fit, a quo quisque deductus sit, addatur, nescias, utrum miles, quem expletis stipendiis in municipio aliquo consedisse invenias, publice ibi an privatim consederit, et, si constat publice esse collocatum, utrum peculiari aliqua gratia imperatoris, quam saepe et in multis accidisse non mirum est, an communi multorum beneficio, utrum solus an cum aliis. Velut in titulo Bovianensi, qui Vespasiano positus est, quem supra p. 256 citavimus, quis potest praestare, hominem, quem primum in legione XI meruisse, deinde Boviani honores gessisse videmus, non fuisse aut Boviano oriundum, ut expleta militia in patriam ad vitam municipalem redierit, aut aliqua alia de causa privata ibi potissimum consedisse. Quae qui cogitet, deductum eum esse a Vespasiano praemii causa in coloniam minime inveniat veri esse simile. Sed nonnunquam tamen milites veterani deducti esse narrantur. Velut *Sex. Nonius Severus veteranus deductus Antium* est apud Marin. Inscr. Alb. n. 117 p. 114 (cf. supra p. 392); *C. Iulius Longinus, domo Philippis Macedonia, veteranus leg. VIII Aug. deductus ab divo Augusto Vespasiano Reate* apud Orell. 3685, quem hominem intelligimus oriundum ex colonia Philippensi, ubi maiores eius ab Augusto civitate et agro donati erant, postea vero a Vespasiano Reate esse collocatum; *C. Cominius veteranus miles coh.* V. *Praetoriae, deductus Reate ab divo Vespasiano* apud Grut. p. 538, 2 (Mur. p. 807, 4); *C. Carantius Verecundus Vienna veteranus coh. VII. Praetoriae deductus a divo Vespasiano Reate* apud Grut. p. 535, 8. Cf. Grut. p 1031, 6 (Donium p. 259, 130), similiterque intelligendus Grut. p. 354, 3. Item in diplomate militari Vespasiani apud Grut. p. 573, 1 civitas datur *veteranis, qui militaverunt in classe*

aliquando ob singularem aliquam causam etiam milites vel singulos vel cemplures, qui nondum explossent militism, agros accepisse; sed lex erat et consuetudo illa, quae dicta est. Cum aotem viginti stipendiorum iustus esset numerus, si ab duodevigesimo aetatis anno, quae fere militaris aetas est, stipendia coepta esse statuas, efficitur, ut ii, qui in celeniis collocarentor, a quadragesime aetatis paulum abfuerint. Qua aetate apparet quam difficile factu fuerit, nt hemines armis assueti et in extremis finibus imperii versati depesitis veteribus moribus assiduo labore agrum colerent, matrimenia contraberent, liberos procrearent quietemque rusticam cum periculis belli commutarent, nec mirabimur totiens queri scriptores, quod coloniae summa cura ab imperateribus cellocatae et auctae cito tamen aut dilabantur aut emorisntur [1]. Erat igitur vere, quod Augustus in indice rerum a se gestarum (Mon. Ancyr. V, 37) gloriaretur, quas in Italia deduxisset colonias, eas vivo se fuisse celeberrimas et frequentissimas. Nam reliquas in provinciis deductas fuisse non audet dicere.

Cum igitur veteranos in coloniis collocatos esse constet, qoaeritur deinceps, num omnia genera eorum, qui stipendia emeruissent, baec praemia acceperint, i. e. num nen medo gregarii milites quique inferiora militiae monera ebierant, verum etiam centuriones et tribuni militum. De qua re cum accurate dici nequeat, nisi omnium gradunm militarium ratione penitos explerata, qui locus est inter difficillimos et obscurissimos universae antiquitatis Romanae, pauca tamen, quae in historis ipsa coloniarum commemorantor, afferenda esse putamus. Ac primum qnidem inter bella civilia Sullae et Caesaris et IIIvirorum dubium non esse debet, quin omnium ordinum militibus praemia agrorum assignationibus persoluta sint. Legates quidem qnique preximi sub imperatoribus erant, facile crede extra ordinem esse donates; sed donatos esse intellige nen minus quam reliques, quos praesertim sciamus non sine praemiorum spe ad eas, quas secuti sunt, partes se applicavisse. Ut unom ex compluribus exemplis afferam, M. Antonium a dictatore Caesare notum est benis Cn. Pompeii pnblicatis esse donatum. Qued si accidit in tanto viro, quid putamus in reliquis, quorum fortuna esset minor [2])? Itaqoe bnc maxime respiciens Tac. Annal. XIV, 27, cur Tarentinae et Antiati reipublicae ascriptis veteranis parum subveniri potuerit, explicans sic ait: ***non enim, ut olim, universae legiones deducebantur cum tribunis et centurionibus et sui cuiusque ordinis militibus, ut consensu et ca-***

Ravennate, qui sena et vicena stipendia aut plura meruerunt (tot enim annos babet militia navalis) ***et sunt deducti in Pannoniam.***

1) Vide imprimis, qeae Tac. Annal. XIV. 27 de colonis ab Nerone Tarentom daductis narrat eodemque pertinet, qeod Plin. nat. hist. III, 5, 70 Cssilini ***morientis*** reliquias commemorat.

2) Cf. etiam quae supra p. 321 do tribonis militem lege Antonia agro donatis disputata sunt, quibus M. Antonius, quod dictator Caesar merte praeventus erat, videtur consuluisse.

ritate rempublicam efficerent; eodemque pertinent, quae Hyginus Gromaticus de limitibus constituendis p. 176 ed. Lachm. habet: *Multis legionibus contigit bella feliciter transigere et ad laboriosam agri culturae requiem primo tirocinii gradu pervenire; nam cum signis et aquila et primis ordinibus ac tribunis deducebantur.* Illis igitur temporibus etsi dubitari nequit, quin omnium graduum homines, qui pro imperatore arma cepissent, pariter praemia tulerint, aliam tamen esse oportebat rationem, eum ad certam formulam militia astringeretur. Ac centuriones quidem omnium ordinum deduci consuevisse satis debet constare; eos enim, cum ex plebe essent et victum ex militia quaerendo labore et industria ascendissent, nisi in stipendiis consenescere vellent, agrorum praemiis affici par erat. Itaque Tac. Annal. XIV, 27 de Nerone sic ait: *Antium coloniam deduxit ascriptis veteranis e praetorio additisque per domicilii translationem ditissimis primipilarium.* Cuius coloniae causa etsi singularis erat (nam Nero eam, ut patriam suam, imprimis opibus et hominum frequentia florere cupiebat), intelligimus tamen in eo tantum a consuetudine esse discessum, quod ditissimi ex centurionibus eligebantur, qui cum alibi fundos ac praedia haberent, Antii tamen habitare iubebantur, non quod primipilares omnino non deducerentur: nec quod non saepius centuriones inter eos, qui deducti sint, commemorantur, debet mirum esse; adeo enim res erat usitata, ut mentione non digna videretur. At tribunos militum plerumque deduci non consuevisse ipse ille Taciti locus, quem modo attulimus, docet, qui si solerent, Nero certe primipilaribus dignitate et fortuna minoribus non fuisset contentus. Nimirum tribunorum tria omnino genera discerne, imperatorum quidem temporibus, in quibus haec de coloniis disputatio imprimis versari debet, secundum tria genera ipsius populi Romani. Primum dicam plebeiorum; i. e. eorum, qui cum gregarii milites fuissent, propter eximiam fortitudinem tribunatum tamquam summum dignitatis gradum, quem assequi possent, haberent, quod genus cum veteribus temporibus vel rarissimum vel nullum fuisset, postquam sub imperatoribus certus quidam militum ordo natus est, paulo fortasse frequentius esse coepit [1]. Alterum genus est quasi equestre, hominum honesto loco natorum, qui postquam facile tribunatum adepti sunt, aut ad municipales honores privatamque

---

1) Nobilissimum est exemplum Cassii Chaereae, qui C. Caligulam occidit, quem initio principatus Tiberii centurionem fuisse narrat Tacit. Annal. I, 32. Verum compluria similia exempla exhibent inscriptiones, velut apud Olaum Kellermannum de vigilibus Romanis n. 31 est L. Statius, qui cum primus pilus fuisset, deinde tribunus et procurator factus est; ibidem n. 32 simili ex genere L. Gavius, n. 36 Cn. Pompeius, n. 34 Cn. Marcius Plaetorius, qui in pluribus legionibus centurio fuerat, multique passim eadem munera emensi reperiuntur. In quibus, praesertim ubi primipilaris dignitas infimo loco ponitur, etsi dubium videri potest, an ex altero potius tribunorum genere, quod statuimus, fuerint (nam equestris dignitatis homines a centurionatu militiam auspicatos esse ostendit Dio Cass. LII, 25), posse tamen etiam contra iudicari ostendit M. Vettii exemplum apud eund. Kellermannum n. 40, qui

vitam se conferunt aut, si in militia perseverare velint, ad ea, quae eorum quodammodo propria erant, equestria munera, i. e. praefecturas et procurationes, provehuntur [1]). Tertium denique genus est eorum, qui ordine senatorio oriundi a tribunatu rempublicam auspicantur eoque functi ad senatorios honores procedunt, qui dicuntur *laticlavii* [2]). Ex tribus his generibus tertium hoc loco prorsus excludendum esse apparet, neque alterum facile ad agrorum assignationes admittebatur. Relinquitur igitur primum eorum, qui humili loco nati cum industria ascendissent, post emerita stipendia praemiis afficiendi erant. Talesque intelligendi sunt, cum in indice coloniarum p. 233 ed. Lachm. est: *Castrimonium — postea Nero Caesar tribunis et militibus assignavit* et p. 236: *Puteolis — ager eius in iugeribus veteranis et tribunis legionariis est assignatus*, quos, quia nominentur, contra consuetudinem videmus esse deductos. Vide supra p. 321.

Quantum agri singuli milites acceperint quantaeque sortes esse consueverint, nec traditur usquam nec idem esse poterat aut omnibus locis aut omnibus temporibus; magnopere enim intererat, utrum in Italia an in provinciis et in qua provincia ager daretur, tum qualis esset ipse, denique quae necessitas coloniae deducendae. Lege Appuleia in Africa centena iugera destinata esse diximus supra p. 224, sed dubito num postea, cum vere deducerentur coloniae, tantum agri assignatum sit. Augustum imperatorem constat ingentem pecuniam milites in agris collocando consumpsisse, sed tamen ea sufficere non poterat ei, quem deduxisse narratur, militum numero (p. 345). Sed unum tamen videmur intelligere observari esse solitum in praemiis veteranorum, ut tantum quisque acciperet, quantum ad victum modice quaerendum sufficeret. Augustum quidem p. 346 ex Dionis LV, 23 auctoritate demonstravimus, cum finitis bellis civilibus omnem militiam certis legibus astringeret, haec praemia constituisse militibus, ut in cohortibus praetoriis post sedecim stipendia singuli πεντακισχιλίας δραχμάς, i. e. vicena milia

---

miles cohortis praetoriae, deinde centurio complurium legionum, tum tribunus militum, denique procurator Augusti fuisse narratur.

1) Ex his tribunis, memorabili prorsus loco apud Dion. LII, 25 Maecenas Augusto suadet, ut praestantissimos in senatum recipiat; sed non posse in senatum venire, qui gregarii milites fuissent. Turpe enim esse in amplissimo ordine versari, qui aliquando storeas et corbes gestaverint. Hoc praeceptum quin imperatores omnes secuti sint, dubitari nequit.

2) Tria autem tribunorum genera statuentes ne quis nos existimet pugnare cum Veget. de re milit. II, 7: *Tribunus maior per epistolam sacram imperatoris iudicio destinatur: minor provenit ex labore*, at Vegetii tempore rursus res militaris mutata erat et duo priora, quae nos statuimus, genera ille unum appellat minorum. Fuisse autem haec tribunorum *laticlaviorum* et *angusticlaviorum*, qui intelliguntur magis quam appellantur, genera iam Augusti aetate docet Sueton. Aug. c. 38. Cf. Othon. c. 10; Domit. c. 10.

nummum, in legionibus reliquis post viginti stipendia τρισχιλίας δραχμάς i. e. duodena milia acciperent, id quod ita intelligendum, post emerita stipendia aut, si nullus suppeteret ager, pecuniam tantam ipsam iis esse persolutam aut, si suppeteret, pro pecunia agrum eiusdem pretii divisum [1]. Ac plerumque quidem, cum et in Italia et per omnes provincias ingentes essent imperatorum possessiones, agrum potius quam pecuniam datum esse puto, sed ut necessitatis alicuius subitae et singulorum militum condicionis ratio haberetur. Quem autem modum praemiorum statuerat Augustus, servarunt fere reliqui imperatores; nam Caligulae tamquam insignem malignitatem commemorat Suet. c. 44, quod commoda emeritae militiae ad sex milium summam reciderit; nec si qui singuli aliquando aut plus aut minus tribuerunt, ut cf. Dion. LXXVII, 24, id exemplum reliqui videntur esse secuti. Iam non negabo equidem, et per bella civilia, cum studia militum vel cum iniuria reliquorum civium quaererentur, emeritis maioris pretii agros esse concessos et postea, cum coloniae conderentur, difficile fuisse diligenter modum lege finitum retinere; sed ipsa tamen quae fuerit lex, elucet. Qua quidem apparet satis esse consultum veteranis. Nam cum praetoriani milites fere in Italia, unde oriundi erant, legionarii in provinciis collocarentur, quis non putabit viginti millibus HS in Italia, duodecim in provincia tantum praedium potuisse comparari, quantum familiam commode aleret? Alterum autem in hac ratione dignum observatione hoc est, quod fertilis ager assignabatur et cultura subactus, et domo, in qua habitaretur, instructus. Non loquor de militibus Sullae aut IIIvirorum, qui electis veteribus possessoribus in opulentissima Italiae oppida invaserunt dominorumque et domibus et instrumento rustico potiebantur: sed ne imperatores quidem, qui in pace veteranos in agris collocabant, id agebant, ut ager sterilis antea incoleretur, sed ut, quae loca inopia hominum laborarent ac vacua relinquerentur, denuo frequentarentur. Ipsa illa militum querela apud Tac. Annal. I, 17: *Si quis tot casus vita superaverit, trahi adhuc diversas in terras, ubi per nomen agrorum uligines paludum vel inculta montium accipiant*, etsi iniusta haud dubie est et hominum bellorum civilium rapinas ac licentiam desiderantium, quia inculta et uliginosa loca appellata esse indicat nomine agrorum, quid in lege ac consuetudine fuerit, significat. Eaque consuetudo, quantum quidem ad colonias, de quibus

1) Nam errare, si qui putent utrumque factum, ut et pecunia et ager daretur, facile res ipsa docet, quia Dio, si qua alia praeter pecuniam essent solita praemia, omittere ea non potuit. Aliaque longe ratio illorum militum Augusti, qui post bella civilia in agris collocati sunt, quibus Augustus in mon. Ancyr. tab. III, 17 triumphale congiarium divisum esse scribit. Atque ipsi milites apud Tac. Annal. I, 17, onera et praemia militiae enumerantes, agros modo commemorant, quorum nomine pecunia illa dividi solita continetur. Quare non dubitare arbitror debuisse Lipsium in excursu G. ad Tac. Annal. I, praesertim cum Dionis LIV, 25 testimonium satis apertum sit.

proprie disputatio nostra suscepta est, attinet, eo facilius a Romanis tenebatur, quia non Graecorum ratione novas civitates condebant, quas colonias esse vellent, sed veteres novis incolis frequentabant. Perpaucae enim coloniae aedificatae vere a colonis, veluti Lugdunum, Augusta Praetoria, Augusta Taurinorum Italiae, Augusta Emerita Hispaniae, Carthago Africae, Corinthus Graeciae, in quibus ipsis nescimus, an iam antea vel oppidula vel vici fuerint, aut peculiaris aliqua cura adhibita sit, ut veteranis deductis non agri modo, quos fructuosos alioquin esse constabat, verum etiam domus traderentur. Quare in iis, quae ab hoste imprimis barbaro captae erant, provinciis raro fiebat, ut statim coloniae conderentur: plerumque indigenae ipsi in civitates conciliabantur, quae ubi florere coepissent, paulatim veteranorum deductione et coloniae iure augebantur. Sic in Galliis colonia Agrippinensis multo antequam coloniae dignitatem veteranosque accolas accepit, frequentari et in urbis speciem excrescere coeperat, sic in Helvetiis colonia Equestris et Aventicum habitabantur, antequam coloniae evaserunt, sic iadera et Salona et Acinona et Siscia et Sirmium et Sabaria imperii Romani munimenta esse coeperant, priusquam colonorum adiectione firmata sunt; similiterque iudicari debet de plurimis Africae et Asiae coloniis [1]: in una Dacia imperator Traianus, quo celerius provinciam barbaris gentibus circumdatam Romanorum moribus imbueret, quas urbes coloni ex omnibus imperii partibus excitati condiderant, statim iussit esse colonias. Quod cum valeat in coloniis recens deductis, in quibus et cultos agros et domos cum agris coniunctas assignata esse arbitramur, magis etiam statuendum est in municipiis, quorum vacui agri aut domus militibus tribuuntur. Atque hac maxime re universa haec coloniarum ratio, quae a nobis explicatur, discrepat ab eo, qui postea institutus est, colonatu, qui cum proprie agri colendi causa susciperetur, nunquam ad urbes ac civitates pertinebat: hi veterani coniuncti sunt cum veteribus Gracchorum conatibus, qui plebe ingenua agros et urbes frequentare voluerant, illi coloni, ne genus humanum agrique cultura interiret, summa inopiae urgente necessitate, instituti. Denique notabile, quod alioquin per se ipsum satis est credibile, non aequaliter veteranis esse divisum agrum, sed pro gradu, quem quisque obtinuisset: sic enim tradit Siculus Flaccus de condic. agror. p. 155 ed. Lachm. *Non omnibus aequaliter datus, sed et secundum gradum militiae et modus est datus*, et Hygin. grom. de limit. const. p. 176: *modus agri pro portione officii dabatur.* Sed quae ratio intercesserit, num omnes gradus usque ad centurionatum aequalia praemia acceperint et quotuplex modus ipsis centurionibus datus sit, admodum difficile est dicere longamque atque ab hoc loco alienam requirit disputationem. Hoc tamen commemoro veterem illam rationem, quae olim et in stipendio obtinuerat, ut centurio duplum,

---

1) Insigne etiam documentum est de Camaloduno in Britannia condito apud Tac. Annal. XIV, 31: *Recens deducti pellebant domibus, exturbabant agris* sq.

eques triplum acciperet (Polyb. VI, 39), et cum ad extraordinaria praemia (vide Langium hist. mutat. rei militaris Romanorum, Goetting. 1846, p. 38) tum ad agrum assignandum videtur esse translata, ita videri esse mutatam, ut plus quam duplum acciperet centurio [1]).

Milites autem quicunque deducebantur, cives Romani erant. Ac Marii quidem et Sullae milites quin fuerint, nemo, quantum cognovi, dubitat, sed ne Caesaris quidem in legionibus existimare debemus, fuisse, qui non essent cives, aut unquam ab eo ad legiones supplendas conscriptos, qui civitate carerent; poterat enim etiam receptis in legiones civitas dari [2]). Nec vero in Augusti legionibus fuisse censeo milites civitate carentes. Qui enim post cladem Varianam exercitus supplendos esse censeret, non provinciales homines, quorum magna copia suppetebat, in legiones conscripsit, sed, quia aliorum civium inopia videbatur, vernaculam multitudinem ac libertinos adeo modo manumisses (Tac. Annal. I, 31; Suet. Aug. c. 25; Dio Cass. LVI, 23). Neque ab hac lege, qui insecuti sunt, imperatores desciverunt, qui singulos saepe milites virtutis causa civitate donatos inter legiones receperint, universam autem militiae legionariae condicionem tam diligenter retinuerunt, ut, cum Nero legionem ex militibus classiariis, civitate carentibus, conscripsisset, Galba servare eam noluit nec servasset, nisi belli civilis tumultus intercessisset (Tac. Hist. I, 6 et 87; Suet. Galb. 12), cuius necessitate

1) Silent fere scriptores, quantum stipendii acceperint centuriones, quod cum auctum esset gregariis militibus, dubium esse debet, an ratio illa inter centuriones et illos intercedens mutata sit. Unum afferam exemplum pecuniae extra ordinem datae, quod etsi vix videtur pro norma poni posse, mutationem tamen aliquam significet. In bello Mithridatico rex Tigranes Pompeii militibus ita narratur praemium numerasse, ut gregarius miles 50 denarios, centurio mille denarios, tribunus sex milia acciperet, apud Plut. Pomp. c. 33.

2) Plerosque equidem vel omnes viros doctos, qui hodie de hoc argumento scripserunt, aliter sentire intelligo. Veluti Walterus in histor. iur. Rom. Vol. II p. 410 abutitur nonnullis Caesaris locis, ut iam inter bella civilia Caesaris et Pompeii peregrinae condicionis homines in legionibus meruisse doceat. Neque enim, si Caes. bell. civ. II, 18 ad supplendas legiones tota provincia dilectum habitum esse scribit, sequitur, ut provinciales homines civitate carentes conscripserit; plurimi enim cives erant in Hispaniis. Nec si bell. civ. III, 4 in recensu exercitus Pompeiani duae legiones ex Asia narrantur esse conscriptae, aut reliquae ex Thessalia, Boeotia, Achaia Epiroque suppletae, efficitur, ut non fuerint cives qui conscriberentur. Nec locus auctoris de bell. Afric. c. 35 quicquam eiusmodi demonstrat, immo contrarium. Ibi perfugae ad Caesarem perducti sic loquuntur: *propemodum omnes cives Romani, qui sunt in legione IV et VI, ad te voluerunt — confugere*, ut sane videantur etiam alii ac cives Romani in legionibus fuisse. Ac fuerunt certe, sed nulli milites legionarii, verum auxilia alaresque cohortes legionibus attributa. Addidit enim ipse ille auctor: *postero die ex legionibus iis, quas Gaetuli nominaverunt, milites legionarii complures — perfugerunt*. In ipsis igitur legionibus tunc recensebantur etiam auxilia peregrina. Ipse quid sentirem, breviter dixi in disputatiuncula de iure Italico inserta Annal. iurispr. hist. ann. 1848 p. 12.

etsi victa est vetus lex, semper tamen illa classiariorum legio inferiore quodam loco habita est. Itaque etiam Dio Cass. LV, 23, ubi rem militarem imperii Romani accurate exponit, legiones nullo notato suae et superioris aetatis discrimine appellat στρατόπεδα πολιτικά i. e. ex civibus Romanis compositos numeros. Maximum vero argumentum est in ipsis illis diplomatis de civitate militibus donata, quas plurimi tabulas honestae missionis minus recte vocant, quibus qui ita utuntur, ut iis civitatem militibus legionariis defuisse docere instituant, contra potius debent uti. Quorum cum tam magnus numerus inventus sit, ut, si quibus militibus legionariis data esset civitas, non possit non aliqua eorum memoria expectari (nam si alarum et cohortium auxiliarium militibus stipendia emeritis dabatur civitas, magis certe etiam legionariis militibus erat danda), in nullo adhuc ullius legionis mentio reperta est; nam primae et secundae Adiutricis, quarum milites a Galba et Vespasiano civitate donati esse narrantur, peculiarem prorsus rationem esse constat. Quo documento vix potest ullum certius requiri. Nimirum illi, qui etiam legiones militum civitate carentium plenas esse volunt, hac maxime re moventur, quod aut, quae extremis imperii temporibus acciderunt, parum recte ad hanc, de qua dicimus, aetatem retulerunt, aut cum hominum inopia laboratum esse audierint, ea de causa ad peregrinos ac barbaros necessario descensum esse existiment. Equidem hanc ipsam militiam legionariam, ad quam soli cives Romani admittendi esse viderentur, non in ultima causa fuisse intelligo, cur et ab imperatoribus civitas per provincias liberaliter propagaretur et rei militaris ipsius ratio mutaretur. Qui enim in provinciis erant peregrinae condicionis, non vacabant sane munere militiae, sed in alis et cohortibus, quae proprie appellantur, merebant. Itaque in diplomatis longe plurimi, qui civitate donantur, in his aut alis aut cohortibus meruisse narrantur, ad quas explendas in provincialibus civitate carentibus delectus habebantur, veluti Tac. Hist. IV, 14 quos in Batavis conscriptos narrat, non legiones, quod cuidam nuper placuit, sed cohortes illas et alas expleverunt. Quae cum ita sint, de coloniis duae res certae videntur, primum neminem nisi qui civis Romanus esset, in coloniis collocatum, deinde peditas solum. Nam equitatum omnem Romanorum iam Caesaris tempore ex sociis constitisse, legionum ipsarum fuisse nullum est certum. Illud vero nemo unquam dubitavit, quin ingenui fuerint omnes milites; nam libertinum militem rarissimè nec unquam nisi in summa necessitate adhibitum esse scimus.

Ita in legionibus cum servaretur vetus civitatis lex, aliud paulatim sub imperatoribus discrimen ortum, quod antea nullum fuerat. Ut enim in Italia urbs Roma opponi solebat municipiis et quicquid hinc proficiscebatur, tamquam deteriore loco habebatur (vide Lips. ad Tac. Annal. IV, 3), ita inter milites, qui essent in provinciis, et inter eos, qui in Italia essent, discernebatur. Nam legiones invaluit ut ex provinciis fere supplerentur; quare Tiberius apud Tac. Annal. IV, 4 proficiscendi necessitatem inde sibi sumebat, quod delectibus legiones sup-

plendae essent, et Nero Orientis exercitus delectu in Galliis et Hispaniis habito supplevit (Tac. Annal. XIII, 7) et Corbulo per Galatiam Cappadociamque militem conscribit (Tac. Annal. XIII, 35) et Illyricae legiones sub eodem imperatore Nerone per Galliam Narbonensem, Africam, Asiam supplentur (ibid. XVI, 13). Italiae ipsi parcebatur, ex qua praetorias modo cohortes legi consuevisse Tac. Annal. IV, 5 scribit, quod praeceptum [1]) cum negligi inciperet, restitutum esse a Traiano, qui Italiae frequentiam conservare vellet, supra p. 402 diximus. Itaque non mirum est, Italicis hominibus legiones, quae in provinciis et conscriptae essent et consisterent, peregrinas et externas visas esse, quae quanta fuerit opinio, apertissime ex Tac. Hist. II, 21 perspicitur [2]). Quaeritur igitur, an traducto hoc discrimine etiam ad colonias, praetoriarum cohortium veterani in Italia, reliquarum legionum in provinciis modo collocari consueverint. Non loquor de Sulla aut Caesare, quorum temporibus nullae erant praetoriae cohortes, nec de Augusti initiis, quem omnibus militibus pariter consulere oportebat (unde Gunugi, colonia Africae, deducta praetoria cohorte condita esse narratur) nec de tempestatibus, per quas Vespasianus ad imperium evectus est, cum Reate milites cohortis praetoriae septimae et quintae, sed etiam legionis octavae collocatos esse audimus — verum reliquis temporibus videtur sane haec consuetudo fuisse, ut praetoriae cohortes Italicis, legiones provincialibus agris donarentur. Inde Cordubae legionis V et X veterani collocati esse narrantur, Caesaraugustae legionis IV et VI et X, Augustae Emeritae legionis V et X, Patris legionis XXII, Parii legionis II et VII, Beryti legionis V et VIII, Cartennae in Africa legionis II, Ptolemaide in Phoenice legionis VI et IX et X et XI, Heliupoli Coeles Syriae legionis VIII Aug. et V Maced. At Augustae Praetoriae et Augustae Taurinorum, quas colonias constituto iam imperio Augustus condidit, praetorias cohortes collocavit; Nero Antium cum frequentare vellet, veteranos e praetorio ascripsit, itemque existimare debebimus, cum passim per civitates colonos deductos esse audimus. Nam in libro coloniarum p. 232 ed. Lachm. Casinum *militibus legionariis* dicitur esse frequentatum neque id annotaretur, si vulgo factum esset. Eodemque referam, si *peregrini milites*, quos in Aquinati et Ferentinati civitate habebat Goës. p. 102 et p. 134, veri sint nec servanda sit codicum lectio *perennis limitibus*, quam exhibuit Lachm. p. 229 et 234. Nonnunquam enim etsi fiebat, ut etiam cohortium auxiliarium veterani civitate carentes non civitate modo, verum etiam

1) Videtur igitur hoc praeceptum Augusti imperatoris fuisse, qui cum in magna necessitate, velut in bello Germanico, inde desciseeret, reliquis tamen temporibus et ipse servavit et successoribus servandum proposuit.

2) Ipsis quidem provincialibus hominibus alia rursus videbantur peregrina, velut cf. quae supra de Viennensi et Lugdunensi colonia exposita sunt p. 370.

agris donarentur, in provinciis tamen magis videntur esse collocati quam in Italia. Vide supra p. 447 [1]).

Sed novum etiam, quod antea ignotum fuerat, ortum est his, in quibus disputatio nostra versatur, temporibus colonorum genus, si vere coloni appellandi, qui non colonias proprias constituisse, verum agros modo aut in coloniis aut per municipia videntur accepisse. Etenim apud auctorem de coloniis p. 233 ed. Lachm. est: *Cereatae Mariana, municipium. Familia C. Marii absidebat, postea a Druso Caesare militibus et ipsi familiae in iugeribus est assignatum*; ibid.: *Divinos municipium. Familia divi Augusti condidit et ager eius isdem est assignatus sine lege;* ibid. p. 236: *Nola — ager eius — postea intercisivis mensuris colonis et familiae est adiudicatus*; ibid. p. 230: *Abella municipium. Coloni vel familia imperatoris Vespasiani iussu eius acceperunt*; ibid. p. 211: *Territorium Panhormitanorum imp. Vespasianus assignavit militibus veteranis et familiae suae.* Quibus locis quid esse dicemus familiam? A viris doctis intelligi video libertos principum totiusque domus Augustae [2]), quam sententiam duabus maxime de causis improbandam esse censeo. Primum magnopere dubito, num unquam familia dici possint liberti. Alio enim pertinet, quod est in Dig. XXVI, 4 (de legit. tutor.) 3 § 3 *orcinus libertus effectus ad familiam testatoris pertinebit*, quod si accurate interpretere, quia qui testamento manumissus est (is enim est orcinus libertus), ad familiam pertinere iubetur, libertos a familia i. e. servis distingui intelligas; alio item *familia libertorum* in Dig. XXXI (de legat. ii) 77, 27, quaeque alia in eandem sententiam efferri solent. Quare cum Latinitatis ratio illam interpretationem repudiet, ne res quidem ipsa petitur. Quoniam enim C. Marii familia in agris collocata esse dicitur, quis putabit tantum illi licuisse, ut, cum plebs urbana ipsa, cui lege Appuleia consulebatur, agrorum assignationes non assequeretur, suos libertos in optimam Italiae partem deduceret? Ac ne illud quidem mihi videtur probabile, libertis Caesarum unquam agros publice esse assignatos. Quibus si imperatores maiore quadam beneficentia prospiciebant, procurationes deferebant vel fortasse ex suis amplissimis possessionibus singillatim praedia donabant, nunquam certe hoc tribuisse narrantur, ut tamquam de republica bene meritis et in corpus quoddam coniunctis agros dividerent. Facile

1) Quamquam etiam in Italia videntur esse deducti peregrinae originis milites, velut *ala Gaetulorum*, quae apud Grut. p. 478, 7 (Orell. n. 748) dicitur inter colonos esse Augustae Taurinorum, quam tamen civitate donatam esse, antequam deduceretur, debet constare. Sed singulare tamen illud fuerat tempus, cum propter calamitatem coloniae bello civili illatam vel peregrini milites admittendi esse videbantur.

2) Vide Walter. hist. iur. Rom. I p. 316, quem sequitur Reinius in Paulii encyclopaed. antiq. class. s. v. colonia Vol. II p. 511.

autem cum et maximam longe omnium colonorum partem omnibus temporibus milites fuisse constet et non imperatorum modo, verum etiam C. Marii, hominis militari gloria non civili potentia insignis, commemorari videamus, eo adducimur, ut militum aliquod genus dici existimemus. Neque ea potestate non dicitur *familia*. Quinquiens enim in Theodosiano Codice, nimirum libr. VII, 4 (de erogatione milit. ann.), 17 et 28 et 31 et VII, 5 (de excoctione et translat. ann.) 1 et X, 1 (de iure fisci) 17 ita commemorantur familiae, ut eo militum quoddam genus significari appareat, quare Gothofredus in commentario ad l. 17 libr. X, 1 (de iure fisci) coniecit, videri esse tirones nondum in numeros divisos, sed per familias, quae appellarentur, suspectis locis distributos, quae coniectura eum etiam Brissonio de verbor. signif. s. v. *familia* placuisset, iam communis facta est. Equidem aliter mihi videri confiteor. Neque enim, quomodo familiae nomen de illis tironibus usurpari coeptum sit, recte potest intelligi, neo cur hos tirones non diviserint in numeros, nec cur tironibus potissimum ad suspectorum locorum custodiam usi sint, quod munus veteranis potius tribui solebat, nec denique, si auctoris illius de coloniis testimonia assumas, cur aut militibus modo stipendia ingressis ager datus aut liberae reipublicae tempore C. Marius hoc genere tironum usus sit. At a familiae vocabulo non aliena est servorum significatio, ac reperiuntur imperatores secum habuisse homines, quibus ad inferiora quaedam militiae ministeria, quae reliqui milites dedignarentur, uterentur. Velut Iunius Blaesus legatus apud Tac. Annal. I, 23 non gladiatores modo i. e. servos secum habebat, qui imprimis supplicium de sontibus sumerent, verum aliam etiam familiam, lictores, ministros, homines sine dubio armorum peritos, qui, cum usus ferret, etiam pugnarent, sed tamen militibus ipsis dignitate non pares, ideo maxime, ut opinor, quod vel servi vel certe non ingenui erant. Hoc igitur genus non militum proprie, sed tamen militarium hominum, cui opera in bellis egregrie praestita agros dividi non iniquum erat, et apud auctorem illum de coloniis et in Theodosiano codice intelligendum esse iudico. Quamquam non negarim, sub imperatoribus paulatim harum familiarum condicionem esse mutatam, ita maxime, ut et liberi et ingenui essent, universa tamen eorum natura mansit. Nam militibus accenseri inde apparet, quod annonam militarem accipiunt, sed inferiore quodam gradu haberi inde, quod l. 28 de erogat. milit. annon. primum *numeri*, deinde *familiae*, denique *impedimenta* i. e. lixae et calones commemorantur [1]).

Diximus de uno genere colonorum, de militibus iisque, qui militum erant similes; se-

1) Aliquid fortasse etiam huic rei tribuendum, quod Marii modo at Augusti et Drusi Caesaris et Vespasiani familiae commemorantur, quos omnes constat vel omnino vel aliquamdiu praetorianis, qui proprie vocarentur, militibus caruisse, ut familiae apud eos honestiore loco esse possent. Sed incertum tamen, an etiam aliorum imperatorum familiae in agris collocatae sint.

quitur alterum eorum hominum, qui cives essent illi quidem Romani, sed nulla opera militari praestita meruissent, ut deducerentur, quod raro illud quidem, et aliquando tamen usurpatum esse observavimus. Etenim in lege Appuleia, quatenus effectum habuit, etsi non exclusi erant togati homines, dubitari tamen non debet, quin veteranis Marii praecipue provisum sit, lege Cornelia praeter milites nulli homines deducebantur, lex Iulia quamquam initio in eorum commodum instituta dicebatur, qui ternos pluresve liberos alerent, alium tamen habuit exitum, cum primum Cn. Pompeii, deinde Caesaris milites deducerentur. At quae idem dictator Caesar octoginta hominum milia in provincias destinabat, erant sane togati, de plebe urbana electi, quos cum Augustus postea vere deduceret, constitutae sunt coloniae Dyrrhachii, Buthroti, Philippis, adiectis tamen ibi quoque veteranis, quos Philippis quidem constat, in reliquis probabile est fuisse. Tum Corinthiacae et Carthaginiensis coloniarum, in quibus nulli veterani videntur admissi esse, prorsus singularis erat ratio. Alios nullos homines de plebe Romana, qui nulla stipendia fecissent, ab Augusto deductos esse invenio nec deduxit quisquam ex iis, qui secuti sunt, imperatoribus usque ad Nervam, siquidem Titum cum Campaniae incendio Vesuvii montis pessumdatae subveniret, item milites deduxisse veri est simile. At Nerva prorsus ad veterem rationem plebem Romanam in agris publice a senatoribus emptis collocabat, Traianus, cum Daciam ab barbaris ereptam frequentare vellet, nullam aut militum et togatorum aut civium et peregrinorum hominum discrimen videtur observasse, a quo Eutrop. VIII, 3 ex toto orbe terrarum narrat esse excitos, qui novam provinciam incolerent. Atque haec ultima omnino huius colonorum generis mentio. Nam Hadrianus eiusque successores etsi plurimos, qui non essent milites, colonos fecerunt, nullos tamen sedibus vere translatis deduxerunt.

Caput tertium.

Sequitur enim deinceps, ut de eo coloniarum genere, quod honorariarum appellavimus, dicatur; nam de veteribus civitatum incolis in novas colonias assumptis paulo post, ubi de iure coloniarum quaeretur, dicendi locus erit. Factum igitur est nonnunquam, ut manentibus veteribus incolis, iure modo ac nomine mutato coloniae appellarentur, quae antea vel municipia fuerant, vel Latinae aut peregrinae condicionis. Ac quamdiu libera fuit respublica Romana, ignorabatur hoc honoris genus neque omnino tanta praestantia vel iuris vel honoris erat coloniarum, ut civitates, etiamsi incolae non essent mutandi, propterea condicionem mutare vellent. In Heracleensi quidem tabula, v. 83 et saepius, cum ex dignitate civitates recensentur, *municipia*, *coloniae*, *praefecturae*, *fora*, *conciliabula* appellentur, itemque in lege Rubria Galliae Cisalpinae v. 42 est *municipium*, *colonia*, *locus*. At Plinius in naturali historia, ubicunque provinciarum civitates enumerat, primo loco habet colonias, altero municipia, dein-

cepa, si quae alia aliquo praecipuo iure fuerunt, atque etiam in Italia unum coloniarum genus coloniae nomine apposito distinguit; quare, si quis auctores Plinii respiciat, ad Augustum haec coloniarum praestantia referenda esse videatur [1]). Nec tamen hunc ea specie usum esse existimo, ut, quas civitates non augeret deductis novis incolis, eas colonias appellaret; suppetebat enim eorum, quos deduceret, copia. At Claudium ipse Plin. nat. hist. V, 2, 20 ait in Africa Caesaream, antea Iol, Iubae regiam, iure coloniae donasse idemque cum Iuliam Traductam conderet, etsi traduxit incolas, totam tamen civitatem veterem coloniam appellavit. Tum a Nerone prima in Italia civitas Puteoli, modo ut dignitate, non frequentia augeretur, ius coloniae et cognomen adepta est. Vespasianus, quod et severior erat, quam qui ambitioni municipali indulgeret, et plurimos in agris collocavit homines, quascunque fecit colonias, vere videtur deduxisse; item Traianus, qui dubitari tamen potest, an Parentium, quod iam a Plin. nat. hist. III, 23, 129 oppidum civium Romanorum vocatur, et Hadrumetum et Hipponem Diarrhytum, quas antea liberas civitates fuisse constat, et alias quasdam urbes mero coloniarum honore, nulla incolarum adiectione auxerit. De Hadriano quidem dubitari non potest, qui cum totum imperium denuo constitueret, ita prorsus hoc coloniarum genus celebrare coepit, ut plures prope honore ac iure donasse quam vere deduxisse videatur. Nam primum in Sicilia Lilybaeum et Panhormum probabile est dignitate modo coloniarum esse aucta, in Hispania vero Italicam constat, in Gallia Narbonensi, quae iam antea fuerant civitates maximae et opulentissimae, Aquas Sextias, Avenionem, Cabellionem, Nemausum, Reios Apollinares, Ruscinonem, Aptam Iuliam, item Tolosam quare nullis novis incolis adiectis existimemus factas esse colonias, supra expositum est. In Africa certum est Uticam nihil accepisse nisi ius coloniae, itemque veri est simile alias civitates et illius et aliarum provinciarum, de quibus minus traditur. Quodsi Hadrianus, quo imperante res Romanae satis etiamtunc validae erant, hoc tamen honorario coloniarum genere non uti non potuit, quid putamus reliquos, sub quibus et inanis illa nominum ac dignitatis ambitio crevit, quae quidem in Commodo traditur tanta fuisse, ut ipsam urbem Romam coloniae iure donare atque ex nomine suo appellare cogitaret, et, si omnino colonias fieri placeret, quia aliorum hominum inopia premebat, ad hoc maxime genus confugiendum erat? Itaque quamquam tantum a Septimio Severo narratur coloniae iure ornatus esse in Dacia vicus Patavicensium, inde a M. Aurelio dubitari non debet, quin plurimae, quae constitutae esse dicuntur, coloniae ex hoc genere fuerint, extremae autem, quas

1) Ac mansit haec quasi praestantia coloniarum. Nunquam enim factum est, ut, quae colonia fuisset, deinde fieret municipium, ne in Italia quidem, in qua tot incolarum mutationes accidisse constat. At vulgare prorsus, ut oppida provincialia civitate aucta primum appellentur municipia, post coloniae etiam iure ornentur.

nominavimus, omnes. Gradus igitur dignitatis, quam oppida assequerentur, quamdiu civitas non toti terrarum orbi impertita fuit, hi erant, ut primum municipia, deinde coloniae fierent, quod cum in aliis oppidis, velut in Viminacio, intelligatur, tum in multis Africae urbibus observavimus. In cuius provinciae compluribus civitatibus quod accidit, ut ab scriptoribus eiusdem prope aetatis eodem et coloniae et municipium appelletur, non eo refero, quod municipia nonnunquam colonias vocari aut contra existimem (neque enim id unquam fieri infra docebitur), sed negligentiae cuidam auctorum tribuo dignitatis gradus permiscentium.

Iam perlustratis colonorum generibus, quorum plurimos veteranos, quosdam aut aliunde traductos togatos homines aut veteres incolas fuisse intelleximus, quo iure coloni fuerint, explicandum est. Quae quidem quaestio tripertita est. Etenim prima ad privatum quodommodo agrorum, quos coloni acceperant, ius pertinet, altera ad rempublicam colonorum constituendam spectat, tertia denique in iure ipsarum harum rerumpublicarum perspiciendo versabitur. De quibus rebus etsi superiore disputatione saepius mentio facienda erat, committere tamen noluimus, ne, quae ad quemque locum pertinent, non uno tamquam conspectu coniuncta proponeremus.

Prima igitur haec debet esse quaestio, quo iure coloni agros acceperint. Equidem veteribus temporibus, cum duplici hoc consilio coloniae deducerentur, ut et proles augeretur et imperium propagaretur, non dubitandum esse censeo, quin sortes agrorum ita divisae sint, ut vendere non liceret. Vereor enim, ne non satis sit id, quod Madvigius de iure ac condicione coloniarum disputans in Opusc. Acad. p. 266 nimium breviter significat, necessitatem aliquam domicilii in colonia sua habendi impositam esse colonis. Nititur enim omne domicilium agri possessione, magis etiam antiquis temporibus quam nostris, nec qui non tenetur possessione, in certa aliqua civitate teneri potest, nisi forte ingens legum severitas adhibeatur, qua extrema imperii Romani aetate effectum est, ut omnes prope, qui agrum colerent, glebae ascriberentur ac novum quoddam servitutis genus introduceretur. Quodsi faciamus licuisse vendere, primum non potuit licere vendere iis, qui non essent coloni; sic enim repleri poterat colonia possessoribus aut inutilibus ad bellum aut a re Romana alienis. Deinde ne colonis quidem ipsis alienas in coloniis sortes pretio comparare potuit licere, quandoquidem nihil intererat paucos esse in coloniis homines divites, multos pauperes, quam imprimis postea caussam fuisse sciamus, cur et hominum et militum inopia exstiterit. Quamquam relinqui potuisse et filiis et aliis, ut opinor, propinquis lege finitis vel inde constat, quod concessum erat, ut, qui stirpem ex sese domi relinquerent, cives Romani fierent (Liv. XLI, 8). Hac de re cum appareat fieri non potuisse, ut sortes in coloniis veteribus Latinis (nam coloniarum, quae proprie Romanae erant, quae militiae terrestris onere vacabant, paulo aliam rationem fuisse censeo) prorsus privato iure eorum essent, qui acceperant, qualis condicio agri colonici fuerit,

significant leges Semproniae, quibus venditionem agri assignati sublatam esse notum est. Quibus quoniam pro militiae onere, quod veteres coloni sustinebant, certum vectigal imponebatur novis colonis, quis putat aequum fuisse tolli venditionem, nisi idem iuris esset in veteribus coloniis? Quare non novum aliquid tunc institutum, sed quod antiquitus fuerat, non sublatum esse arbitror. Nam quod postea emptionem venditionemque sortium plebi a Graechis divisarum liberam permissam esse legimus, et divitum hominum causa, quo facilius ii, quae lege amiserant, pretio recuperarent, contra utilitatem introductum esse traditur neque secundum ea, quae supra a nobis de lege Thoria disputata sunt, temere ad veterum coloniarum Latinarum agros transferri oportebit. Etenim etsi in uno genere agri publice divisi erat concessa libera venditio, in reliquis mansisse tamen veterem legem omninoque eam fuisse communem opinionem, ut, qui publice assignatus esset ager, eum vendere non licere putaretur, hoc ostendit, quod in lege Appuleia probabile est scriptum fuisse de assignationibus non vendendis, in lege Cornelia et Servilia certum est. Sic igitur per aliquod tempus haec fuerit ratio, ut in coloniis antiquitus Latinis sortes agrorum venire non liceret, reliquas sortes a Gracchis divisas liceret. Verumtamen hoc discrimen non diu videtur constitisse, praesertim ratione, quare ager coloniarum venire vetaretur, sublata; nam postquam civitate Latinis data separatae militiae genus, quo veterum exercituum Romanorum robur conficiebatur, sublatum est, quid intererat illud manere, quod militiae illius praestandae causa institutum erat? Itaque Ciceronis tempore nihil intelligo discriminis intercessisse inter agrum coloniarum olim Latinarum et inter municipalem, qui proprie appellatur. Nam Servilius Rullus pariter in coloniis atque in municipiis agrum emi volebat, quo plebs publica deduceretur, nominatque Setiam, veterem coloniam Latinam (Cic. in Rull. II, 25, 66); tum Casini, quae vetus fuit colonia civium Romanorum, Servilii Rulli pater per occasionem proscriptionum agros continuasse narratur a Cic. in Rull. III, 4, 14, ac Verri a Sulla Beneventi, item in colonia veteri Latina, proscriptorum bona diripienda concessa esse (Cic. in Verr. libr. I, 15). Nec probabile sane est, quae oppida Italiae superioris a Cn. Pompeio Strabone et a Caesare in ius coloniarum Romanarum transducta sunt, dum dignitate augentur, possessionis deminutionem subire voluisse. Hanc autem mutationem, ut, quae sortes ante certa lege a possessoribus tenerentur, privatae fierent, necessario ad legem Iuliam, qua civitas Latinis data est, referendam esse apparet, quam qui in nominis modo ac dignitatis amplificatione, non in commodis etiam solidis atque ad rem familiarem pertinentibus versari opinentur, eos falli iam supra p. 243 exposuimus. Nec pugnat cum hac ratione, quod dictator Caesar lege Iulia colonis suis, quae accepissent, post annos viginti vendere permisit: ducebatur ille imprimis hac cura, ut frequentaretur Italia; verumtamen ipsam hanc legis diligentiam sustulerunt Brutus et Cassius, veteris libertatis vin-

dices, qui, quod olim populares homines largiti erant, dissimillima de causa ut se et optimetea tuerentur, concesserunt. Neque telia semel neglecta ao sublata deinde reduci possunt. Tresviri certe reipublicae constituendae non ea potentia erant, ut audere possent, nec potuit Augustus, cum stabiliendae dominationis gratia vateranes per Italiam cellocaret. At pestea cum imperium adeptus identidem veteranos per colonias et municipia deduoeret, item reliqui imperatores, a qnibus omnibus per Italiam agri militibus divisi sunt, an cum eadem necessitate et manendi et non vendendi assignarint, quaeritur. Sic enim, si certi quidam quasi loci essent, qnibus deinceps veterani collocarentur, videtur effici potuisse, ut et minima impensa militum commodis et recte etiam frequentiae Italiae prospiceretur. Verumtamen nihil unquam de teli iure agrorum colonieorum legitur idque magno est doeumento, non diversum eos fuisse e municipalibus, quare quod Tae. Annal. XIV, 27 de Tarento et Antio a Nerone supplotis narrat, parum infrequentlae eorum oppidorum subventum esse, ac plerosque ant dilapsos esse in provinoias, in quibus stipendia explessent, sut orbas sine posteris domos reliquisse, hoc sic intelligenius, aut venditis sortibus eolonos abisse aut nullis relietis filiis propinquisve cum decessissent, sortes ad imperatorem reeidisse. Est etiem hoo observandum, ascriptos saepa esse veteres incolas in colonias, vel multas urbes beneficii loco aut potisse ant aecepisse ab imperatoribus, ut in coloniarum ius traducerentur, quas quis putst id fuisse facturas, si ee ro agros suos minus fieri privatos scirent. Nihil igitur differebat ager celoniarum eb egro municipiorum, quodque imperator Galha Hispali et Augustae Emeritao dieitur familiarum adiectiones dono dedisse, minus in agros colonis vacuos videntur deducti novi celoni, quam provincialibus hominibus, qui iuxta colenism habitsverant, ius colonorum donatum esse.

Affinis autem huic, de qna modo disputavimus, quaestioni est illa, num quae munera colonis pro agris datis imposita sint, imprimis num milites dare debuerint, quod coloniarum veterum Latinarum praecipuum munus fuisse constat. De qua quaestione secundum ea, quae modo diximus, non difficile erit indicare: nam quae rationes faciunt, ut agri in privatam colonorum possessionem transisse videantur, eaedem da muneribus iniunctis cogitare prohibent, neque dubium esse debebit, quin vetus coloniarum Latinarum militiae onus lege Iulia, qua civites data est, sublatum sit; civium quidem Romanorum colonias militiae terrestris vacationem sacrosanctam habuisse constat ex Livio XXVII, 38 et XXVI, 3. Cf. Madvig. de iure at condic. colon. in Opusc. Acad. p. 264. Quare quod in bellis civilibus Octavianum milites secuti sunt ex coloniis patriis, sponte fecerunt et ut suas possessiones tuerentur imperatoremque defenderent, non quod illa lege deducti essent. Neque postea Augustum reliquosve imperatores iis, qnos deducerent, colonis tale munus imposuisse testis debet esse Tac. Annal. IV, 5, qui praetorias cohortes narrat Tiberii tempore in Etruria ferme Umbriaque aut vetere Latio

et coloniis antiquitus Romanis [1]) delectas esse, legiones autem supra exposuimus in provinciis fere suppleri consuevisse. Nec in provinciis colonias onere militum praebendorum prae reliquis oppidis astrictas fuisse ulla unquam fit mentio. Etsi sane, quamdiu pauca per provincias erant civium Romanorum oppida, ex coloniis potissimum legionum supplementa petita esse manifestum est. Sed tum demum, cum tota haec coloniarum ratio paulatim deseri inciperet, maxime inde ab Alexandro Severo militibus agri vel ab hoste capti vel ad limites imperii siti ita assignabantur, ut perpetuum militandi onus et ipsis et posteris eorum imponeretur neo agros acceptos vendere liceret, nisi iis, qui idem subire vellent, de quo genere militum limitaneorum (nam sic appellantur) dixit Gothofr. ad Theod. Cod. VII, 15 (de terris limiteneis) 1.

Postquam ius quasi privatum, quo coloni agros suos tenebant, quantum per auctorum tenuitatem fieri potuit, illustravimus, quo in genere nihil eos a municipiis discrepare invenimus, deinceps de iure eorum publico disputandum est, de quo ipso dupliciter dicemus, ut primum, quo iure singuli coloni in sua quisque colonia, deinde quo universae coloniae in imperio Romano fuerint, videamus. Praemittemus autem pauca de iis colonis, qui passim per municipia ac colonias ita collocabentur, ut ius ac condicionem eius civitatis, in qua considerent, non mutarent. Etenim in Italia quidem, cum coloniss imperatorum recenseramus, plurimas nominavimus civitates, in quibus milites agrum ita accepisse narrantur, ut nihil referret, municipia essent an coloniae, quarum multitudinem si quis cum incerta auctorum taciturnitate conferat, vix dubitandum esse intelligat, quin perpauca in omni Italia fuerint oppida, in quae non coloni deducti essa inveniantur. Neque multum diversa erat provinciarum ratio, de quibus quod pauciora nota sunt, auctoribus, non rei tribuendum est. Iam cum constet, ex civitatibus, in quibus coloni considerent, alias fuisse colonies, alias non fuisse, quaeratur, num certus quidam colonorum numerus opus fuerit, quo deducto colonia appellaretur. Equidem, etsi pro rei nature numeri quoque, quando coloniee nomen tribuebatur, rationem habitem esse intelligo, cum tot cum paucis, tot cum nullis colonis constitutas esse videam colonias, beneficio potius imperatoris ac voluntati nomen et ius coloniae deberi existimo. Sad cum tamen vel in colonie vel in municipio collocabantur complures veterani, qui nulla praecipui iuris communione inter se continerentur, quia veteris sodalicii consuetudo omitti non poterat, ne-

1) Hinc enim cave colligas coloniarum praecipuum quoddam munus fuisse. Nam si Taciti colonias Romanas intelligas de coloniis civium Romanorum, eas vacationem militiae habuisse diximus, sin de coloniis Latinis aut de utrisque, quid, quaeso, significant Etruria et Umbria et Latium adiecta? Quare hoc voluit Tacitus, ex iis oppidis, et coloniis et municipiis, quae proprie essent originis Romanae, cohortes praetorias conscribi consuevisse.

cesse erat accidere, ut, quod publice deesset vinculum, privatim restituendo ex more Romano *collegium* quasi aliquod sive *corpus* efficerent [1]). Itaque, etsi rara eius rei memoria nobis servata est, nonnunquam et in coloniis et in municipiis talia corpore commemorantur. Velut in vetustissima colonia Ostia, in qua deductionis antiquae nullum supererat vestigium, cum deinde ab imperatoribus, quemadmodum auctor de colon. p. 236 ed. Lachm. docet, saepius coloni collocarentur, hi milites collegium effecerunt, interna sua republica non diversum ab tot aliis collegiis, quae apud Romanos fuisse scimus. Nam apud Orell. n. 4109, quo titulo saepius supra usi sumus, Cn. Sentius Felix patronus cum aliorum multorum collegiorum Ostiensium, tum *veteranorum Augusti* appellatur. Eodemque referendus erit lapis Atestinus apud Grut. p. 1005, 5, si vera est Hagenbuchii in Epist. epigraph. p. 375 emendatio, legendum ibi esse *collegius* (pro eo quod rectius debebat esse *collegium) veteranorum Augustorum*, itemque Salonitanus apud Mur. p. 531, 3 (Donium p. 346, 22), ubi est *convibium veteranorum sive Martensium*, ex quo si liceat colligi, collegium Martensium esse idem quod veteranorum, pertinebit huc etiam titulus Beneventanus apud Mur. p. 525, 1, in quo est *collegium veteranorum*. Verum maxime omnium in hoc genere memorabilis est titulus Misenensis apud Gervas. Observ. de nonnullis inscript. Neapolit. p. 21, ubi L. Licinius Primitivus in dedicatione statuae sibi positae dicitur pecuniam divisisse *decurionibus*, *Augustalibus*, *ingenuis et veteranis corporatis*, *municipibus*. Hinc apparet Miseni fuisse corpus sive collegium veteranorum, Augustalibus dignitate inferius, par fere ingenuis municipii incolis (cave enim corporatos referas etiam ad ingenuos), superius reliquis Misenensibus, qui libertini generis essent [2]). Ex

1) Quamquam non modo hoc nomen videtur esse inditum veteranis in oppida deductis, verum ipsum etiam *coloniae*, ut ea pars oppidi, in qua consedissent milites, ipsique hi appellarentur colonia et coloni. Sic certe explice, quod in libello coloniarum multas urbes invenimus vocari colonias, quas municipia fuisse constat. Auctor illius libelli, cuius auctoritatem ad rationem reliquorum testimoniorum explicari non posse supra p. 200 diximus, neglectis ceteris oppidorum partibus eum modo agrum, qui colonis in quaque civitate divisus erat, respicit.

2) Diversi hinc alii quidam *curatores veteranorum*, qui in inscriptionibus commemorantur, qui militare fere munus videntur administrasse. Ex hoc genere imprimis est P. Tutilius veteranus, natus ann. 43 a. Chr., mortuus ann. 29 p. Chr., qui *signifer aquilifer legionis*, *curator veteranorum*, tum *accepisse ab imperatore* dicitur *praemia duplicia*, deinde L. Sertorius Firmus *signifer aquilifer leg. XI Claud. Piae Fidelis missus curator veteranorum legionis eiusdem*, quorum utriusque titulum refert G. G. Ortius, nobilis Veronensis, antiq. marm. ad gent. Sertor. Veronens. spect. (Veron. 1833) p. 47, non improbabiliter coniiciens, curatorem veteranorum esse appellatum, cui cura deducendorum in colonias veteranorum committeretur. Eiusdem generis est curator veteranorum leg. IIII Macedonicae apud Grut. p. 557, 3, ex diverso genere *gentiles veterani* apud Reines. VIII n. 53 p. 533, qui Aquileiae

hac ipsa autem re, quod privatam collegii necessitudinem veterani ineundam esse putabant, apparet, publicam eorum nullam fuisse coniunctionem.

Cum autem deductione colonorum respublica civitatis, in qua considebant, mutabatur, unum ex tribus his accidere oportebat, ut novi coloni aut, cum iure veteribus incolis pares essent, quia alia erant origine, distinendi ab iis esse viderentur aut, cum iure essent superiores, reliquis imperarent, aut denique, quia et iure erant pares nec origine adeo diversi, ut haec diversitas in republica retinenda esset, prorsus cum veteribus incolis permiscerentur. Atque hoc quod tertio loco posuimus, etsi potuit fieri, dubitandum tamen est, num unquam acciderit; certe nullo idoneo argumento potest demonstrari. Quamvis enim taceant auctores nec quicquam de discrimine, quod inter veteres et inter novos incolas intercesserit, commemorent, incertum tamen est, an, cum novi coloni addebantur vel ex duabus partibus incolarum pari iure praeditis nova colonia componebatur, lex etiam civitatis ita mutari consuevorit, ut, quot ex utraque parte fierent decuriones, quot magistratus, constitueretur. Quod discrimen etsi evanescebat paulatim, ac fortasse aliquando etiam sublatum est, ubique tamen, ne alterutra pars ab altera opprimeretur, videtur ab initio fuisse instituendum. Redit igitur, quam triplicem supra proposuimus quaestionem, ad duplicem, ut aut iuris aequalitas esset cum reipublicae quadam diversitate aut inaequalitas iuris cum colonorum novorum principatu; nam hos quidem colonos inde ab eo tempore, unde exorditur omnis nostra disputatio, semper optimo, quod esset apud Romanos, iure, i. e. civitate, usos esse supra diximus. Aequalitas autem iuris in coloniarum duabus partibus rursus dupliciter existere poterat, cum aut, qui non essent cives, in colonias ascriberentur aut cives cum civibus congregarentur, quorum utrumque saepe ac multis locis factum esse narratur.

Atque ut primum de iis, qui non essent cives, in colonorum numerum receptis dicamus, vetus illa fuit Romanique imperii prorsus propria consuetudo, ne quis, qui bene de republica meruisset, civitate excluderetur. Itaque antiquitus in colonias recipiendo viris insignibus civitas data est, velut Q. Ennio a Q. Fulvio Nobiliore (Cic. Brut. 20, 79), qui ascripsit in coloniam Potentiam vel Pisaurum; idem ius deinde usurpasse narratur coloniarum nomine C. Marius, Sulla quidem prope abusus est, item dictator Caesar, cuius in eo genere liberalitas supra, ubi de Novo Como diximus, commemorata est. Neque imperatores in ea re parciores fuisse probabile est. Quare cum coloniae in provinciis condebantur, raro nec omnibus incolis accidisse putabimus, quod Tac. Annal. XIV, 31 in Camalodunensi colonia deducenda factum esse narrat: *recens deducti pellebant domibus, exturbabant agris, captivos servos appel-*

suum separatum sepulturae locum habuisse narrantur, quamquam ne hos quidem recedit a similitudine veri in collegii cuiusdam formam fuisse consociatos.

lando, foventibus impotentiam veteranorum militibus similitudine vitae et spe eiusdem licentiae. Recens illa provincia erat necdum confidi poterat barbaris. At Viennae in Gallia constat Allobrogum principes cum in bello Vercingetorigis fidem servassent, civitate donatos et in coloniam ascriptos esse, ut etiam multo post Lugdunenses illam tamquam peregrinae originis urbem aspernarentur, sese tamquam vere Romanos extollerent (p.370). Nec dissimilis videtur fuisse ratio coloniae Iuliae Equestris Novioduni, in qua tot inveniuntur Iulii, ut multi homines Galli propter operam in bello praestitam civitate donati et in novam coloniam recepti esse videantur, nec dubito, quin Aventici frequentandi causa similis liberalitas adhibita sit. Alexandriae quidem Troadi praeter milites, qui deducti sunt, certum est ascriptos esse veteres incolas, quibus iam dictator Caesar libertatem atque immunitatem tribuerat [1]. Ac cum primi imperatores, qui omnino parciores in civitate danda erant, rarius hac liberalitate usi essent, frequentius usurpari coepta est, postquam civitas ipsa magis propagabatur. Itaque Claudius cum coloniam Augustam Trevirorum conderet, veteres incolas ascripsit, quam rem testatur Cerialis oratio apud Tac. Hist. IV, 74, Treviros hortantis, ut *urbem, quam victi victoresque eodem iure obtinerent, amarent, colerent.* Quodsi victi victoresque idem ius habebant, utrisque certe erat civitas, nec si veteres incolae habebant civitatem, fieri poterat, ut non inter colonos reciperentur; compluriaque alia in illa oratione sunt, quae Treviros ad civitatem et iuris aequalitatem admissos esse demonstrent. Ac cum Treviris tantum tributum esse videam, vix videtur dubitandum, quin idem acceperint Ubii, apud quos colonia Agrippinensis condita est. Cf. quae supra p. 384 disputata sunt. Idem certe Claudius in Traducta Iulia deducenda vel omnes vel magnam partem incolarum civitate donavit. Vespasianus Caesareae Samariae cum coloniam faceret, si recepit omnino veteranos (dubie enim tradunt auctores, vide supra p. 397; sed magis tamen etiam milites adiectos esse censeo), omnes certe veteres urbis incolas coloniae iure donavit. Neque Traianus aut Hadrianus, quo erant imperii et firmandi et amplificandi studio incensi, ab eo instituto desciverunt. Ut taceam de Dacia, cuius colonias Traianus omni hominum idoneorum genere frequentavit, Hadrumeti et Hippone Diarrhyte, quae civitates antea liberae fuerant, num spretos esse censebimus veteres incolas, iam a superioribus imperatoribus propter insignia de republica merita in magno ho-

1) Nec si tacent aut scriptores aut monumenta, ideo minus in reliquis, quas Augustus deduxit, coloniis factum esse putabimus. Veluti cum apud Grut. p. 546, 2 (Orell. n. 3685) C. Iulius C. f. Voltinia Longinus, qui a Vespasiano emeritis stipendiis Reate deductus est, appellatur *domo Philippis Macedonia*, sic statuo, vel patrem C. Iulium vel avum, cum Philippis colonia conderetur, ab Augusto ex veteribus oppidi incolis ascriptum ac civitate donatum esse. Sic enim malo, quam cum veteranus esset in Augusti exercitu diu civitate donatus, deductum esse in coloniam Philippensem.

nore habitos? Similiterque statuandum erit de iis, quas in Germania deduxit, coloniis. Hadrianus vero, qui tot per omnes provincias civitates honore coloniae evexit, cum vere milites deducebat, non potuit non eadem liberalitate uti. Atque in una Africae colonia Madaura, per aetatem illam condita, certis id indiciis persequi licet. Appuleius enim, nobilis scriptor, qui sub Imperatore Pio vixit, inde oriundus, in Apolog. p. 445 ed. Oud. Seminumidam et Semigaetulum se ipsa appellat; idem p. 447 veteranos, qui certe non ex confinibus Numidiae erant, Madaurae collocatos patremque suum IIvirum in colonia fuisse ait. Iam si pater fuisset ex veteranis illis, sine dubio Appuleius, qui genus suum extollere et imprimis ad originem Romanam referre vellet, commemorasset; cum non commemorarit, intelligitur, genus eius vere fuisse Madaurense et cum colonia fieret, inter colonos receptum. Ex reliquis imperatoribus in M. Aurelii colonia, quae Carrhis in Mesopotamia condita est, licet vestigia quaedam invenire receptorum inter colonos veterum incolarum. Nam Carrhensium nummi cum extent et Latine et Graece inscripti, in quorum utrisque appellatur colonia, quid aliud colligendum est, quam colonos ipsos partim Graecae partim Romanae originis i. e. legionum Romanarum veteranos fuisse? (p. 428). Caracallus autem imperator postquam toti orbi Romano civitatem impertivit, sublatum est hoc, quod aliquando et fuerat et esse potuerat colonorum et veterum incolarum discrimen. Quare in coloniis, quae deinde in Asia deductae sunt, nummos plerumque Graece inscribi invenimus, insigni prorsus documento, quantopere imperium Romanum degenerasset, cuius ipsae coloniae, olim moris Romani propagandi causa institutae, Latina lingua uti vel nollent vel nescirent.

Deinde aequalitatem iuris, in qua ipsa tamen quaedam reipublicae disiunctio esset, existere et potuisse et consuevisse diximus in coloniis, cum cives congregarentur cum civibus. Quo in genere Romanorum morem aperte demonstrant, quae Cic. in Verr. libr. II, 50 de duobus Siciliae oppidis narrat, quae etsi carebant civitate, quid tamen Romani in republica, quae colonis novis aucta esset, constituenda secuti sint, docent. Cum enim anno 207 a. Chr. M. Valerius Laevinus Agrigentum captum graviter punisset atque C. Mamilius praetor civitatis restituendae causa ex vicinis Siculorum oppidis colonos eo deduxisset, P. Scipio, qui ann. 205 Siciliae praefuit, novam rempublicam ex duabus pari iure utentibus partibus compositam ita constituit, ut caveret, ne plures essent in senatu ex colonorum numero quam ex vetere Agrigentinorum. Similesque leges de cooptando senatu et de numero veterum ac novorum senatorum P. Rupilius dedit Heracliensibus, quibus item coloni adiuncti erant. Qua tanta cura si Romani in peregrinis civitatibus usi sunt, quantam adhibitam esse putamus, cum cives consociarentur cum civibus, ne alterutra pars oppressa damnum caperet? Quamquam in veteribus coloniis a populo Romano deductis nullus talis cautionis videtur locus fuisse. Etenim aut tota oppida occupabantur colonia, id quod fere in Latinis et in quibusdam aliam civium Roma-

norum oppidis accidit, aut, quae minores civium coloniae tamquam praesidia quaedam imponebantur, suam seorsum rempublicam videntur habuisse. Tarenti certe quae Gracchorum tempore collocata est colonia civium maritima, constitit diu iuxta urbem Graecam a Laconibus conditam, quae cum initio foederata fuisset (Cic. p. Arch. 3), lege Plautia Papiria civitatem acceperat (p. 392). Similis prorsus erat civitatis Puteolanae ratio. Vetus enim ibi fuit colonia maritima civium, deducta anno 194 a. Chr. (vid. Io. Madvig. de iure colon. p. 301), sed constitit iuxta eam municipium frequentissimum atque opulentissimum usque ad Neronem imperatorem, qui universo oppido ius coloniae donavit (p. 391). Quamquam in hac civitate etiam alia res accessit. Nimirum L. Sulla dictator cum victis Marianorum partibus universam Italiam in potestate sua habere vellet, maximis ac validissimis oppidis colonias imposuit, quae ut suae cuiusque civitatis rempublicam gubernarent, dupliciter effecit. Nam aut veteribus incolis civitatem ademit relicto tantum commercio, ut magnae parti Italiae ademptam esse constat (Cic. p. Caec. 35, 102), quo facto cum illi deteriore condicione essent, quam ii, qui aliquando civitate sine suffragio uti solebant, fieri non poterat, ut reipublicae participes essent, aut, si relinquebat civitatem, ita legem decurionum magistratuumque creandorum mutavit, ut plus tribueret suis colonis. Utraque severitate usus est in Puteolanis. Nam veteri urbi Graecae, quae iuxta coloniam erat, ademptam esse, quam modo acceperat, civitatem indicat Cic. in Rull. II, 31 extr., cum Puteolanos ait *nunc* (i. e. anno 63 a. Chr.) *in sua potestate esse, suo iure libertateque uti*, civitatis et libertatis a colonis oppressae restitutionem, de qua paulo post dicemus, significans; deinde ipsis veteribus colonis adiectos esse novos demonstravimus supra p. 260, cum quibus si conferas Valer. Max. IX, 3, 8, intelligas ab initio dictatorem confisum voluntati veterum colonorum pari iure adiunxisse novos, tum perspecta illorum in se malevolentia novam legem reipublicae scripsisse, qua novis plus tribueret. Sic igitur utrosque Puteolanos in sua potestate habebat, coloniam quidem per suos colonos, reliquum oppidum per coloniam. Similisque fuit condicio Arretinorum, de quibus paulo post dicemus. Nec tamen diu illa Sullae iniquitas servata est [1]), qua sublata illa tamen civitatum in republica sua

1) Legem equidem sublatam esse censeo. Quamvis enim illud Sullae institutum Cic. p. Caec. 33, 97 in re leviore neglectum esse narret etiamtunc vivo Sulla nec dubium sit, quin magis etiam eo mortuo negligi coeperit, quod tamen lege centuriata latum erat, non potuit non abrogari vel lege rursus vel certo senatus decreto, quo lege illa Cornelia, quia contra ac ius esset lata videretur, populus Romanus non teneri iudicaretur (Cic. p. Caec. 33, 95). Quando autem sublata sit, coniectura modo potest inveniri. Nam cum valuisse constet eo tempore, quo Cicero pro Caecina dixit, sublatam autem fuisse ante Ciceronis consulatum, in cuius tot actionibus nullum imminutae civitatis vestigium est, maxime hanc quaestionem agendam fuisse video in censuris, quae inde a Sulla usque ad Ciceronem cos. fuerunt duae, prior anno 70, quo L. Gellius Cn. Lentulus fuerunt, altera ann. 64, quo L. Aurelius

disiunctio constitit, quam luculente ex Ciceronis oratione p. Sulla c. 21 cognoscimus. Accusabatur enim P. Sulla, quod Pompeianos a colonis disiunxisset, *ut hoc discidio ac dissensione facta oppidum in sua potestate posset et Pompeianos habere.* Dissensisse autem colonos et Pompeianos, quorum commoda reipublicae Romanae fortuna disiunxisset, de ambulatione et de suffragiis, quae controversia cum iam multos annos exagitata inveterasset, a patronis et maxime a P. Sulla ita dirempta est, ut neutri demoti, utrique constituti sibi esse viderentur. Hinc certum, a dictatore Sulla Pompeiis in agro veteribus incolis adempto colonos esse collocatos, quorum patronus originis iure esset P. Sulla, incertum, an veteres incolas item civitate deminutos a republica prorsus amoverit; illud rursus certum, sublatis legibus Corneliis cum, quaecunque fuerat iuris inaequalitas, exaequata esset, discordare coepisse veteres et novos Pompeianos cum de publico aliquo aedificio, tum de suffragiis in comitiis magistratuum creandorum, quam controversiam si P. Sulla ita diremisset, ut plus tribueret colonis, fieri poterat, ut non modo colonos (nam ii sponte sua eius causae favebant), verum etiam vetus oppidum in potestate sua teneret. In qua colonia quae iuris diversitas eiusque exaequatio intelligitur [1]), eandem licet in alia colonia Sullana persequi, quae Arretii collocata est. Nam cum Arretinis civitatem esse imminutam constet ex Cic. p. Caec. 33, 97, et colonos Sullanos parte agri adempta impositos ex Cic. p. Mur. 24, 49, apparet, quamdiu Sullae lex valuit, eius colonos solos imperasse, postquam ea sublata est, rempublicam inter veteres incolas et colonos divisam, quare cum eodem nova colonia accessisset dictatoris Caesaris, tria fuerunt in urbe genera incolarum, quae cum una republica, unis decurionibus, unis magistratibus contineren-

Cotta Q. Caecilius Metellus Pius, ex quibus haec excluditur, quod Ciceronem, antequam ann. 66 praetor fuit, pro Caecina dixisse constat (vide C. A. Iordanum in editione orationis Caecinianae, Lips. 1847, p. 135). Relinquitur igitur ann. 70, quo civitas omnibus civibus per tempus belli Marsici faetis restituta esse videatur, quo eodem anno Cn Pompeius consul legem Corneliam de tribunis plebis sustulit (Vellei. II, 30; Liv. epit. 97), ut incertum sit, an idem ille Pompeius eodem tempore et alteram illam de civitate legem Corneliam abrogarit et restitutorum civium causa censuram ab Sulla sublatam (sic enim nunc peritissimi iudices censent) reduxerit. Sic autem etiam tempus, quo Cicero pro Caecina dixerit, in biennium, ann. 72 et 71, contrahitur. Diutius autem valuit, quod L. Sulla de proscriptorum liberis statuerat, quod cum etiam Cicero consul defendendum esse putasset (Cic. in Pis. c. 8), Caesar demum dictator sustulit.

1) Dissentio igitur cum Madvigio in Opusc. Acad. p. 292, qui primum non de colonia Pompeios deducta, sed de colonis oppido vicinis dici ait, deinde cum utrique cives essent, fieri potuisse negat, ut coloni a veteribus eiusdem oppidi civibus disiuncti manerent. Illud vix probabile, quia dissensio de ambulatione et de suffragiis, quae nisi in eadem civitate cogitari nequeunt, fuisse ac Sulla favendis colonis totum oppidum et Pompeianos in potestate sua habere potuisse narratur; hoc exemplis Puteolorum et Arretii refutatur.

tur, etsi omnia pariter civitate utebantur, ita disiuncta erant, ut suum quaeque pars decurionum numerum haberat. Vide supra p. 251. Qui post Sullam milites per colonias et municipia Italiae diviserunt, quamquam nec civitatem veterum incolarum imminuebant nec eorum omnino ius opprimebant, cum minorem numerum deducebant, novos accolas privato quodam collegiorum vinculo coniungi facile, quemadmodum supra expositum est, patiebantur, cum maiorem numerum collocabant, lege civitatis immutanda cavebant, ne novi a veteribus opprimerentur. Ad hanc originem dubito num referendae sint duae partes, quae in colonia Abellinati apud Plin. nat. hist. III, 16, 105 commemorantur, Protroporum et Marsorum, sed certe eo pertinent, quae idem libr. III, 17, 107 habet duo genera Bovianensium, quorum alterum a Sulla, alterum a Caesare deductum esse exposuimus p. 256; eodem *Fabraterni veteres* (Maff. Mus. Var. p. 190, 8 et Orell. n. 102) et *novani* (Grut. p. 1095, 6; Orell. n. 101); eodem *Ferentinates novani*, qui inveniuntur apud Grut. p. 1022, 12 (Orell. n. 101 et n. 1011); eodem *Capenates foederati*, de quibus dictum est p. 305, eodem *Clusini veteres et novi*, quos habet Plin. nat. hist. III, 8, 52, de quibus vide supra p. 257. Ac ne quis putet merum in his nomen, quod originem indicaret, nullam reipublicae disiunctionem relictam esse, pridem in commentatione de Lavinio et Laurentibus Lavinatibus p. 30 exposuimus, cum in municipium Lavinium coloni deducti essent, qui in oppido vicum Augustinorum incolerent, quamquam una constitueretur omnium respublica, videri certum decurionum numerum ex novis, certum ex veteribus incolis creari consuevisse; praeterea utrique parti relictum esse, ut suos patronos et curatores eligerent. Idque confirmant alia exempla. Velut Nolae, quae colonia ab Augusto deducta (vide supra p. 350), commemoratur *decurio adlectus ex veteribus Nolanis* apud Grut. p. 468, 9 (Orell. n. 3975), Lanuvii, ubi item ab Augusto, deinde ab aliis coloni collocati sunt, est *senatus populusque Lanuvinus veteres* apud Grut. p. 253, 6, Augustae Taurinorum apud Grut. p. 478, 7 (Orell. n. 748) nominantur *decuriones alae Gaetulorum*, quae in illam Augusti coloniam ab Vespasiano videtur esse deducta. Cf. de Teano Sidicino p. 352 et de Sutrio p. 351. Item Parentii, in colonia a Traiano condita, cum veteres incolae ascripti essent, observata haec lex; nam apud Orell. n. 3729 est vir omnibus honoribus municipalibus perfunctus, patronus coloniae, qui dicitur *curialis veterum Parentanorum* (p. 402). Neque aliter fortasse erit explicandum, quod colonia Narbonensis, de qua dictum est p. 313, a Pomp. Mel. II, 5 dicitur *Atacinorum Decimanorumque colonia*. Nam vetus ibi fuerat civium Romanorum colonia, quae cum augeretur Caesaris militibus, qui Decimani vocantur, similiter constituenda erat. Certe Forum Iulium, eiusdem regionis illustrem coloniam, cum cognoscam inchoatam ab dictatore Caesare, auctam ab Augusto, quas duas partes colonorum habuisse intelligitur et ex cognominibus *Pacensis* et *Classica* et quod Octavani in ea commemorantur, eas simili ratione disiunctas, sed in unam tamen rempublicam consociatas tenuisse

videatur (p. 315). Cf. etiam, quae de colonia Sitifensi p. 400 et de Tibigensi p. 422 disputata sunt. Unde cum perspiciatur, quanta cura a Romanis adhiberi consueverit, ne origo et vetustas propter speciem aliquam aequalitatis permisceretur, aut, dum ius aequum quaeritur, summa existeret iniustitia, multa, quamvis nihil tradatur, similiter administrata esse intelligamus. Velut cum ab Augusto Caudini adiungerentur Beneventanis, quis non putabit, legem coloniae ita esse constitutam, ne Caudinorum paucitas opprimeretur, aut his non esse concessum, ut suos sibi ipsi patronos separatim ab Beneventanis crearent, aliaque, quibus coniunctio reipublicae non nimis impediretur, administrarent?

Verum haec, quae duo vel plura in una civitate commemorantur incolarum genera, quae cum certis testimoniis in oppidis non paucis persequi liceat, in pluribus fuisse intelligemus, ad originis modo, non ad iuris diversitatem pertinent; nam quod L. Sulla poenae causa inique excogitarat civitatis imminuendae artificium, paulo post in perpetuum abolitum est. At in provinciis quia pauci omnino civitate Romana utebantur, ad originis diversitatem accedebat iuris summa disiunctio. Iis similes erant Galliae Cisalpinae quaedam civitates, quae ad fines extremos Italiae sitae gentes barbaras Inalpinas in potestate sua tenebant. Cum enim ann. 89 a. Chr. Cn. Pompeius consul Gallis Transpadanis, quia fidem in Romanos servassent, ius Latii dedisset (Asc. in Cic. Pis. p. 3 Orell.), eorundem civitates ita constituit, ut iis multas ex gentibus Inalpinis attribueret (Plin. nat. hist. III, 20, 138), cuius exemplum secuti sunt, qui deinde Alpes superarunt, imprimis Augustus, a quo omnes gentes Inalpinas a supero mari usque ad inferum perdomitas esse constet (Plin. nat. hist. III, 20, 136)[1]. Sic igitur factum est, ut reipublicae cum municipiorum illius regionis tum coloniarum duo haberent incolarum genera, quorum alterum et civitate esset praeditum et reipublicae gerendae particeps, alterum careret utroque; neque enim Plinius ullam gentem Inalpinam nominat, quae civitate usa sit. Quae ratio qualis fuerit, in Tergestina maxime colonia cognoscitur, cuius in celeberrimo decreto de honore Fabii Severi gentes in coloniam attributae commemorantur. Huic coloniae Augustus olim regendas ac fruendas dederat duas gentes Inalpinas, quarum una erat Catalorum, alterius nomen incertum est[2]. Iam Catalos hos ex Plin. III, 20, 133 discimus caruisse

1) Ipse Augustus apud Suet. Aug. c. 46, quas condiderat duodetriginta in Italia colonias, vectigalibus plurifariam instruxisse dicitur, quo pertinet, quod de Capua supra narratum est p. 341. Nimirum ex his attributis gentibus reditus maxime ac vectigalia quaerebantur.

2) Unam gentem esse existimat Carnorum Catalorum C. T. Zumptius in editione decreti Tergestini (Berol. 1837), sed dubitationem movet nova lapidis collatio, quam habet C. W. Goettlingius in libro Germanice scripto: Fünfzehn Römische Urkunden auf Erz und Stein (Halae 1845) p. 76, ubi col. II vs. 4 aliter legitur. Nec vero ipsum Goettlingium probo, dupliciter minus recte statuentem, primum

ot civitato et Latinitate, ut, quo tempora attributi sunt, tributum modo coloniae Tergestinae penderent iusque ab eius magistratibus acciperent, nullam aliam cum republica eius communionem haberent. Cum autem paulatim diminuto colonorum numero decurionum munera ad paucos redire eoque oneri esse coepissent, Tergestini eb Antonino Pio impetrarunt, ut Catali et altera illa gens Latinitate donarentur, cuius haec erat vis, ut, qui ex iis Tergeste aedilitatem gessissent, et in curiam allegerentur et civitatem Romanam adipiscerentur [1]. Nec minus aliao eiusdem regionis coloniao videri debent praeditae fuisse vectigalibus, quae ex gentibus attributis colligebantur, veluti Brixia [2]), Ateste, Opitergium, aliae, cf. Plin. nat. hist. III, 20, 24. In Salonam quidem et Naronam colonias quae attributae fuerint gentes barbarae, civitate et Latinitate carentes, diligenter enumerat idem III, 22, 26. Sed aperta est res in Nemansensium civitate, quao cum Augusti tempore Latino iure utens viginti quattuor ignobiliora oppida potestati suao subiecta habuisset, atque a Galba praeterea ex gentibus Inalpinis Avanticos et Bodionticos accepisset, nequaquam item Latinitate donatos (neque enim tale quicquam narrat Plin. nat. hist. III, 4, 37), sed peregrinae condicionis, dubium esse non debet, quin retinuerit, postquam Hadrianus imperator civitatem et ius coloniao dedit. Quod cum supra p. 411 exposuerimus ideo videri factum, quod reliqua Gallia Narbonensis Latinitatem acciperet, manifesta est ratio, eum colonia ipsa civitate, gentes attributae Latinitate i. e. eo iure, quod modo in Tergestina colonia cognovimus, uterentur. Itemque statuendum erit de aliis Galliae Narbonensis coloniis a Caesare vel Augusto conditis, veluti do Arelatensi et Baeterrensi et

quod duas illas gentes esse putat Carnorum et Catalorum (nam Carnorum nomen latius patebat, quam qui uni coloniae attribuerentur), deinde quod ab Antonino Pio attributos esse putat Catalos. Inducitur autem in errorem eo, quod, cum II, 1 litterae Antonini Pii commemorentur, ea quae sunt II, 4 CATALIQVE. ATTRIBVTI. A. DIVO. AVGVSTO ... O ...... CAE. NOSTRAE, expiet *Catalique attributi a divo Augusto Pio reipublicae nostrae*, quae explenda potius: *attributi a divo Augusto quondam reipublicae nostrae*; nam M. Antoninus, ad quam litteras illas refert, Pii nomine caruit. Vide Eckhel. Doctr. Numm. Vol. VII p. 74.

1) C. T. Zumptius l. l. non totam Latinitatem, sed publicam modo eius partem, ut magistratibus gerendis civitatem assequerentur, Catalis datam esse censet, quae sola in Fabii Severi monumento commemoretur. Equidem cum Antonini Pii tempore et Hispanias totas et Galliarum magnam partem et multas ubique gentes Latinitate usas esse videam, vix fieri potuisse puto, ut Catalis ea negaretur. Quodsi quis privatam Latinitatis partem i. e. imprimis commercium, a publica dirimi potuisse existimet, ne hoc quidem alienum videatur statuere, Catalos iam ante Antoninum habuisse commercium, ab illo esse additum ius honorum gerendorum. Nimia enim fuisset disiunctio in colonia, si ne commercio quidem uterentur gentes attributae.

2) Huc quidem contributam fuisse gentem Quorquenorum, de qua dicit Plin. III, 23, 130, colligere licebit ex inscriptione apud Orell. n. 3789, quamquam eam paulo obscuriorem esse intelligo.

Arausionensi, in quibus colonos, quos ex nomine legionis, quod gerunt, facile agnoscas, separatim commemorari diximus supra p. 316 [1]). Magis etiam res demonstrari potest in colonia Equestri, cui attributos fuisse vicanos Genavenses ex inscriptionibus apud Orell. n. 253 et 254 discitur, ipsi tamen hi Genavenses appellantur provinciales apud Grut. p. 477, 4 (Orell. Inscr. Helvet. n. 58), unde inferiore iure eos usos esse apparet. Itemque fuerit in colonia Helvetiorum foederata, Aventico, de qua dictum est supra p. 396. Admodum enim de ea memorabilis est titulus positus decreto vicanorum Minnodunensium apud Orell. Inscr. Helvet. n. 145 (Mur. p. 1102, 5), in quo quidam Q. Aelius narratur his vicanis donasse certam pecuniam, ex qua ludi in illo vico edantur, quodsi ea in alium usum transferetur, dari iubet pecuniam *incolis coloniae Aventicensium.* Iidemque incolae apud Grut. p. 110, 2 (Orell. Inscr. Helv. n. 177) suum genium habere narrantur. Etenim etsi nomen incolarum proprie latius patet, quoniam, ut Pompon. Dig. L, 16, 239 ait *Incola est, qui in aliquam regionem domicilium suum contulit, quem Graeci πάροικον appellant, nec tantum hi, qui in oppido morantur, incolae sunt, sed etiam, qui in alicuius oppidi finibus ita agrum habent, ut in eum se quasi in aliquam sedem recipiant* (cf. Dig. L, 1, 29; Cic. in Verr. IV, 11, 26) — verumtamen cum incolae nomen proprie eo pertineat, ut civitatis non sit particeps, non ut inferiore iure sit [2]), hos Minnodunenses non modo reipublicae Aventicensis, verum etiam civitatis expertes fuisse iudico. Neque aliter statuemus de Hadrumetina colonia, cuius *coloni* nominantur in inscri-

1) Item in aliarum provinciarum coloniis certe non paucis. Veluti unam afferam ex Hispania Norbensem, in quam Plin. nat. hist. IV, 35, 117 contributa esse ait *castra Iulia et castra Caecilia*, stipendiariae condicionis urbes, ut ex recensu intelligitur.

2) Veluti in Praenestina colonia cum apud Grut. p. 181, 1 (Mur. p. 470, 9; Orell. n. 3326) omnibus omnino hominum, qui in oppido commorari possunt, generibus comprehensis *coloni*, *incolae*, *hospites*, *adventores* nominantur, incolas manifestum est dici, quicunque civitate, ut ita dicam, Praenestina carentes in oppido tamen vel agrum compararint vel diutius versentur, quorum longe maxima pars civitate Romana utens ad rempublicam Praenestinam admitti poterat. Item apud Grut. p. 404, 2 *coloni et incolae* Puteolis separatim commemorantur; item Siponti apud Gervas. Observ. de inscript. Sipont. p. 4, et Tarenti apud Mur. p. 1118, 6, et Venusiae apud Donat. p. 350, 2 *coloni* coloniarum ita nominantur, ut tacite opponantur incolis; item Terracinae in memorabili titulo apud Borghes. in Bullett. Inst. arch. ann. 1839 p. 163 *pueris colonis* et *puellis colonis* proponitur pecunia alimentaria, nimirum ut excludantur incolae, item passim in multis civitatibus; nec tamen quisquam horum incolarum necesse est civitate caruerit. At cum Tergeste apud P. Stancovich. de amph. Polens. p. 127 *coloni*, *incolae*, *peregrini*, cum Narbone apud Orell. n. 2489 *coloni et incolae*, cum Salonis apud Orell. n. 2490 *coloni et incolae*, item cum Cordubae apud Grut. p. 435, 4 distinguuntur, quia prope erant gentes et civitate carentes et in colonias illas contributae, merito incolarum nomine eos maxime, qui non sint cives Romani, sed coniuncti tamen cum coloniis, significari existimabimus.

ptione apud Orell. n. 3058. Nimirum antiquitus ea urbs imperabat oppidis circumiectis (vide A. A. T. Rudorff. de lege Thoria p. 101), quae, cum ipsa ab Traiano coloniae ius acciperet, vel servata vetere condicione, vel Latinitate donata in potestate manserunt, idemque statuendum erit de Zamensi colonia, cuius *coloni* reperiuntur apud Grut. p. 364, 1, et de Uticensi, de qua nihil tamen traditur. Eodem in numero habendae erunt Apameensis et Sinopensis coloniae, de quibus cf. p. 378 et 316. Nam de illa cum sic narret Strabo XII, 4, 3 Prusienses, quod fideles in Romanos fuissent, conservatos esse, Apameenses autem coloniam Romanam accepisse, haud dubie significat, poenae ac praesidii loco impositos esse colonos, ut Graecam urbem coërcerent; de hac cum Strabo XII, 3, 11 partem modo urbis et agri ab accolis Romanis occupatam esse scribat, tamen nec Plin. nat. hist. VI, 2, 6 separatim Graecos numerat et Plin. epist. X, 91 unum totius reipublicae corpus esse significat. Atque haec quidem exempla sunt duorum generum hominum, quae cum iure diversa essent, una tamen quasi civitate continerentur; sed illud etiam et poterat fieri et factum esse scimus, ut in eodem oppido essent homines et iuris et civitatis diversitate disiuncti, qui nihil inter se haberent commune, nisi quod eodem loco consederant. Talis fuit illa colonia, quam dictator Caesar Heracleae in Ponto collocavit, de qua dictum est supra p. 317 (nam Romani cum unam urbis partem incolerent, altera tradita erat Adiatorigi regulo), talis Astigitana in Hispania, de qua vide p. 365, iuxta quam Plin. nat. hist. III, 3, 12 commemorat inter liberas civitates Astigi vetus, talis Actiaca colonia (cf. supra p. 376), prope quam qui ex vicinis civitatibus collecti erant Graeci homines, eos libertatem accepisse constat, ut suo iure et suis magistratibus viverent peculiaremque civitatem, quae Nicopolis vocaretur, efficerent, talis Patrensis et Dymensis coloniae, de quibus supra p. 375 satis disputatum est. De Hispalensi colonia (cf. p. 310) subdubito, an, quae duae partes in oppido erant, vere in unam rempublicam coaluerint; nam cum una civitate, altera Latinitate uteretur, vix fieri poterat, ut disiunctae consisterent.

Magnam igitur omnino varietatem in coloniis cognoscere licet, cum vix paucae unius generis et eiusdem iuris homines continerent, longe plurimae aut, cum eiusdem iuris haberent homines, originem incolarum etiam in republica servarent, aut, cum disparia essent iura, ad modum veteris imperii Romani praefecturas quasdam haberent, quarum fructibus augerentur, quaedam denique etiam nullo publico vinculo coniunctae iuxta alienas civitates consisterent, quasi praesidia quaedam tutandi imperii causa imposita. In his rebus versabatur lex, qua quaeque colonia constituta erat, in qua scriptum inveniebatur, quot ex quaque parte decuriones fieri oporteret, quando et quomodo, qui inferiore iure erant, ad communionem reipublicae admittendi essent, quatenus singulis incolarum partibus suis quasi privatis decretis gubernari liceret, quatenus communis reipublicae commodis obtemperare, de quibus rebus etsi tanta erat inter leges coloniarum similitudo, quantam universi imperii ratio postulabat, tanta

tamen erat etiam dissimilitudo, ut genera ipsa significari satis sit pluraque coniecturae ac divinationi relinquantur, quam certis argumentis demonstrari possint. Verumtamen ipsa illa, de quibus diximus, iuris ac condicionis discrimina paulatim exaequata sunt, quod quomodo factum sit cum ostenderimus in Italicis coloniis, imprimis in Tergestina, recte transferri licebit ad alias. Quo magis enim civitas Romana per provincias propagabatur, eo magis, quicquid ex iuris diversitate nascebatur, discriminis peribat, ac, quae ex origine olim orta erat reipublicae disiunctio, ea vetustate delebatur. Accedebat, quod, quae honori olim fuerant, decurionatus, magistratus, omnis reipublicae administratio, oneri esse coeperunt, ut, qui ea cum aliis communicarent, non inviti de iure suo decederent, sed levari sibi viderentur, ex quo genere insigne prorsus testimonium est monumentum Tergestinum, quo usi sumus, quod iam Pio imperante demonstrat homines beneficii loco accepisse, si vetera illa iura permiscere concederetur. Quare cum Caracallus civitatem Romanam per totum imperium communicasset, non dubium est, quin, quicquid in coloniarum civibus fuerat discriminis ac disiunctionis, abolitum sit re quidem; nam nomina vetera ne tunc quidem perierunt. Veluti medio saeculo tertio Valentiae, in colonia Hispanica, apud Grut. p. 274, 1—3, titulos invenio imperatoribus positos a *Valentinis veteranis et veteribus*, inani nominis specie; nam veteres sine dubio dicuntur milites Viriathi olim ibi ann. 138 a. Chr. collocati, veterani, quos dictator Caesar, cum coloniam faceret, deduxerat. Vide supra p. 312.

Caput quartum.

Postquam de interna coloniarum republica ita disseruimus, ut omissis magistratibus, de quibus superioribus commentationibus disputatum est, quatenus quae in quaque colonia vel origine vel genere diversae erant incolarum partes reipublicae participes fuissent, explicaremus, superest, ut universitates coloniarum quo iure usae sint, dicamus, per illud quidem temporis spatium, quod quaestione nostra complecti statuimus. Anno igitur 100 a. Chr., a quo nobis ordiendum est, duo coloniarum genera fuisse constat, unum civium Romanorum, alterum earum, quae quia iure Latii utebantur, Latinae appellantur. Ex his alterum hoc genus sublatum est anno 90 a. Chr. lege Iulia L. Iulii Caesaris, qua cum aliis sociis tum Latinis omnibus civitas data est [1]). Qua lege quam mutationem agri coloniarum Latinarum subisse

1) Non disputabo hoc loco, quibus populis praeter Latinos civitas data sit, qua de re et veteres auctores parum accurate tradere et nostros homines doctos parum consentire video. Unum commemoro quod breviter demonstrari potest. Qui nuper de his rebus scripsit, Ad. Kienius in libro de bello sociorum (Lips. 1845) p. 216 lege Plautia Papiria existimat singulis modo hominibus, qui foederatis

videantur, supra paulo diximus; ipsa quidem eorum respublica nihil est mutata; nam quod plurimi inter colonias et inter municipia discriminis intercedere putant, ut illae habeant IIviros summos magistratus, haec IIIIviros, id discrimen nullum fuisse ea quae est de quattuorviris municipalibus quaestione demonstravimus. Hoc loco commemoro, abolita illa agri Latinarum coloniarum proprietate exaequatoque earum iura cum municipiis sublatum esse etiam ipsum earum nomen ac deinceps municipia appellata, cuius rei plurima a nobis allata sunt exempla, imprimis ubi de Augusti imperatoris coloniis disputabamus. Coloniae igitur nomen inde ab illo tempore haesit in iis, quae civitate Romana utebantur, quae antiquitus propria Romanae appellari consuaevorant [1]). Sed oritur hic mihi dissensio quaedam cum viris doctis, qui, quantum scio, omnes [2]) putant fieri, ut etiam, quae proprie sunt coloniae civium Romanorum, aliquando nominentur municipia, vel eo moti, quod hoc municipii nomen imperatorum temporibus sciunt communiter saepe usurpari de omnibus civitatibus praeter urbem Romam, vel exemplis quibusdam, quae minus recte interpretantur, inducti. Nimirum, etsi ineunte saeculo tertio p. Chr. postquam et civitas cum toto orbe Romano communicata est et omnis municipiorum et coloniarum ratio perturbari coepit, imprimis ab Iureconsultis hic dicendi usus manavit, ut omnia oppida appellarentur municipia, qui eum ad superiora tempora transferre velit, nec satis idoneae opinionis suae testimonia afferre possit et vix quicquam relinquat, cur imperatorum temporibus unquam ius ac nomen coloniae expetitum sit [3]). Quid Plinius ubique di-

civitatibus ascripti tum cum lex ferebatur, in Italia domicilium habuissent et sexaginta diebus apud praetorem professi essent, civitatem datam esse, negat civitatibus ipsis esse datam. Quod cum per se parum credibile sit, tum refellitur insigni exemplo, quod narratur apud Cic. Epist. XIII, 30, 1: *L. Manlius est Sosis. Is fuit Catinensis, sed est una cum reliquis Neapolitanis civis Romanus factus decurioque Neapoli: erat enim ascriptus in id municipium ante civitatem sociis et Latinis datam.* Etenim si L. Manlius civitatem adeptus est una cum reliquis Neapolitanis, totis, opinor, civitatibus foederatis civitas oblata est.

1) Exempla iam collegit Nic. Madvigius de iure et condicione colon. in Opusc. Acad. p. 269. Poterat tamen fieri, ut aliquando, ubi origo civitatum spectaretur, etiam post legem Iuliam colonia Latina appellaretur colonia. Sic Brundisium colonia dicitur apud Cic. p. Sext. c. 63, quia diem natalem eius commemorat, sic *coloni Circeienses* sunt apud Cic. de nat. deor. III, 19, 48, etsi ab eodem de fin. IV, 3, 7 vocatur *municipium Circeiense.*

2) Sed excipiendus tamen Nic. Madvigius de iure et cond. colon. p. 269, qui cum exempla multa attulisset coloniarum Latinarum, quae post legem Iuliam vocarentur municipia, significare videtur, civium Romanorum colonias nunquam ita esse appellatas. Breviter tamen rem attigit.

3) ii autem, qui confusionem illam nominis in coloniis et municipiis statuunt, ex quorum numero cum plerique, tamquam res certa sit, exemplis carere posse sibi videntur, Reinius tamen in Paulii encyclopaed. antiq. Vol. IV p. 231 s. v. municipium aliquot exempla attulit, cum aliis quibusdam

ligentissime colonias a municipiis discernit? quid Italica et Utica magnis precibus impetrarunt, ut coloniae essent? quid tot aliae civitatas pro beneficio acceperunt nomen coloniae, si eo nomine aut ipsae constanter uti nollent aut ab aliis negligi paterentur? Mansit igitur coloniarum et municipiorum discrimen, etiamsi iure paulatim exaequaretur, certe nomine tenus, nec magis quam municipia vocarentur coloniae, factum est uoqoam, ut, quae essent coloniae, non hac, qua rite uterentur, appellatione, sed municipiorum nomine uti vellent. Quamquam duae adhibendae sunt exceptiones. Primum enim, quia inris fere nihil intererat ioter colonias et municipia, atque utraque civitate Romana utebantur, cum communiter urbes civium Romanorum dicuntur, non oportet mirari *municipia* appellari, quodque ad ea pertioet, *municipale*; nam adiectivum *colonicus* bonae illud quidem auctoritatis, sed rari usus est, et fere ad aliam significationem coloniae refertur. Quare Tac. Annal. I, 20 Naoportum ait esse *municipii instar*, item Hist. I, 67 *in modum municipii extructus locus;* Annal. IV, 3 *municipalis adulter*, ibid. IV, 62 *municipalis ambitio*, Hist. III, 57 *municipalis ambitio* de inimicitiis Puteolanorum et Campanorum, ibid. III, 43 *municipalis favor* de colonis Foroiuliensibus. Itaque in inscriptione apud Orell. n. 3729 idem homo *patronus coloniae Ulpiae Parentii* et *omnibus honoribus municipalibus functus* dicitur; item Brixiae apud Vioacc. Mem. Brix. p. 104 et 119, nec quisquam haec ioter se pugnare existimabit. Altera est exceptio, cum oivitas aliqua vel posuisse vel dedicasse narratur aliquid *municipi suo*, unde qoi colligat, eam, quae posuerit, esse coloniam, magnopere labatur. Quo enim alio nomine uterentur Latine? Si colonum *suum* dixissent, non coloniae civis intelligeretur, sed is, qui agrum a domioo conducere solet, quod genus hominum vocari colonos certum est. Cf. Ulpian. in Dig.

---

erroribus ioducuntur, tum his duabus opinionibus, primum quod tempora permiscent (potest enim sane idem oppidum alio tempore colonia dici, alio municipium), deinde quod in quamcunque urbem coloni deducti sunt, eam coloniam et fuisse et appellandam esse iudicant: quae opinio saepe a nobis refutata est. Ex hoc genere est, quod Reinius miratur Vaios dici municipium, de quo cf. supra p. 357, ex illo, quod Apulum appellatur sane aliquando municipium Septimium, cuius rei rationem indicavimus p. 405. Ex reliquis exemplis a Reinio allatis Lucam et Viboonem Valentiam non sine causa statuimus fuisse aotiquitus colonias Latinas (vide p. 349 et Madvig l. l. p. 270), ideoque recte dici municipia a Cic. Epist. XIII, 13 et in Verr. V, 16; Lavicum ita vocari satis excusat Madvig.; Augusta Vindelicorum ounquam fuit colonia (cf. p. 403); de Augusta Raetorum et obscura inscriptio apud Orell. n. 491 nec quicquam hec pertioet; denique in alia inscriptione apud Orell. n. 208 Nomentum, non colonia Victricensis Camaloduni vocatur muoicipium (cf. p. 389). De Puteolis quidem et Cirta paulo post disputabitur. Rectius longe hoc loco afferri poterant illa exempla trium coloniarum Africanarum, quae commemoravimus p. 381 et 422. Sed cum ea et sola sint et parum bonis auctoribus citantur, in tanta civitatum Africanarum confusione errorem aliquem versatum esse malo, quam consuetudinem statui a re ipsa et a more Romano alienam.

L, 1, 1, 2. Itaque Fronto Epist. II, 6 ad magistratus et decuriones coloniae Cirtae scribit: ***Aufidium Victorinum, quem in numero municipum habetis***, nec potuit aliter scribere, nisi ambigue loqui vellet. Similia multa exempla ex inscriptionibus colligi possunt, veluti cum in Marm. Taur. I p. 127 quidam Taurinensis coloniae civis narratur balneum et piscinam ***municipibus suis*** dedisse, apud Grut. p. 454, 8 de colonia Auximati est ***ob eximium inter municipes suos amorem***, apud Orell. n. 4007 Beneventanus aliquis opus quadrigae ***municipibus suis*** obtulisse (cf. de Vit. Inscr. Benev. p. 24, 30), apud Grut. p. 151, 3 aliquis viam ***Suessanis municipibus*** fecisse, apud Orell. n. 3062 de Mediolanensi colonia aliquid ***communicipibus suis*** dedisse dicitur. Quae qui statuet nisi de municipiis eorumque civibus dici non potuisse, et iniquius, quod fieri per orationis Latinae rationem non poterat, postulabit et in incredibilem confusionem incidet. His autem exceptionibus diligenter observatis illa norma tenenda erit, ut et municipia et colonias suo utraque nomine appellari censeamus neque ullam admitti confusionem. Neque ulla unquam reperitur in nummis, id quod magno debet esse documento, ut Eckhel. Doctr. numm. Vol. IV p. 470, quamvis Spanhemii auctoritate deceptus minus recte iudicaret, nullum tamen ex iis suae opinionis testem afferre posset. At in inscriptionibus multa eiusmodi nunc legi non dissimulabo, quae partim corruptione partim mala interpretatione, partim denique fraude effecta sunt. Velut illum quem supra citavi Beneventanum titulum cum male intelligeret Ligorius, finxit alterum apud Gud. p. 61, 4, in quo Beneventum dicitur municipium, idem eadem de causa apud Grut. p. 77, 14 ementitus est ***municipium Hispellum***, idem apud Orell. n. 1857, ut videtur, ***municipium Cumas;*** idem apud Mur. p. 1101, 6 ***municipium Asculum***, ac plurima similia possem afferre, si in fraudibus ac mendaciis inscitia coniunctis diutius versari vellem, praesertim ex quo genere supra, cum singulas colonias persequerer, satis multa commemorata esse meminerim. Hoc affirmo, nullam mihi cognitam esse inscriptionem, cuius et fide examinata et sententia accurate explicata invenerim eam, quam coloniam fuisse constaret, eodem tempore municipium esse appellatum.

Iam cum constet de duabus his rebus, et civitatem habuisse colonias, et praestare visas esse municipiis, a quibus iure ac nomine diversa essent, fuit tamen quoddam inter ipsas colonias discrimen. Non dico, quod quaedam appellantur ***metropoles***; nam hoc et commune cum municipiis erat et ad ea magis tempora pertinet, quae ultra propositum nostrum excedunt [1]). Verumtamen aliae coloniae appellantur ***immunes***, paucae ***liberae***, complures ***iuris***

1) Primum quidem est eius rei certum vestigium imperante Hadriano, de quo Spartian. c. 14 narrat: ***Antiochenses inter haec ita odio habuit, ut Syriam a Phoenice separare voluerit, ne tot civitatum metropolis Antiochia diceretur***, qui quod voluerat, perfecit, siquidem Tyrum ab eo Phoenices metropolim appellatam esse auctor est Suidas. Omnino autem metropoles appellatae sunt coloniae

Italici. De duobus illis generibus exigua memoria est multoque plures videntur fuisse quam nominantur, de hoc satis multa traduntur, quo eum illa quasi comprehendantur, si de hoc dixerimus, illorum simul ratio explicabitur. Quamquam ne de iura quidem Italico omni ita nobis disputandum erit, quasi res integra sit, de que cum alii at pridem et nostra aetate prudenter disseruerint, tum Car. Frid. Savignii extet commentatio praestantissima [1]). Quid enim ea, quae recte ab aliis disputata sunt, repetere attinet? quae si quis cognoscere velit, ex illorum libris commodius petat. Sed quaedam tamen nobis etiam nunc videntur ad omnes locos, ex quibus quaestio de iure Italico constat, esse disputanda, ut alia emendentur, alia, quae nundum quisquam attigit, in disceptationem vocentur.

Princeps longe omnium de iure Italico auctor est Paullus, ex cuius libro altero de censibus excerpta afferuntur in Dig. L, 15, 8. Ea excerpta produnt has civitates, quae ius Italicum habeant: ***in Lusitania Pacenses, sed et Emeritenses;*** tum ***Valentinos et Illicitanos***; in Gallia ***Lugdunenses*** et ***Viennenses***; ***in Germania inferiore Agrippinenses***; ***Laodiceam in Syria et Berytum in Phoenice***, tum ***Tyriorum civitatem***, tum ***Emisenorum civitatem***; ***in provincia Macedonia Dyrrhachenos***, ***Cassandrenses***, ***Philippenses***, ***Dienses***, ***Stobenses***, ***in provincia Asia duas***, ***Troadem et Parium***; ***in Pisidia coloniam Antiochensium;*** in Africa ***Carthaginem***, ***Uticam***, ***Leptim magnam.*** Haec excerpta qui diligenter considerabit, Paullum intelliget voluisse omnes urbes iuris Italici nominare. Manifesta res est in provincia Asia, in qua duas ait esse iuris Italici, quas nominat, incerta, sed tamen probabilis in Africa, in Pisidia, in provincia Macedonia, in Germania inferiore, in Lusitania. Nam ut extremae huius provinciae exemplo utar, in Lusitania cum ait ***Pacenses***, ***sed et Emeritenses iuris Italici*** esse, quoniam provinciae nomen praemittit, si minus eum accurate dixisse statuas, potest illud

---

hae: in Dacia ***Sarmizegethusa***, de qua cf. p. 404, reliquae in Asia, quas recenset Eckhel. Doctr. numm. IV p. 275, ***Antiochia*** Syriae, quae iam antequam colonia fuit, eo nomine usa est, ***Bostra*** Arabiae ab Philippe, ***Caesarea*** Samariae ab Alexandro Severo, ***Carrhae*** Mesopotamiae a M. Aurelio, qui coloniam fecit, ***Damascus*** ab Hadriano, ***Edessa*** a Macrino, ***Emisa*** ab Elagabale, ***Laodicea*** a Septimio Severo, qui idem postea coloniae ius tribuit, ***Nisibi*** ab Alexandro Severo, ***Sidon*** ab Elagabalo, ***Tyrus***, quae antequam a Septimio Severo colonia facta est, fuerat. Cf. Gothofred. ad Theod. Cod. l. 11 de medicis et profess. (XIII, 3) et de ***Beryto*** Iustin. Cod. l. unic. de metropoli Beryto (XI, 21). Qua iu re situm fuerit hoc ius etsi operae pretium est exquirere, hic tamen dicendi non est locus.

1) Ea primum scripta erat in commentationibus academiae regiae Berolinensis ann. 1814—1815 p. 41—54 (annal. iurisprud. hist. Vol. V p. 242 sq.), nunc cum additamentis variis repetita extat in eiusdem auctoris Scriptis variis (Berol. 1850) Vol. I p. 29 sq. Ipsi etiam exiguum aliquem locum de inscriptionibus Latinis ad ius Italicum pertinentibus absolvimus in annal. iurisprud. hist. ann. 1848 p. 1 sq.

quidem fieri, ut alios oiusdem iuris essa cognorit, sad praestat tamen ICtum accurate dicere assuetum accurate intelligere, ut, etiam cum errori hominum non undiquo prospexerit, proprie tamen ot id ipsum, quod verba significant, locutus esse videatur. Idquo in Lusitania quidam eo magis statuondum est, quia addit *sed et Emeritenses*, ut, quod antea oblitus erat, doinde, no quis erraret, adiecisso se significet. Supersunt, in quibus res vere incerta sit, Valentini et Illicitani, deinde Gallicae duae civitates, denique quas § 4—8 commemorat Syriae provinciao civitates. In his ut minus clara dicoret, videtur fuisso causa cum fortasse alia, tum haec, quod in Hispanis et in Syria quaedam civitates commomorandae erant, quae partem modo iuris Italici haberent, in quibus propter eam ipsam rem error quidam nasci posset. Quae cum ita sint, necessario in eam sententiam deducimur, ut in his ex Paullo excerptis omnes civitates iuris Italici, quae quidem eius aetate i. e. imperante Elagabalo essent, nominatas esse existimemus. Tria huic sententiae videantur adversari. Primum enim, cum Celsus in l. 6 eiusd. tit. Dig. coloniam Philippensem, Gaius l. 7 ibid. Troadem, Berytum, Dyrrhachium iuris Italici esse dicant, Ulpianus tamen l. 1 ibid. quinquo habet Daciae provinciae colonias, quas iuris Italici essa ait, Zernam, Sarmizegethusam, Apulum, Napocam, Patavicensium vicum, quae non inveniuntur apud Paullum. Cuius rei quae causa essot, nesciremus prorsus, nisi quaedam ex inscriptionibus fieret significatio. Ex iis enim supra p. 405 demonstratum est, ipso hoc tempore, quo Paullus et Ulpianus illos libros, ex quibus excerpta extant, scripserunt i. e. imperante Elagabalo, coloniam Apulensem, quam Ulpianus commemorat, nullam amplius fuisse: erat pro eo municipium, quod a conditore suo appellabatur *Septimium*. Quid igitur accidisse dicemus? Nempe hoc, ut Ulpianum, qui alio consilio ac Paullus uteretur, quasdam colonias iuris Italici (nam nequaquam eum id egisse, ut omnes nominaret, facile apparet), de quibus in libris legisset, non eas, quas suo tempore extare sciret, afferre putemus; nam municipium illud Apulense, quod Elagabali tempora erat, iure dubitari potest, num ius Italicum habuerit. Quodsi Apulensem coloniam Elagabali aetate nullam fuisse constat, vexatam a barbaris, parum videtur simile veri, ceteras Daciae colonias, quas Ulpianus nominat, mansisse integras, praesertim cum et eum, qui Elagabalo successit, Alexandrum Severum audiamus cum barbaris ipsi Italiae imminentibus vehementissime pugnasse et mire sic accidat, ut Dacicarum coloniarum, quae Septimium Severum et Caracallum, post Gordianum et Traianum Decium titulis celebrarunt, nullus titulus notus sit aut Elagabalo aut iis, qui proximo successerunt, imperatoribus positus. Quare, etsi haec vestigia persequi et difficile est propter auctorum inopiam neque certo hic attinet, hoc tamen statui poterit, non sine iusta quadam causa Daciae colonias a Paullo, quamvis omnes iuris Italici civitates enumerare vellet, esse praetermissas. Deinde ab Ulpiano, quas Paullus non habeat, afferuntur Heliopolis, Ptolemais, Palmyra, Sebaste, Apamea, Sinope, Selinus sive Traianopolis, quae solent sane a viris doctis in numero civitatum iure

Italico praeditarum recenseri. Quod equidem minus recto fieri intelligo. Nam has colonias cur commemoret omnino Ulpianus, paulo post viderimus; nunc eum, qui eius verba accurate interpretetur, dubitare non posse perspicio, quin iure Italico eas carere Ulpianus dicat. Etenim de Heliupoli sic ait: ***Est et Heliupolitana*** (colonia), ***quae a divo Severo per belli civilis occasionem Italicae coloniae rempublicam accepit.*** Iam, cum ius Italicum et in immunitate et in libertate positum fuisse omnes viri docti consentiant, quod Ulpianus de Italicae coloniae republica habet, ad libertatem solum pertinere posse, non item ad immunitatem apparet; immunitas enim cum republica, quae magistratibus continetur, nihil habet commune, siquidem ab antiquissimis temporibus civitates et suis et Romanis magistratibus utentes vidernus fuisse immunes. Itaque sic potius statuemus, ab Ulpiano Heliupolim dici alteram partem iuris Italici habere, altera carere. Quodsi hanc coloniam non fuisse iuris Italici constat, manifestum est in reliquis sex, quas diximus. Nam Ptolemeenses Ulpianus ait ***nihil praeter nomen coloniae habere***, Palmyrenam civitatem ***in provincia Phoenice prope barbaras gentes et nationes collocatam***, in Sebastenam civitatem ***a divo Severo coloniam deductam***, ***in Bithynia esse*** coloniam Apamoensem, ***in Ponto*** Sinopensem, ***in Cilicia*** Traianopolim, ut de iure Italico nulla prorsus fiat mentio. Quibus demptis coloniis de numero earum, quae ius Italicum habuerint, item Dacia, cuius obscura illa quidem, sed tamen a reliquo imperio diversa erat ratio, quae reliquae fiunt iuris Italici civitates, earum nulla est apud Ulpianum, quae non eadem apud Paullum reperiatur. At, quod tertio loco a nobis positum est, etiam Plinius in naturali historia commemorat ius Italicum. Primum libr. III, 3, 25 duabus coloniis Hispanicis, Accitanae et Libisosanae, ***ius Italiae*** datum esse ait. Hoc si nihil differre ab iure Italico sumemus (nec differre videri deinceps demonstrabimus), merito poterit dubitari, an per longum illud temporis spatium, quod inter Plinium et inter Paullum interiectum est, iura Hispaniae provinciae mutata sint, velut Barcinonenses, quos Paullus immunes esse ait, Plinii silentium coarguit illa aetate nondum fuisse immunes. Similiterque statuendum erit de altero Plinii loco, quo ius Italicum invenitur, libr. III, 25, 139, qui est hic: ***Ius Italicum habent eo conventu*** (i. e. Scardonitano) ***Alutae, Flanates, a quibus sinus*** (Flanaticus) ***nominatur, Lopsi, Varvarini immunesque Asseriates et ex insulis Fertinates, Curictae.*** Hic locus, ut nunc legitur in editionibus, recte intelligi nequit. Si enim ius Italicum hoc Plinii idem est ac de quo ICti disputant (atque esse idem paulo infra dicemus), quoniam imprimis immunitatem continet, ineptum erat dicere immunitatem habere immunes Assesiates [1]). Quare emendata inter-

1) Parum adiuvat sententiam Walterus in hist. iurisprud. Rom. I p. 386, cum Assesiates ait pleniore aliqua immunitate usos esse, quam reliquas civitates iure Italico praeditas, conferens fr. 17, 1 Dig. de excus. (XXVII, 1). Nec nego equidem in ipsa immunitate quosdam fuisse quasi gradus ipsi-

punctione sic intelligendus Plinius, ius Italicum habere Alutas, Flanates, Lopsos, Varvarinos, immunesque esse Asseiates et ex insulis Fertinates, Curictas, quae ipsa sententia etiam ab Latinitate magis commendetur. Simillima igitur est Plinii dicendi ratio ac Paulli, cum ait: *Idem ius* (Italicum) *Valentini et Illicitani habent. Barcinonenses quoque ibidem immunes sunt.* Iam hos quattuor qui reliqui fiunt populos, Alutarum, Flanatium, Lopsorum, Varvarinorum, cur a Paullo praetermitti putamus? Ideo certe, quia eorum ius ante eius tempora mutatum est; nam universam condicionem civitate Romana, qua eos Plinii aetate caruisse demonstrabimus, accepta mutatam esse constat.

Effectum videtur esse, ut, quae tria Paullo iuris Italici civitates recensenti adversari possint, alio pertinere docuerimus, nec quicquam supersit, quin Paullum, quod consilium quodammodo ipse profiteatur, id recte etiam executum esse statuamus. Sed ex illis, quibus ius Italicum tribuit, civitatibus nonne mirum est, unam modo esse, quae, quantum auctorum silentium existimare iubet, municipium fuisse videatur, reliquas omnes certis testimoniis constare fuisse colonias? Nec tamen in ipsa hac una civitate Stobensium illud prorsus excluditur, ut non videatur etiam coloniae ius accipere potuisse. Nam cum eius nummi extent inde a Vespasiano usque ad Elagabalum, in quibus scriptum est constantissimo *municipium Stobensium*, quidni ab ipso hoc Elagabalo coloniae iure donari potuit? Certe memorabile est, quod post Elagabalum nulli reperiuntur Stobensium nummi, ut incertum sit an civitas accepto per Elagabalum et coloniae nomine et Italico iure monetae suae ius amiserit. Accedit, quod eas civitates omnes, quas Ulpianus et Paullus etsi negant iuris Italici esse, afferunt tamen in disputatione de iure Italico, quasi aliqua de iis dubitatio possit existere, i. e. Heliupolim, Palmyram, Caesaream, Aeliam Capitolinam, Antiochiam Syriae, Apameam, Sinopen, Selinuntem, constat fuisse colonias: unde prorsus haec in ICtorum animis videtur fuisse sententia, nullam posse esse civitatem iuris Italici, nisi quae eadem coloniae iure utatur. Unum omnino est, quod huic coniecturae opponi possit, quod affert Savignius de Stobensibus disputans, si Elagabalus bis coloniae ius donasset, commemoraturum fuisse Paullum, qui reliquas colonias a Septimio Severo et Caracallo et Elagabalo iure Italico donatas auctorum nominibus appositis recensaat, nec tamen hanc, quae ex similitudine colligitur, regulam satis rectam esse aperte ostendit exemplum Laodiceae, de qua sic habet Paullus, nullo nominato auctore: *Laodicea in Syria et Berytos in Phoenice iuris Italici sunt;* atque ipsi illi Laodiceae a divo Severo ius Italicum concessum esse scribit Ulpianus. Quare, cum nihil sit, quod adversetur, illa autem viginti

que paulo post de ea re disputabimus, sed nominare debebat hanc pleniorem immunitatem Plinius, nisi inepte loqui vellet. Itaque, ut facile ferrem sic dicentem: *Immunes sunt Asseiates, qui etiam tutelae excusationem habent*, ita non fero *immunes esse Asseiates, qui immunes sint.*

et unius civitatum, quae cum iure Italioo nomen coloniae coniunctum habent, similitudo unius diversitatem non admittat, supra p. 434 faciendum esse putavimus, ut Stebenses inter colonias ab Elagabalo factas recenseremus. Quamquam qui hinc, quod Elagabali et Paulli Ulpianique aetate quae ius Italicum habebant civitates, eaedem erant coloniae, item semper, ex quo coepit omnino ius Italicum, fuisse opinetur, minus recte videatur colligere. Nam Plinii quidem aetate non fuisse infra demonstrabimus, ac dubius est etiam Ulpiani locus: (iuris Italici est) *Patavicensium vicus, qui a divo Severo ius coloniae impetravit*, quem si accurate dixisse statuas, sic intelligas necesse est, Patavicensium vicum iam antea, inde a Traiano opinor, habuisse ius Italicum, a Septimio Severo additum esse ius coloniae. Paulatim imprimis ICtorum opera ad certas quidque normas ac rationes exigentium illa introducta est opinio, ut, quae civitas iure Italico uteretur, ea iura quasi ac specie translatis Italiae finibus colonia appellanda esse videretur [1]).

Pervenimus deinceps ad ipsum Ius Italicum, quibus in rebus situm fuerit. Ac viri docti, sententiam imprimis Savignii V. Cl. sequentes, tres eius quasi partes esse statuunt, quarum prima est *immunitas*. Immunitatis autem rursus duae sunt partes; nam et ex capite tributum solvitur et ex solo. Utramque harum immunitatum opus fuisse ad ius Italicum constituendum docent, quae de Caesarea et Aelia Capitolina apud Ulpianum et Paullum leguntur. Ille enim sic ait: *In Palaestina duae fuerunt coloniae et Caesariensis et Aelia Capitolina, sed neutra ius Italicum habet.* Quae cum caruerint iure Italico, mirere, cur omnino nominentur ab Ulpiano. Causam explicat Ulpianus, qui iuris Italici a quibusdam habitas eas esse significat propterea quod immunitatem habebant. Sic enim scribit: *D. Vespasianus Caesarienses colonos fecit, non adiecto, ut et iuris Italici essent* (quod si adiecisset, non dubium erat, quin nec capitis nec soli tributum solvere deberent), *sed tributum his remisit capitis: sed divus Titus etiam solum immune factum interpretatus est. Similes iis Capitolienses esse videntur.* Alterutra immunitate si caruissent hae coloniae, neque cuiquam visae essent ius Italicum habere, neque causa earum nominandarum esset. Nunc cum eam partem, quae plerisque hominibus longe praecipua ex toto iure Italico videbatur, haberent, ICti tamen, quia libertate carebant, iuris Italici fuisse negant. Itaque Paullus plurali numero usus Antiochenses Syriae a Caracalla ait colonos factos esse *salvis tributis*. Iam de horum tributorum ratione quae satis longa iniri possit quaestio, a me, quia parum huc pertinet, omittetur; sed singulae de utroque tributo fient observationes. Atque illam quidem immunitatem, quae a tributo ca-

1) Ad eandem igitur prope devenimus sententiam, quam amplexus est Puchta in Institutionibus iuris Romani Vol. I § 94 et 95, in eo ab nobis tamen discedens, quod coloniae ius cum iure Italico semper coniunctum esse putabat.

pitis erat, apparet hominum fuisse propriam. Inde duo efficiuntur, primum ut coloniae iuris Italici cives, etiamsi extra coloniam suam habitarent, a tributo capitis immunes fuerint, dum alii civitati ascriberentur, deinde ut, si qui alienae civitatis cives in colonia iuris Italici considerent, non fuerint a tributo capitis immunes. Illius rei exemplum afferre nequeo, sed similitudinem tamen aliquam commemorabo. Nam Iliensibus, qui erant ex colonia iuris Italici, cum aliam omnem immunitatem fuisse constat, tum hanc, ut tutelae excusationem haberent, scilicet eorum pupillorum, qui Ilienses non essent (Ulpian. fr. 17, 1 Dig. de excus. 27, 1). Haec immunitas vel exigua admodum vel nulla erat, nisi retineretur etiam cum Ilienses inter alienos cives considerent. Similiter igitur ius Italicum civitatis hoc tribuabat, ut, si qui singuli in alia civitate habitarent, tributum tamen capitis non solverent. Alterius rei insigne exemplum reperitur in inscriptione Barcinonensi apud Grut. p. 378, 1. In ea L. Caecilius Optatus, postquam centurio fuit in legione VII Gem. Felic. et leg. XV. Apoll., dicitur *missus honesta missione ab imp. M. Aur. Antonino et Aur. Vero Aug.*, *adlectus ab Tarr. inter immunes*, *consecutus honores aedilicios IIvirales* cet. Sed ibi magna quaedam existit difficultas. Nam illud, quod est *adlectus ab Tarraconensibus inter immunes*, dupliciter minus videtur esse rectum. Primum enim nec Tarraconensem coloniam unquam scimus fuisse immunem, cum constet de Barcinonensi, et, quemquam aliqua etiam cum Tarraconensibus L. Caecilio intercessit necessitudo, tamen non modo titulus ipse Barcinone est positus, verum etiam honores aedilicii et IIvirales, cum nulla alia nominetur respublica, certe ad Barcinonensem pertinent. Quare longe sane probabilius est, a Barcinonensibus allectum esse L. Caecilium quam a Tarraconensibus. Verum accedit aliud. Quid enim? Num licuisse arbitramur civitatibus immunibus, quoscunque vellent, sibi ascribendo vectigalia imperii minuere? Credi id quidem nequit, ac nimium erit, etiamsi numerum, quem liceret ascribere, lege praescriptum fuisse putabimus [1]). Quare cum per se ipsa parum probabilis sit Gruteri lectio, tum auctores inscriptionis ita dissentiunt, ut ipsum hoc Tarraconensium nomen incertum esse fateantur. Ac Smetius quidem, qui titulum non a se ipso visum, sed acceptum ab aliis refert, sic exhibet *adlectus ab his* (i. e. imperatoribus M. Aurelio Antonino et Aurelio Vero) *inter immunes*,

1) Neque omnino videtur civitatibus permissum fuisse, ut alienos homines sibi ascriberent. In lege reipublicae erat, quando quisque eius fieret civis, licebat etiam honores tribuere, licebat allegere in senatum, sed colonum vel municipem decreto decurionum fieri non licebat. Cuius rei unum mihi per inscriptiones Latinas notum est vestigium, apud Grut. p. 489, 7 (Gor. Inscr. Etrusc. I p. 28, Orell. n. 3711), ubi C. Umbricius videtur dici *colon(us) adlectus decreto decurionum Florentinorum*. Sed ipse ille locus eius inscriptionis incertus est; varie enim ab auctoribus exhibetur; quare longe videtur praestare de decurione allecto intelligere vel aliter errorem, qui ibi versatus est, tollere. Cf. supra p. 253 et 337.

Idque haud dubie verius existimandum altera lectione. Imperatorem enim, qui totis civitatibus immunitatem tribuere posset, licebat eandem dare singulis hominibus de se bene meritis. Verumtamen, utut de potestate allegendi iudicabitur, illud erit intelligendum, fuisse in Barcinonensi civitate et qui essent immunes (neque haec immunitas pertinere potorit nisi ad tributum capitis) et alios, qui non essent immunes. Quod si ita erat in civitatibus immunibus, item necesse erat in iis, quae iure Italico uterentur, cuius iuris magna pars hac ipsa immunitate contineretur.

Atque ut haec immunitatis pars hominum tota erat propria, ita altera, quae in soli libertate posita est, etsi ad solum proprie pertinet, coniuncta tamen aliquando erat item cum hominibus. Etenim sic quaeri potest, illa soli immunitas utrum ita fuerit cum solo coniuncta, ut, quicunque possideret, nihil ex eo solveret, an ex hominibus quasi penderit, ut, ex colonia iuris Italici si quis possideret, nihil solveret, sin alienus civis, solveret. Iam nemo dubitabit, si civis coloniae iuris Italici vel immunis civitatis in aliena civitate comparasset agros, quin tributum ex iis solvere debuerit, aut ingens erat illa immunitas et a solo, in quo versatum esse supra diximus, prorsus disiuncta. Similiter igitur quaeritur, si alienus civis in colonia iuris Italici agrum comparasset, utrum ex eo solverit necne. Qua de re cum difficile sit decernere, aliqua tamen ex Paullo, quem accuratissimum de Iure Italico auctorem esse diximus, significatio peti potest. Quid enim est, quod sic ait: ***Laodicea in Syria et Berytus in Phoenice iuris Italici sunt, et solum earum?*** Cur apponitur ***et solum earum***? Ideo nimirum, quod poterat aliqua civitas iuris Italici esse etiam ita, ut solum non esset eiusdem iuris. Nam si soli ius Italicum continebatur civitatis iure Italico, ineptum erat ita dicere. Duae igitur res ex hoc loco conficiuntur, primum iuris Italici fuisse eas civitates, in quibus solum ipsum non esset eiusdem iuris, deinde fuisse quasdam civitates, in quibus etiam solum iure Italico praeditum esset. Ac rursus, si quae Paulli excerpta de iure Italico supersunt (nam reliquorum auctorum verba non ad eandem severitatem videntur esse exigenda, quamquam ne hi quidem nisi in uno Dyrrhachenorum civitate discrepant) diligenter exploremus, alias civitates iuris Italici appellari videmus nominibus incolarum, veluti Pacenses, Emeritenses, Valentinos, Illicitanos, alias nominibus urbium. In his solum ipsum videtur esse iuris Italici i. e. immune, ut, quisquis possidet, sive ex ipsa colonia sive ex alia civitate est, nihil ex eo tributi pendat, in illis ius Italicum ita communicatum esse cum civibus et solo, ut si cives possideant, nihil solvant, sin alieni homines, solvant. Vereor prope ne quibusdam ultra id quod liceat interpretando progredi videar. Sed versamur tamen in ICto, cuius verba ipsa acutissimi interpretis lima examinanda sunt et, cum constet fuisse illud discrimen, ad inveniendum illud nulla alia ratione perveniemus. Confirmat autem nostram interpretationem, quod ea urbs, quam plenissima omnium rerum immunitate usam esse ex Ulpiani, quod supra allatum est, testimo-

nio scimus, Troas, non incolarum, sed urbis nomina appellatur. Quae cum ita sint, duo quasi gradus inveniuntur immunitatis soli, onus, qui ubi ad alia quaedam accedit, ius Italicum efficit, in quo utpote minore, plures sunt civitates, alter, qui excedit ipsum ius Italicum, in quo sunt Laodicea, Berytus, Troas, Parium, Carthago, Utica, Leptis magna; nam ubi civitas aliqua aut colonia iure Italico uti dicitur, immunitatem soli cum civibus vel colonis coniunctam fuisse, non per se ipsam valuisse existimo [1]).

Alteram iuris Italici partem plurimi viri docti prorsus consentiunt positam fuisse in quadam reipublicae libertate, quae tamen qualis fuerit, vel nescitur vel minus recte exponitur. Nec vero dubitari a quoquam debuit, quin haec, qualiscunque fuit, libertas ad ius Italicum efficiendum utique necessaria esset. Etenim eius rei tria afferemus argumenta. Primum quod Ulpianus ait esse Heliupolim. quae a divo Severo per belli civilis occasionem Italicae coloniae rempublicam acceperit, aperte ostendit, Italicarum coloniorum i. e. earum, quae Italico iure uterentur, proprium aliquod fuisse ius in republica regenda; nam cum vox reipublicae ipsa ad magistratus et genus regendi pertineat, tum Heliupolim iure Italico caruisse supra docuimus. Tum Caesaream et Aeliam Capitolinam cum negent iuris Italici fuisse Paullus et Ulpianus, immunitate autem omni praeditas fuisse dicat Paullus, quoniam ius Italicum praeter immunitatem sola libertate conficiebatur (confectum autem iis duabus partibus postea demonstrabimus), sequitur, ut et coloniae illae duae iure Italico caruerint, quod libertate carerent, et libertas in iure Italico fuerit. Denique illud animadvertendum, quod quinque colonias iuris Italici constat libertate esse usas, Laodiceam, Berytum, Tyrum, Troadem, Parium; nam in nummis earum invenitur signum Sileni stantis, quo Sileno libertatem significari doctissime demonstravit Eckhel. Doctr. Numm. IV p. 493. Iam cum Hispanicarum coloniarum ultra Tiberium, Gallicarum et Dacicarum nulli omnino reperiantur nummi, neo magis Dyrrhachenae et Uticensis et Stobensis ulli, Carthaginiensis pauci et incerti, fit, ut sex supersint, Emisena, Cassandrensis, Philippensis, Diensis, Antiochena, Leptitana, in quibus idem signum esse velis. Nec vero necesse erat libertatem in nummis significari, in quibus cum ipsum coloniae nomen non raro omissum esse viderimus, quid miremur aut vetustatis egregium aliquod facinus aut auctoris memoriam aut dei alicuius sacro praelata esse libertatis signo? Neo quod praeter colonias iuris Italici aliae coloniae eodem signo utuntur, quae sunt Bostra, Damascus, Develtus, Neapolis Samariae, Patrae, Sidon (quamquam de Sidone incertum esse an ius Italicum habuerit paulo post dicemus), — hoc igitur nequaquam adversetur nostrae rationi. Quidni enim uterentur una parte iuris

1) Nam illud ne quaerendum quidem videtur esse, cum in plurimis coloniis magnam et originis et reipublicae diversitatem fuisse supra dixerimus, non omnium cuiusque coloniae incolarum communem fuisse immunitatem, sed eorum, quibus ab initio vel ipsis vel maioribus eorum donata esset.

Italici, cuius altera parte cum carerent, iuris Italici dici non poterant? Veluti Patras libertate ab Augusto, qui coloniam condidit, donatas esse, supra aliis auctorum testimoniis docuimus p. 375. Sic igitur, etsi necessitatem quidem nullam inesse fateor in hoc argumento (poterat enim illa quinque coloniarum libertas accedere ad ius Italicum, quod habebant, non eo contineri), aliquid tamen ei tribui poterit, cum et reliqua, quae dixi, et illud, quod paulo post ex Plinio afferam, adiungantur. Ipsa autem haec, de qua constare arbitror, libertas in qua tandem re posita erat? In eo fuisse, ut unae iuris Italici coloniae magistratibus, reliquae coloniae decurionibus uterentur, quae quondam fuit Savignii V. Cl. opinio, nemo credet, qui in plurimis coloniis extra Italiam sitis inscriptionum ope IIviros cognosci considerabit, quae res fere a nobis supra indicata est. Nec poterat ea libertas esse in iure dicundo; siquidem apud Plinium civitates iuris Italici nullo a reliquis significato discrimine videmus in conventus iuridicos contribui. Relinquitur igitur, ut libertas iuris Italici sita fuerit in ipsa reipublicae administratione, in qua re magistratus et decuriones civitatum iuris Italici maiorem potestatem haberent, quam reliquarum civitatum magistratus, ut liberam a proconsulibus aut propraetoribus rempublicam ex suo arbitrio gererent. Nimirum hoc erat magnum Italiae et provinciarum discrimen: illa nullum praesidem habebat civitatesque suo iure in rebus municipalibus utebantur, hae in rebus municipalibus paulo gravioribus praesidum iudicio parebant. Imprimis autem haec libertas continebatur rationibus reipublicae constituendis et exigendis, idque colligo ex re parum adhuc a viris doctis animadversa. Quas civitates Ulpianus l. 1 Dig. de censibus nominat, diximus partim esse iuris Italici, partim non esse, atque has quidem ab eo commemorari, quod, cum unam iuris Italici partem haberent, iuris Italici esse existimarentur, qui error ICto tollendus esse videretur. Iam in numero harum civitatum, quas non appellat iuris Italici, sed appellat tamen, est Apamea. Ea, cum C. Plinius anno 103 p. Chr. ab imperatore Traiano in Bithyniam et Pontum missus esset, huius imperio parebat, qui quo ratione provinciae suae praefuerit, ex ipsius et Traiani epistolis, quae decimum librum Plinii epistolarum efficiunt, intelligitur. Missus enim erat in Bithyniam imprimis ad rationes civitatum examinandas et componendas, qua de re sic scribit epist. 28: *Nunc reipublicae Prusensium impendia, reditus, debitores excutio, quod ex ipso tractu magis ac magis necessarium intelligo*, ad quae sic respondet Traianus: *Provinciales, credo, prospectum sibi a me intelligent — Rationes autem imprimis tibi rerumpublicarum excutiendae sunt; nam et esse eas vexatas satis constat.* Quo in negotio cum Plinius ad Apameensem coloniam examinandam pervenisset, necopinatum obstaculum offendit, de quo sic refert ad imperatorem epist. 56: *Cum vellem Apameae cognoscere publicos debitores et reditum et impendia, responsum est mihi, cupere quidem universos, ut a me rationes coloniae legerentur, nunquam tamen esse lectas ab ullo proconsulum: habuisse privilegium et vetustissimum morem,*

arbitrio sua rempublicam administrare. Tum Traianus: *Libellus Apameorum* (de privilegiis suis), *quem epistolae tuae iunxeras, remisit mihi necessitatem perpendendi, qualia essent, propter quae videri volunt eos, qui pro consulibus hanc provinciam obtinuerunt, abstinuisse inspectione rationum suarum, cum ipsum te ut eas inspiceres, non recusaverint. Remuneranda est igitur probitas eorum, ut iam nunc sciant hoc, quod inspecturus es, ex mea voluntate salvis, quae habent, privilegiis esse facturum.* Hoc igitur privilegium, quod Traianus servari vult, non dubitandum est, quin ad libertatem pertineat, qua quia utebatur Apamea, ne propterea iuris Italici haberetur, commemorata est ab Ulpiano [1]). Quamquam etiam alia quaedam similia commoda cum libertate coniuncta fuisse nolim negare, velut ex Plinii epist. X, 93 et 94 intelligimus in civitatibus liberis, quarum id leges permitterent, licuisse esse sodalicia, quae in ceteris oppidis prohibebantur (cf. X, 42.) [2]). Verumtamen leges aliae fuerunt aliarum coloniarum. Hoc manifestum est ius Italicum cum immunitatem et hanc, quam explicavi, libertatem complecteretur, proprium fuisse civitatum, nec unquam ad homines potuisse transferri, quare optime prorsus cum ratione nostra convenit, quod nunquam *cives* vel *homines iuris Italici* nominentur; nam inscriptiones duas Latinas, in quibus olim a quibusdam tale aliquid inveniebatur, longe alio pertinere ea quae supra citata est disputatione demonstravimus.

Absolvimus, quae de duabus iuris Italici partibus observanda esse putavimus; superest quae pro tertia ac praecipua parte haberi solet, in qua cardinem, ut ita dicam, eius verti, quam eius solius propriam esse arbitrantur. Nimirum solum civitatum iuris Italici factum esse statuunt dominium ex iure Quiritium, ut et mancipationem et usucapionem et quae reliqua in praediis Italicis legitima sunt, reciperet. Hoc ius universum non dissimulat Savignius se ullo veterum auctorum testimonio demonstrare non posse [3]), sed singillatim eas res, quibus ICti

1) Atque in Apamea quidem eo facilius error existere poterat, quod urbs, quae iam ab Augusto libertatem acceperat, per quinquennium cum a Claudio tributi remissione donata esset (vide supra p. 390), vere fuerat iuris Italici.

2) Erat etiam altera colonia, quae ab Ulpiano nominatur, in Bithynia, *Sinopensis*, de cuius tamen republica ex iis, quae Plin. X, 91 narrat, nihil potest colligi. Sed hoc vel Apameae exemplo intelligitur, fuisse multas colonias liberas, quae in nummis signum Sileni non ostenderent. Neque enim reperitur in Apameensibus.

3) Unus tamen est locus, qui recte fortasse alicui videatur relatus esse a Gothofred. in comment. ad Theod. Cod. XIV, 13, Sozomeni Hist. eccl. VII, 9, de dignitate urbis Constantinopolis, cui ius Italicum datum esse constat, sic dicentis: ἤδη γὰρ οὐ μόνον εἶχε ταύτην τὴν προσηγορίαν ἡ πόλις (i. e. ut nova Roma nominaretur), καὶ γερουσίᾳ καὶ τάγμασι δήμων καὶ ἀρχαῖς ὁμοίως ἐχρῆτο ἀλλὰ καὶ τὰ συμβόλαια κατὰ τὰ νόμιμα τῶν ἐν Ἰταλίᾳ Ῥωμαίων ἐκρίνετο cet. Sed primum Constantinopoli constat

praedia Italica ab provincialibus differre praecipiunt, persequens, quod illorum proprium esse invenit, ad civitates iuris Italici transfert, ne hac quidem in ratiocinatione ullo ductus testimonio, sed similitudine motus et nomine. Quare omnis haec quae putatur esse iuris Italici pars, coniectura videtur uti eaque nec per se probabili nec necessaria. Etenim si contineretur hoc soli ius eo, quod coloniis dabatur, iure Italico, cur factum esse dicemus, ut ICtorum, qui saepe de iis, quae praediorum Italicorum propria essent, disputarent, nemo tamen unquam eadem ad civitates iuris Italici pertinere adiiceret? Quare cum ipsum hoc hominum in illo argumento versantium silentium multum valere debeat, tum nequaquam certa est haec ratiocinatio, quod ius Quiritium valuerit in praediis Italicis, ideo valuisse idem in civitatibus iure Italico donatis. Quid enim? Civitatem Romanam scimus per multas provincias ita esse propagatam, ut ius honorum petendorum non adderetur; item Latinitas, ab iis, a quibus nomen accepit, ad alios translata vim suam mutavit. Idem in iure Italico accidisse cur negemus? Atque abfuisse certe hoc soli Italici ius ab iure Italico, quod extra Italiam donabatur, alia res documento est. Quid enim, si iure Italico urbes peregrinas, et civitate et Latinitate carentes, praeditas fuisse demonstro? Nimirum sic se res habet. A Plinio in naturali historia III, 3, 25 commemorari supra diximus coloniam Accitanam et Libisosanam, quibus duabus *ius Italiae* datum sit, deinde eo, qui explicatus a nobis est, loco libr. III, 25, 139 quattuor Liburnorum populos, Alutas, Flanates, Lopsos, Varvarinos, qui *ius Italicum* habeant. Hoc ius sive Italiae sive Italicum quaeritur, num eiusdem generis fuerit atque illud, de quo Paullus et Ulpianus disputant. Videtur sane, idque duplici de causa. Primum Paullus § 7 ait: *divus Vespasianus Caesarienses colonos fecit, non adiecto ut et iuris Italici essent*, unde cum appareat Vespasiani aetate usurpari consuevisse ipsum illud, quod postea valuit, ius Italicum, quis putabit Plinium aliud dicere? qui ne si esset quidem aliud ius Italicum, nisi ambigue loqui vellet, non adiicere poterat, quale diceret. Deinde etiam Plinianum ius Italicum immunitatem complexum esse et ex illo de Liburnis loco, qualem supra constituimus, manifestum est et ex altero de coloniis Hispanicis colligitur. Cum enim in Hispania (nam in aliis provinciis nihil de iure coloniarum addit Plinius, auctoribus, ut opinor, qui praeirent, destitutus) septem colonias immunes, duas iuris Italici, nullam alius iuris appellet, nonne veri est simile, immunitatem pertinere ad ius Italicum? Quare cum constare debeat, quod ius Italicum sit apud Plinium, idem esse apud Paullum et Ulpianum, Liburnorum quattuor populos, quos Plinius hoc iure Italico uti ait, civitate et Latinitate carere video. De ea re, si paululum ad consuetudinem Plinianam attendissent, qui prius de iure Italico scripserunt, nihil prorsus

plus tributum esse quam praeter Romam omnibus civitatibus et Italicis et provincialibus, deinde de solo eiusque aliquo privilegio nihil legitur.

poterat dubii relinqui. Nam Lopserum et Flanatium urbes commemorans Plinius Lopsicam et Flanenam *oppida* appellat, solito eorum nomine, qui peregrinae essent condicienis, et in ipso Scardonitano conventu, in quo quattuor illi populi erant, *Tragurium civium Romanorum* habet, ut, in quibus civitatibus et populis nihil addatur, eos peregrinae condicienis fuisse appareat. Nec per se probabile erat, Plinii aetate Liburnorum populos civitate esse donatos. Pugnaverant enim cum Augusto acerrime, et Carnorum gentem Inalpinam, dudum in coloniam Tergestinam contributam, supra p. 470 vidimus Antonini Pii demum aetate ad Latinitatem esse admissam. Quare cum peregrinae civitates ius Italicum habuisse inveniantur, quid, quaeso, his proderat agri ius Quiritium, quo propter peregrinitatem uti non possent? Quae cum ita sint, hanc iuris Italici partem, quam coniectura alioquin virorum doctorum, non testimonio ullo veterum auctorum effectam esse intelligam, hoc Liburnicarum civitatum exemplo everti prorsus nec esse ullam iudico.

Reliquae igitur sunt in iure Italico immunitas et libertas, quae cui civitati datae erant, ea habebat ius Italicum. Cuius origo, quin ad imperatorem Augustum referenda sit, non videtur posse esse dubium. Nam totum omnino orbis terrarum recensum, qui apud Plinium invenitur, ex Augusti commentariis petitum esse supra p. 196 exposuimus. Neque novum ullum ius Augustus invenit; fuerant enim etiam ante eum civitates immunes et liberae; sed, cum Italiae fines constitueret, hoc fecit, ut, quas civitates liberas easdemque immunes esse iussisset, ad eas iuris Italici nomen adhiberet. Veluti Troas iam a dictatore Caesare omni immunitate et libertate ornata erat, quae ut coloniam accepit, nullo neve iure donato colonia iuris Italici extitit. Neque raro Augustus novo nomine usus est. Qui cum Italiam coloniis suis frequentaret, quos veteres possessores expulsos in transmarinis coloniis collocavit, (vide supra p. 376) eos domicilii sede satis punitos noluit ipso iure imminuere. Quare cum iis relinqueret, quam in Italia habuerant, immunitatem et libertatem, extiterunt illae coloniae iuris Italici Dyrrhachena, Cassandrensis, Philippensis, Diensis, etiam Stobensis, quae cur tam multae fuerint in una provincia Macedonia, iure quaeras. Commune igitur ab initio fuerat ius Italicum omnium civitatum, nec cum ullo uno genere necessarie coniunctum [1], verumtamen paulatim, cum magnum videretur esse beneficium, magnum nomen, neque immunitas, quae pro maxima semper iuris Italici parte habita est, temere tribueretur, sic accidit, ut nullam civitatem iure Italico ornandam esse putarent, nisi quae coloniae nomine aucta ex ipsa quasi parente imperii propagata esset; nam Paullus et Ulpianus quin coloniae nomen et ius Italicum artissimo inter se vinculo con-

1) Eo pertinet etiam, quod Ulpianus narrat Patavicensium vico coloniae ius a Septimio Severo datum esse; nimirum Italicum ius iam ante habuerat. Item Apulum Ulpiani tempore municipium, sed tamen iure Italico praeditum, fuisse paulo supra diximus.

iuncta esse existimarint, negari non potest [1]). Iam rarissime factum, ut coloniae simul ac conderentur, ius Italicum acciperent, quod aut propter insignem aliquam causam, qualis erat illa, quam modo in coloniis Macedonicis indicavi, vel cum milites in gentibus barbaris collocati praemio aliquo magno alliciendi erant, id quod in colonia Agrippinensi et Lugdunensi et Emeritensi accidisse puto, aut propter insanam liberalitatem, qualis Elagabali fuit in Emisenos, totum uno tempore concedebatur: plerumque per multos gradus ad optimum illud ius ascendebatur. Incredibilis enim erat in imperio Romano cum reliquarum civitatum, tum coloniarum iuris varietas, ut in his vix duas fuisse censeam, quarum lex esset prorsus eadem, eaque varietas ipso tempore augebatur. Veluti fieri potuit, ut iuris Italici vel immunis colonia non poena ulla aut lege, sed tempore mutaretur, cuius immunitas si tota in hominibus ab initio deductis haereret, cum ii, quod non raro factum esse audivimus, defecerant, perierat. Sed haec quidem quamvis cupiamus nota esse, propter auctorum vel silentium vel inopiam in obscuro sunt nec persequi licet; universum autem dignitatis et commodorum, ad quae perveniri potuerit, cursum optime cognosci arbitror in Uticensi colonia. Ea, cum in imperium Romanum reciperetur, libera facta est, tum civitate donata ab Augusto, coloniae iure ab Hadriano (cf. supra p. 421), ad quae ubi Septimius Severus adiecit immunitatem, ius Italicum, quod Paullus commemorat, consummatum habuit. Coloniarum igitur in provinciis populi Romani sitarum tria maxime genera fuerunt, liberarum, immunium, iuris Italici, quae iam ita recensebimus, ut et gradus, per quos quaeque ascenderit, et temporum diversitatem, quam persequi non licet, omittamus. ***Liberae*** fuerunt ***Patrae***, ***Apamea***, ***Sinope***, ab imperatore Augusto donatae, ***Develtus***, a Vespasiano, ***Heliupolis***, ***Palmyra***, ***Selinus*** sive ***Traianopolis***, item ***Hippo Diarrhytus***, ***Hadrumetum***, ***Nemausus*** ab Hadriano factae [2]), tum ***Ptolemais***, ***Sebaste***, ***Bostra***, ***Damascus***, ***Neapolis*** Samariae, ***Antiochia*** Syriae, multae aliae, quarum memoria periit. ***Immunes*** fuerunt longe pauciores; in Hispania enim nominantur a Plin. nat. hist. III, 12 ***Tucci***, ***Urso***, ***Itucci***, ***Attubi***,

---

1) Quare dubitavi paululum, an etiam Constantinopolin in numero coloniarum ponere deberem; nam ius Italicum ei a Constantino datum esse docet Goth. ad Theod. Cod. XIV, 13. Sed nusquam tamen appellatur colonia; dedignabatur, opinor, nomen illud, quo minorem se esse vetere Roma significaret, cui ex omni parte aequa videri vellet.

2) Extremas tres colonias ideo libertate usas esse censeo, quod antequam coloniae ius acceperunt, liberae fuerunt, nam de Hippone Diarrhyto et Hadrumeto vide quae supra diximus p. 407; de Nemauso vide Strabon. IV, 1, 12 διὰ δὲ τοῦτο οὐδ' ὑπὸ τοῖς προστάγμασι τῶν ἐκ τῆς Ῥώμης στρατηγῶν ἐστι τὸ ἔθνος τοῦτο. Quae qui considerabit, fortasse eiusdem condicionis esse putet reliquas colonias ab Hadriano in Gallia factas; nec res est dissimilis vero. Item fortasse huc referenda sit colonia Treverorum (p. 385) in Germania, item Tusdrum et Curubis in Africa (p. 425), aliaeque, quae antequam coloniae factae sunt, libertatem habuerant.

libr. III, 24 *Caesaraugusta*, a Paullo *Barcino*, *Caesurea*, *Capitolina*, aliae nullae notae. *Iuris* denique *Italici* fuerunt, ab Augusto, ut videtur, factae: *Pax Iulia*, *Augusta Emerita*, *Lugdunum*, *Vienna*, *Berytus*, *Dyrrhachium*, *Cassandria*, *Philippi*, *Dium*, *Troas*, *Parium*, fortasse etiam *Antiochia* Pisidiae, incertis auctoribus beneficii *Valentia*, *Illici*, ex quibus haec tamen immunitatem ab Augusto acceperat (Plin. nat. hist. III, 19), a Claudio facta *colonia Agrippinensis*, a Traiano *Zerna*, *Sarmizegethusa*, *Apulum*, *Napoca*, a Severo *Tyrus*, *Laodicea*, *Potavicensium vicus*, item *Carthago*, *Utica*, *Leptis magna*, ab Elagabalo *Emisa* et *Stobi*, fortasse etiam *Sidon*, in quam coloniam cum Elagabalus iura Tyriis adempta transtulisse narretur, incertum est, an etiam ius Italicum contulerit; libertate quidem usam esse constat.

Addenda

sunt duo imprimis ex iis, quae postea quam commentationes nostrae vel scriptae vel typis expressae erant, in notitiam nostram venerent. Primum error emendandus p. 32, ortus ex eo, quod exemplum Pighianum posthabendum esse censui reliquorum exemplorum consensui virorumque doctorum opinioni. In quo cum anno 34 a. Chr. consules scribantur *Kal. Iul. Paul. Aemilius*, *Kol. Nov. C. Memmius M. Herennius*, sic eius anni fastos digeri oportebat p. 47:

Kal. Ian.	(M. Antonius M. f. M. n. II)	L. Scribonius L. f. L. n. Libo
	L. Sempronius L. f. L. n. Atratinus	
Kal. Iul.		Paul. Aemilius L. f. M. n. Lepidus
Kal. Nov.	C. Memmius C. f.... n....	M. Hereunius M. f... n. Picens.

Demonstrat hanc rem locus, qui in Gromaticis veteribus a Lachmanno recens editis p. 244 reperitur, ubi a. d. *IV. Kal. Aug. M. Antonius triumvir II et Aemilius consules* commemorantur. Deinde de lege Petronia p. 60 afferri poterat titulus nuper a Th. Mommsen. in diurn. archaeolog. Berol. ann. 1846 p. 335 editus, quo usus est etiam Savignius in Scriptis variis Vol. III p. 407. Sed nihil tamen novi ex eo discitur, ipse autem, ut ex schedis hominis docti petitus, non ex lapide descriptus, apertum vulneris indicium habet. Sunt etiam alia quaedam, quae ex iis, quae recentia prodierunt, adiici velim; sed tacere praestat, ac ferendum est hoc incommodum in libro, qui tarde descriptus est.

Index rerum.

Typis Brandesii & Schultzii.